IN XII.

PRIORA CAPITA ACTVVM APOSTOLICORVM COMMENTARIA

ria doctiſſima & luculentiſſima V.P. Ioannis Hofmeiſteri, F. Eremitarum D. Auguſti. per vtramque Germaniam, dum viueret, Vicarij generalis, antehac nunquam impreſſa.

Cum Indice.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



PARISIIS,

Apud Michaëlem Sonnium, ſub ſcuto Baſilienſi, via Iacobæa.

1568.

Cum Priuilegio Regis.

35·2 A 1 10

Extraict du Priuilege.

PAr grace & priuilege du Roy, il eſt permis à Michel Sonnius, Marchãt Libraire iuré de l'vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, mettre en vente & diſtribuer, vne fois ou pluſieurs, vn liure intitulé. *Ioannes Hoſmeiſterus in Acta Apoſtolorum.* Et faict defenſe ledict Seigneur à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres, de quelque qualité qu'ils ſoyent, de non imprimer, ou faire imprimer, vendre, ou diſtribuer en ſes païs, terres, & Seigneuries, autres que ceux qu'aura faict imprimer ledict Sonnius. Et ce iuſques au temps & terme de ſept ans, à compter du iour & date que leſdicts liures ſeront acheuez d'imprimer, ſur les peines contenues es lettres patentes dudict Seigneur, Donnees à Paris le dernier iour de Decembre 1567.

Par le Roy.

Signé de L'Aniouere & ſeellé du grand ſeau en cire iaune.

Acheué d'imprimer le 12. de Feburier 1568.

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO SALENTINO, COMITI IN ISENBVRG ET

Grenſau,&c. Eccleſiarum S.Gereonis Coloniæ Decano & Metropolitanæ Subdecano, Cathedralium Argentinenſis Theſaurario, & Moguntinæ Canonico &c. Domino ſuo ſumma obſeruantia colendo, Gerardus Velmannus Geldrienſis. S. P. D.

NAE illi feliciter operam ſuam in ſtudiis poſuiſſe præ cæteris iudicandi ſunt Comes illuſtris, qui eam non ad paucorum quorundam, ſed vniuerſi generis humani fructum & vtilitatem ampliſſimè contuliſſe comperiuntur. Et certè niſi acri doctorum iudicio exquiſitáque doctrina ſic communi vtilitati conſuleretur, haud ſcio an vitæ ſocietas diu conſiſtere, hominúmque cœtus legitimè inter ſe celebrari poſſent. Cũ enim apud omnes conſtet atque in promptu ſit, vniuerſam ordinatè viuendi rationem & normam ab huiuſmodi ingeniis manare & proficiſci, nõ puto quenquam tam væcordẽ, qui quicquam citra talium virorum induſtriam rectè adminiſtrari poſſe arbitretur. Quocirca non ſatis dignis laudibus ij decorari poſſunt, qui omnem curam & diligentiam in profanis bonorum auctorum (à quibus omnis cõpoſita viuendi ratio peti & erui poteſt) obſcuris ac perplexis ſcriptis illuſtrandis collocârunt. Qua quidem ex re quantum adiumenti primum ad bonarum artium can

didatos, deinde ad reliquam multitudinem accedat, ſi non aliunde, certè vel ex iis qui in talium auctorum ſcriptis dextrè intelligendis & enodandis occupātur, luce clarius cognoſci poteſt. Videri quidem prima fronte nobis poſſunt ij de rebus humanis melius meriti, qui artes vtiliter ad hominū vitam à ſe inuentas literis mandârunt, ſed tamen, ſi verè iudicare volumus, non minus immò multo magis ſtatū rerum humanarū promouiſſe ij cēſendi ſunt, qui bonas diſciplinas longo tempore ob nimiam difficultatē craßis tenebris occultatas & circumfuſas in lucem euocârūt, & ad communem vſum aptârunt: quippe quæ ne intelligi quidē nedum in vſum conuerti potuiſſent, niſi extitiſſent qui ingenij ſui acumine & diligentia eas illuſtratas, ad ſcientiæ & cognitionis fructum vberrimè comparaſſent. Nemo inficiabitur Ariſtotelem Philoſophorum facilè principē ſalutaria omninò & frugifera præcepta de omni ratione viuēdi poſteritati reliquiſſe, in quorū omnium cognitionem quotuſquiſque obſecro mortalium induci potuiſſet, niſi ſubtilißimorum quorundam vigiliis & lucubrationibus ad ea aditus patefactus fuiſſet? neque etiam ipſum Platonem, alióſque cōplures abſque interpretū adminiculo probè intelligi potuiſſe exiſtimo. Atque horum quidē induſtriæ curriculum cum eiuſmodi vt apparet, ſit, vt nihil non vtilitatis vniuerſo hominū generi adferat, quanto fructuoſiorē eorum operam putabimus, qui ſacris Bibliorū ſcriptis, mirifica quadā & admirabili præſtātia profana vincentibus, ſtudiū ſuum dederunt, eáque omniū cognitioni luculentißimè expoſuerūt. Etenim ſi res, quo excellentior atque vberior eſt, eò ſtudij, quod in eam confertur, maiorem & præſtantiā & vtilitatē eſſe & haberi neceſſe eſt, quis negauerit laborē ſacris literis impenſum multis parti-

bus anteponendũ? Videamus ſacras, referamus animũ ad profanas, & ne fumus quidẽ profana erunt ſi cum ſacris cõferantur. Illæ tantum quæ ad hanc vitam, hæ etiã quæ ad cæleſtẽ neceſſaria ſunt, docent: Illæ quæ ad corpus tantũ eiusq; cultum ſpectant, hæ quæ animum eiusq; ſalutẽ attingunt, demonſtrãt: illæ quomodo Principibus placere, hæ quomodo Deo ſummo omniũ Principi probari debeamus oſtendũt: illæ ſæpè nos à vera ſalute auocantes ad interitũ ducunt, hæ ſemper ad beatã æternamq; vitam prouehunt. In ſumma, oĩa prophanis literis cõprehenſa caduca ferè & momẽtanea ſunt: ſacris verò incluſa, nulla tẽporis circũſcriptione tenẽtur. Quid valet nobilitas? quid gloria? quid honores? quid diuitiæ? quid forma? quid robur corporis? quid ferè oĩa in hac vita? hominibus extinctis ſimul etiam illa eſſe deſinunt, cũ ſacrarũ interim literarũ vtilitas etiã poſt mortẽ nos comitetur. Quo mihi illorũ laus videtur eſſe illuſtrior, qui in ſacrarũ literarũ ſcriptis explicandis deſudarũt, eaq; in communem vtilitatis fructũ explicarũt. Quo in numero Ioãnes Hofmeiſterus hac noſtra ætate facilè principem locũ meritò atq; optimo iure ſibi vendicare poteſt, qui vſq; eò cogitatione ingenioq; in ſacris, maximè verò Actis Apoſtolorũ interpretandis ꝓceſſit, vt cuiuis hui⁹ tẽporis Theologo extra cõtrouerſiam poſſit præponi. Ecquẽ hac ætate pari induſtria & felicitate in Acta Apoſtolorũ ſcripſiſſe poſſumus dicere? in quibus exponendis ita elaborauit, vt nihil prorſus ab eo, ꝙ boni ſacrarũ literarum interpretis officiũ requirit prætermiſſum deſiderari queat: Nihil in iis tã difficile, nihil tã obſcurũ, ꝙ non acri mentis acie præ cæteris piè diſcuſſerit, & ad cõmunem vſum accõmodârit. Quos nodos, quas arduas quæſtiones, multũ ſæpè negotij Chriſtiano lectori faceſſentes, perpolito lima-

tôque ſuo iudicio ſuis locis purè & ſubtiliter non ſoluit? quæ myſteria etiã profundiſſima in iis latent, quæ nõ fideliter & circũſpectè eruerit? quid in iis eſt ꝙ non ſingularem pietatẽ polliceatur? nũ aliquid reperitur, ꝙ pij lectoris animũ remorari poſſit & offendere? q̃ ſincerè omnia interpretatur, quã nihil adfert ſomnolẽtum, quã nihil orthodoxæ religioni cõtrarium. Fateor quidem multos vel potius innumerabiles hiſce tẽporibus nõ omninò infeliciter Actibus Apoſtolicis enarrãdis vacaſſe, ſed ita tamen vt interdũ etiam quædã nihil ſucci & energiæ habentia, neq; ita Catholicæ religioni cõformia ſuæ expoſitioni immiſcuerint: in hoc nihil vanũ, nihil veræ religioni cõtrarium, nihil nõ efficaciſſimum cõſpicitur. Et certè quomodo legentiũ animi (ꝙ vel maximè interpreti ſacrarũ literarum propoſitum eſſe debet) ad pietatẽ excitari, quomodo ad Dei cultum inflãmari, quomodo deniq; ad vitæ ſanctimoniam & integritatẽ poterunt cõmoueri, niſi omnia ſummo cum affectu pioq; zelo lectoribus ob oculos ponãtur? Atqui iſta oĩa ab hoc noſtro auctore ita accuratè cogitateq; in his cõmentariis præſtita ſunt, vt nõ poſſint nõ ea Chriſtiani lectoris animũ, quantũuis planè ſaxeum, ſupra modum ferire & cõcutere. Sunt in hiis præclaræ admonitiones, interdũ etiam obiurgationes & cõſolationes. ſunt egregia modeſtiæ, humilitatis, aliarumq; virtutum exempla, quæ ſanè ſi animũ legentis nõ mirificè afflant, & ad Dei voluntatẽ implendã acuunt, haud ſcio quidnam erit, quo cõmodè ad vitæ ſinceritatẽ flecti & extimulari poſſint. Anne aliquid amplius? an nõ etiã magna copia ſalubriũ & ſanctiſſimorum præceptorũ de baptiſmo, de euchariſtia, de pœnitentia, de ordinãdis Epiſcopis & diuini verbi miniſtris in iis continetur? Quanquã quid his enarrandis immoror? cùm

etiam minutiſſima quæq; oĩbus q̃ hæc legunt, magnam anſam & occaſionem ad pietatem præbeãt. Quæ ſanè omnia ſatis euidenter declarant, q̃ nihil in his cõmentariis, q̃ ad fidelẽ textus explicationẽ facit prætermiſſum inueniatur. Quòd verò mutilata & imperfecta in publicũ emiſſa extant, (nã hoc ſcio obiiciet aliquis) non ita accipi debet quaſi ſua incuria vel potius infidelitate hoc acciderit (quid enim tã ſiniſtrè de tam pio & præclarè de ſacris literis merito ſuſpicetur?) aliis hoc potius cauſſis attribuendũ. Sunt q̃ putẽt eũ immatura morte præuentũ, nõ potuiſſe huic Cõmentario colophonẽ addere, ſunt rurſus q̃ opinentur reliquũ fragmentũ alibi in Bibliothecis aſſeruari: ſed quoquo modo ea ſe ſe habeãt, illud ſanè cõſtat, nõ poſſe hũc tã pium virũ tali ſuſpicione onerari, eum vel hæc illius ſcripta aliũ eũ teſtẽtur, q̃ vt docta adeò explicatiõe ſtudioſum lectorẽ voluerit fraudare. Porro cõſiderãs & clãdeſtino calculo ratiocinãs cui potiſſimũ ea tã docta & pia cõmentaria dedicarẽ, cuius patrocinio à maleuolorum morſibus defendi poſſent, nõ video ſanè cui iuſtius offerre debeã, q̃ auitæ & veræ religiõis ſtudioſo & propugnatori. Tua igitur Celſitudo, Illuſtris Comes, mihi in primis ĩ mentẽ venit cui hũc honorẽ deferrẽ, q̃ tãto ei⁹ amore flagras, vt nihil nõ laborũ, nihil nõ moleſtiarũ eius cõſeruãdæ & fouẽdæ ergò ſuſpicias & aggrediaris. Huc accedit ſingularis & eximia eruditio, quæ etiã nõ mediocriter, vt hoc facerẽ, animũ meũ cõfirmauit, & meritò quidẽ. Si enim eũ potiſſimũ ob finẽ noui auctores magnis & illuſtrib⁹ viris inſcripti & dicati emittũtur, vt eorũ auctoritate à zoilorũ calumniis tuti & immunes præſtẽtur, quomodo quæſo hoc cõmodè fiet, niſi de illorum eruditione egregia cõcepta fuerit opinio, qua candidè & ſincerè de ſcriptis iudicare

queãt. Qua in re tua fama tã illuſtris eſt, vt qui eã nõ laudet oĩnò iniqu⁹ ſit exiſtimãdus. Quid enim tã intricatũ, quid tã obſcurũ, ꝙ nõ acies animi tui poßit penetrare & diſcernere? quã ſacrarũ literarũ peritus, quã politioris literaturæ doctus, quã varia hiſtoriarum & exẽplorum lectione confirmatus. Et quoniam linguarũ cognitio alicui etiã eruditionẽ tribuit atque cõciliat. haud facilè quis tecũ hoc tẽpore videbitur cõferendus. Tenes Latinã, tenes Gallicã, tenes Græcã, & alias prætereà quarũ certè oĩm cognitione perpauci hoc tẽpore imbuti inueniuntur. Cæterũ cùm exploratũ habeam, omninò auribus tuis ingratã eſſe nimiã & immodicã prædicationẽ. vereórne nimium te laudando offendã. Itaque nõ ſum hic prædicaturus ſingulares tuas virtutes, quibus maximè cõſpicuus exiſtis, non tẽperantiã, non liberalitatẽ, non grauitatẽ, multáſque alias, quæ etiã. vt hæc Cõmentaria T.C. nomini inſcriberem, non parum me cõmouerunt. Quæ cùm ita ſint, vehementer etiã atq; etiã rogo, Illuſtris Comes, vt hæc Cõmentaria quãta quãta ſunt in tuã clientelã & fidem recipias, & ab obtrectatoribus oĩbus viribus tuearis. Id autem eò libentius T.C. facturam confido, quòd opera Domini Philippi Agricolæ S. Theologiæ Doctoris. Decani S. Petri Moguntinæ & Metropolitanæ Cõcionatoris, qui cum T.C. Maxima familiaritas intercedit, in manus & aſpectum hominũ venerunt. Quòd ſi tuo iuſtiſſimo calculo approbata fuerint, non dubium eſt quin facili ratione obtrectatorum aculeos & calumnias ſint effugitura. Bene vale, méque in tui patrociniũ benignè & clementer ſuſcipe. quod ita faxit Deus Opt. max. qui T.C. & me quã diutiſſimè ſeruet incolumes, Datum Coloniæ Agrippinæ, tertio Kalend. Septembreis. Anno 1567.

REVE-

REVERENDI PATRIS D. IOANNIS HOFMEISTERI IN ACTA APOSTOLORVM, COMMENTARIA.

CAPVT I.

PRIMVM *quidem ſermonem feci de omnibus, O Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere, vſque in diem, qua præcipiens Apoſtolis, per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt.*

Corruptę humanæ naturę eſt (abſit enim, vt vel per ſomnium humanam naturam, quatenus à Deo creatá eſt, alicuius vitij inſimulem: vidit enim Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona:) corruptæ, inquam, naturæ noſtrę eſt hoc quaſi peculiare & propriũ, vt perpetuò cupiat multa ſcire, non ſolùm quæ ad ſe, verumetiam quæ ad alios pertinent. Sic autem præpoſterè multarum rerum cognitioni ſtudet, vt potiorum nullam rationem habens, inania, & quæ nullius momenti ſunt, imò plerunque quæ præſtaret ignoraſſe, quàm diligentiſſimè inueſtigare, & perſequi animum inducat. Sicque fit vt terrena cęleſtibus, caduca perpetuis, corporalia denique ſpiritalibus præferamus. Nouarum item rerum ſumus omnes (nam etiam de nobis hic ſermo inſtitutus eſt) quàm cupidiſſimi, & quæ hiſtoriæ nonnihil habere videntur, vi quadam porrò mirabili animos noſtros ad ſe rapiunt. Hinc in omnibus noſtris congreſſibus, in ſingulis conuentibus, prima vox eſt: Quid noui mi vir bone? quid rerũ agitur? quorſum res huius mundi tendunt? & poſt longas & anxias inueſtigationes, vt plurimum, nihil diſcimus quod ſi modò non maximè obſit, vel parum proſit. Igitur ſi omnino cupis audire mirabiles hi-

ſtorias, ſi geſtis audiſſe aliquam de rebus antiquis narrationem: age certiſſimam tibi hiſtoriam proponamus ab eo auctore perſcriptam, de cuius fide neque Angelis, neque hominibus dubitare licebit. Alij hiſtoriographi aut multa fingũt ipſi, aut ſibi ab aliis multa vana perſuaderi patiuntur: in noſtro nihil vanum, nihil dubiũ, nihil non veriſſimum eſt. Habet Homerus ſuum Vlyſſem, habet Virgilius Aeneam ſuum, ſic Liuius ſuos Romanos, Plutarchus ſuos Imperatores, & alij alios, quos recenſere longum eſſet: noſter hiſtoriographus Lucas eſt Chriſti Euangeliſta, profeſſione medicus, indiuiduus diui Pauli comes, nec res ludicras tractat, ſed crepundia, & infantiam naſcentis Eccleſiæ: & ſic tractat, vt dubites plus ne vtilitatis an iucunditatis auditoribus ſuis conferat. Et quoniam medicus eſt, nihil dubitãdum erit, quin in hac hiſtoria ſua nihil niſi quod ad animarum noſtrarum medicinam attinet, propoſiturus ſit. Sed quoniã Lucas ipſe breuiſſimè in hiſtoriam ſuam præfatur, præſtat ipſius verba tractare, quàm præfationem noſtram in longum prorogare. Det Dominus, vt eo ſpiritu hoc opus tractemus, quo per Lucam ſcriptum eſt. Sic autem orditur hiſtoriam ſuam bonus Lucas. *Primum, inquit, ſermonem feci, O Theophile, de omnibus quæ cœpit Ieſus facere & docere.* Alludit hîc Lucas ad primum ſuum librum Euangelicæ hiſtoriæ, & illi hunc pulcherrimo quodam ordine annectit: O Theophile, inquit, ſermonem feci, hoc eſt docui, & ſcriptis teſtatum feci, quidnam egerit, quidque docuerit Ieſus Chriſtus ab eo tempore, quo à Ioanne baptizatus eſt, vſque in eum diem, quo, poſteaquàm Apoſtolis, quos per Spiritum ſanctum elegerat, multa in mandatis dederat, in cælum aſſumptus eſt. De his, inquit, ſermonem feci in primo nimirum hiſtoriæ meæ Euangelicæ libro. Iam rurſus verba ipſa diſcutiamus. Lucas hunc librum de Apoſtolorũ geſtis inſcribit Theophilo cuidã, cui & Chriſti hiſtoriam inſcripſerat. Quis verò hic Theophilus fuerit, Epiſcopus ne quiſpiam, vel alius aliquis vir magni nominis, nihil nos remorabitur: hoc potiùs agamus, vt & nos ſimus Theophili, hoc eſt, Dei amatores: quod vt fiamus, præſens Lucæ hiſtoria meritò nobis cauſſam dare debet. Erimus autem Dei

amatores, ſi quando illius voluntatem ex animo fecerimus: Si diligitis me, inquit Chriſtus, mandata mea ſeruate. Et iterum: Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, hic eſt qui me diligit. Tales ergo Theophilos, hoc eſt, Dei amicos, & diuinarum rerum ſtudioſos, voluit Lucas de rebus ad ſalutem neceſſariis docere. Iam quod ait Lucas ſe feciſſe ſermonem, hoc eſt, ſcripſiſſe de omnibus, quæ cœpit Ieſus facere & docere, diligenter excutiendum eſt. Et primum quidem hoc, quod ait ſe ſcripſiſſe non de his quæ Ieſus vel fecerit, vel docuerit, ſed quæ Ieſus cœperit facere & docere. Eò enim fortè reſpexit Lucas, quòd Chriſtus non ſic expedierit omnia in hoc mundo exiſtens, quaſi poſt hac etiam ſit acturus, nos noſtráque omnia ſit porrò neglecturus: ſed quòd tantùm inceperit in his terris noſtram operari ſalutem, perpetuóque noſtram cauſſam acturus ſit, donec omnia corporis ſui membra perfecerit, & inimicos ſuos omnes, ſcabellum pedum ſuorum fecerit. Epicurea enim eſt & Lucianica opinio, Chriſtum nunc aſſumptum in cælum ſupra nubes, ocioſum rerum mortalium ſpectatorem ſedere, nec amplius curare nós. Aſſumptus eſt enim Chriſtus in cælum, vt agat pro nobis æternum ſaluatorem, ſacerdotem, regem, ductorem, defenſorem, aduocatum, & mediatorem. Huc pertinet, quod in Romanis legimus: Quis ille qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt? imò qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Et diuus Ioannes ait: Filioli mei hæc ſcribo vobis, vt non peccetis, & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, &c. Quid verò eſt quod Lucas dicit ſe ſcripſiſſe de omnibus, quæ Ieſus cœperit facere & docere: cùm non ſolùm ex ipſis Euangeliis, ſed etiam ex hoc ipſo ſecundo Lucæ libro certiſſimò conſtet, Chriſti dicta & facta non omnia eſſe, nec à Luca, neque etiam ab aliis Euangeliſtis perſcripta? Tu igitur probus ſis verborum ſcripturæ æſtimator, & nihil inuenies abſurdi. Neque enim affirmat Lucas ſe omnia dicta & facta Chriſti Ieſu conſcripſiſſe (quis enim hoc poſſit?) ſed fatetur ſe de omnibus ſcripſiſſe, nimirum ſummatim.

& in genere, quæ videbantur Eccleſiæ Chriſti non tam neceſſaria, quàm vtilia fore. Cæterùm, ſecat autem Lucas Euangelicam ſuam hiſtoriam in duas partes, nimirùm in facta, & dicta, hoc eſt in opera, & doctrinam, quemadmodum & diſcipuli illi ad Emauntem migrantes, dicunt: Fuit (loquuntur autem de Chriſto) vir Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo & hominibus. Porrò, opera quæ Lucas putat, ſunt præcipuè miracula, videlicet quòd Ieſus reſtituit ægrotos ſanitati, quod cæcis viſum reddidit, quòd leproſos mundauit, & id genus reliqua. Hæc enim doctrinam Chriſti confirmabant: vnde etiam ad illa ſubinde prouocat, dicens: Si mihi non creditis, vel operibus credite. Nomine autem doctrinæ intelligit Lucas omnes Chriſti ſermones & diſputationes. Reſtat nunc vt inueſtigemus quòd ait Chriſtum diſcipulis ſuis præcepiſſe, hoc eſt, nonnihil in mandatis dediſſe, & hoc per Spiritum ſanctum. De præceptis non opus eſt, vt multa verba incaſſum fundamus: nam illa apud Lucam noſtrum, & reliquos Euangeliſtas ſatis expoſita ſunt. Apud Matthæum legimus Chriſtum ſic diſcipulos ſuos, poſtquàm à mortuis reſurrexerat, allocutos fuiſſe: Data eſt mihi omnis poteſtás in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Apud Marcum in hæc verba loquitur. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. De his ergo & ſimilibus præceptis, Lucas loquitur. Quod verò dicit Chriſtum per Spiritum ſanctum hoc ipſum diſcipulis ſuis præcepiſſe, ideo dicit, vt intelligamus mandata Apoſtolorum non contemnendæ auctoritatis eſſe, nec Chriſtum aliquid per iocum, vel etiam perfunctoriè cum Apoſtolis ſuis egiſſe. Mandata itaque Apoſtolis præſcripta, non humana ſunt commenta, non vana vanorum hominum ſomnia, ſed diuiniſſima Spiritus ſancti oracula. Quod ſi ita eſt, ſicut planè eſt, quiſquis Apoſtolorum mandatis contradixerit, non hominis, ſed planè Dei aduerſarius eſſe.

probabitur. Hinc illæ Chriſti ſententiæ: Qui vos, inquit, audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Non poſſum mihi temperare, quin & illud admoneam, quod Lucas non contentus dixiſſe, Chriſtum nonnulla mandaſſe Apoſtolis, niſi adderet & ipſos Apoſtolos iam antea ab ipſo Domino electos: vt ſcilicet iterum intelligeremus Chriſtum nihil fortuitu cum Apoſtolis ſuis egiſſe, ſed omnia præmeditato. Ad hoc enim, iam olim elegerat Chriſtus diſcipulos, vt poſt ſuam ipſius aſcenſionem, illi vicem ipſius in terris agerent, prædicando, baptizando, miracula operando, & reliqua quæ Apoſtolici ſunt officij exequendo. Addit Lucas: *Quibus & præbuit ſeipſum viuum poſt paßionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Modis omnibus confirmāda primùm erat fides eorum, per quos Chriſtus decreuerat admirabilium geſtorum fidem fieri mortalibus. Horum caput erat, vt perſuaderetur omnibus, Ieſum Chriſtū verè mortuum pro mundi ſalute, verè reuixiſſe tertio die: non imaginario corpore, vel ſpirituali (qualia ſunt angelorum corpora:) ſed eodem illo, iam tamē glorificato & immortali, quod mortale geſſerat in terris, quòd exanime conditum fuerat in ſepulchro. Proinde non ſatis habuit, ſemel exhibere ſe rediuiuum diſcipulis ſuis: ſed frequenter illis apparuit per quadraginta dies, hac de cauſſa commoratus in terris. Niſi enim reſurrectio Chriſti certò conſtet, nihil conſtabit in Chriſtiana religione. Si Chriſtus non reſurrexit, inquit Paulus, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra. Et ſi Chriſtus non reſurrexit, nec mortui reſurgunt, & qui oppetierunt pro Chriſti nomine, perierunt. Si deniq; Chriſtus non reſurrexit, profectò non aſcendit in cælum, nec ſedet ad dexteram patris, nec miſit ſuis Spiritum ſanctum: immò pſeudopropheta eſt, vt qui multa vana pollicitus eſt. Et quomodo alios à morte exuſcitabit, qui ſemetipſum ſuſcitare non potuit? Ad hanc igitur declarandam reſurrectionē, Chriſtus per quadraginta dies multis apparitionum argumentis vſus eſt, vt patet ex Euangeliſtis, & ex Paulo. Sed quoniam hæc nota ſunt, non putamus neceſſarium hîc ptolixius agere. Quod verò Lucas teſtatur Chriſtū cum

diſcipulis ſuis locutum fuiſſe de regno Dei, probè obſeruandum & ponderandum venit. Loquutus eſt enim cum illis de regno Dei, vt eiuſdem rationem plenè intelligerent, ne carnale & mundanum arbitrarentur futurũ, ſed ſpirituale, æternum, & diuinũ. Quis enim neſciat, quàm pueriliter Apoſtoli ſenſerint de regno Chriſti? Sed hac de re non ita multò pòſt. Obſerua autem hîc Lucã quidem affirmare, quod Chriſtus de regno Dei locutus fuerit cũ ſuis Apoſtolis: ſed quæ, vel quomodo locutus fuerit, non aperuit: vnde & ex hoc loco intelligimus Chriſti facta & verba, non omnia eſſe ab Apoſtolis vel Euangeliſtis conſcripta. Quod non ideo adnotauerim, quaſi aliquid temerè ab ipſis ſacris ſcriptoribus ſit neglectũ: ſed vt illi pudefiant, qui nihil probare volunt, niſi quod expreſſis verbis in ſcripturis contineatur: quum tamen ipſi multa nobis obtrudant, quę apertiſſimè cum diuinis ſcripturis pugnant. Sed hæc aliàs: *Et conueſcens præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſsionem patris, quam audiſtis, inquit, per os meum.* Chriſtũ cum diſcipulis ſuis, poſtquam deuicta morte reſurrexit, come diſſe, non ſolùm Euangeliſtæ, ſed etiam Petrus Apoſtolus in Actis teſtatur. Marcus enim ſic ſcriptum reliquit: Nouiſſimè autem recumbentibus vndecim, apparuit Ieſus, &c. Sic apud Lucam in Emaunte agnoſcitur ex fractione panis. In Ioannis Euãgelio fauo mellis veſcitur, & aſſo piſce: hac enim manducatione, rediuiui corporis ſui veritatẽ probare voluit. Sic puellæ illi à mortuis per Chriſtum reuocatæ, cibus datur: & Lazarus ille quatriduanus mortuus, inter conuiuas Simonis recenſetur. Igitur quum Dominus ſuos congregaſſet, ac euidentiſſimis argumentis, recuperatam ſuam vitam teſtatũ feciſſet, in mandatis dat diſcipulis, ab Hieroſolymis ne diſcedant: ſed expectant promiſſum Patris, quod hic per Chriſtum promiſerat. Hęc omnia ex Euangelica hiſtoria magis patent. Sic enim in Lucæ noſtri Euangelio legimus, dominum Ieſum diſcipulis ſuis dicere: Ego mittã promiſſum patris mei in vos: vos autẽ ſedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto. Quod verò promiſſum patris
Ioan. 14. attinet, in Ioãnis Euãgelio legimus frequentiſſimã polli citationẽ de Spiritu ſancto. Paracletus Spiritus ſanctus, quẽ mittet pater in nomine meo, inquit, ille vos doce-

bit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcũq; dixero vobis. Et iterũ: Cùm venerit paracletus (quem ego mittã vobis à patre) ſpiritus veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimoniũ perhibebit de me, &c. Et rurſum: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autẽ venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Hòc igitur eſt promiſſum patris, nimirum copioſius donum ſpiritus ſancti, quod donum pater cæleſtis, per filium ſuum dominum noſtrum, diſcipulis ſanctis promiſerat. Ait enim ipſos debere expectare promiſſionem patris, quam, inquit, audiſtis per os meum. Neque enim audierunt Apoſtoli hanc promiſſionem à patre, niſi per filium Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum. Vnde alibi loquitur Chriſtus: Sermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui loquitur in me patris. Et diuus Paulus in Hebræis teſtatur Deum, qui olim locutus fuerat multifariam, multíſque modis in Prophetis, nobis hiſce nouiſſimis diebus locutum in filio, per quem fecit & ſecula. Iam quòd vult eos expectare Hieroſolymis, ideo fit, quia Euangelij verbum primò omnium debebat prædicari in Hieruſalem, iuxta quod ſcriptum eſt: De Sion exibit lex, & verbum domini de Hieruſalem. Obſeruandum hoc loci, Chriſtum non emiſiſſe diſcipulos ſuos ſic rudes ad euangelizandum, ſed eos ipſos priuſquam mitteret donis ſpiritus ſancti perfeciſſe: vnde nihil agunt errones quidam, qui ſemetipſos ingerunt ad functionem adminiſtrandi verbi Dei, hoc ſolo freti, quod primi Apoſtoli fuerint idiotæ, & nullius ſecularis doctrinæ. Sed hæc aliàs. *Quia Ioannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini ſpiritu ſancto, non poſt multos hos dies.* Quæ vel qualis fuerit differentia inter baptiſmum, quem Chriſtus & huius Apoſtoli contulerunt, & inter baptiſmũ Ioãnis, cõmodiori in loco dicemus. Eſſe enim differẽtiã inter illa duo baptiſmata nõ paruã, cõmunis Eccleſię ſentẽtia eſt, quidquid tãdẽ ſacramẽtarij ſõniẽt. Sed ad rẽ. Ioãnes quidẽ baptizauit aqua, inquit Chriſt', ad diſcipulos, vos autẽ baptizabimini ſpiritu ſancto, nõ

Ioan. 15.
Ioan. 17.
Eſa. 2.

poſt multos hos dies. Fœcũda certè ſunt verba Chriſti, nec perfunctoriè tractanda. Ait enim Ioannẽ baptizaſſe aqua: & hoc nihil difficultatis habet, quoniam hæc omnia ex Euangelicis hiſtoriis accepimus. Sed an omnes Chriſti diſcipulos Ioannes baptizarit, ex Euangeliis certò non liquet. Ex Ioannis quidem Euangelio deprehendere licebit, Andream & Petrũ Ioannis fuiſſe diſcipulos, ab illóque fuiſſe baptizatos. Sic enim ibi legimus. Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit. Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. Et deinde ſequitur, Erat autẽ Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum, &c. Nec eſt dubium, quin omnes diſcipuli Chriſti à Ioanne baptizati fuerint, ne videretur baptiſmus Ioannis ab ipſis contemni. Et quare diſcipuli renuerent baptizari à Ioanne, à quo Chriſtus ipſe baptizari non dubitauit? Iam verò quod addit Apoſtolos baptizandos Spiritu ſancto, videtur ſignificare, quaſi Apoſtoli hactenus fuerint expertes Spiritus ſancti, quod tamen aliis ſcripturis porrò contradiceret. Sunt enim ſcripturæ, quæ teſtificantur Apoſtolos Spiritum ſanctũ accepiſſe ante diem Pentecoſtes: & ſunt rurſum quæ hoc ipſum videntur negare. Atqui ſcriptura ſecum diſcordare non poteſt, vnde ſic negotium diſcutiendum eſt, ne in aliquo ſpiritui veritatis, (qui Euangelij dictator eſt) præiudicemus. In Ioannis Euangelio legimus capite 7. dicere Chriſtum. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eũ: nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Et rurſum: Si nõn abiero, inquit Chriſtus, paracletus non veniet ad vos. Et iam in Actis pollicetur ipſos Apoſtolos baptizandos ſpiritu ſancto. Vnde apparet Apoſtolos caruiſſe ſpiritu ſancto ante diem Pentecoſtes. Sed quis putet illos Euangeliũ prædicaſſe, & miracula perpetraſſe, niſi adſtante ipſis ſpiritu ſancto? Huc pertinet quod apud Matthæum legimus, Chriſtum diſcipulis ſuis dicere. Cùm tradent vos,

An & quo modo Apoſtoli baptizati, diſputat D. Auguſtinus, Epiſtola ad Seleucianam.

Vide Auguſt. Tract. 32. in Euan. Ioan.

nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Apertius eſt quod apud Ioannem legimus, Chriſtum à reſurrectione ſua inſufflaſſe in Apoſtolos, & dixiſſe: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, &c. Quid igitur ad hanc ſcripturarum pugnantiã dicemus? Nulla eſt pugnantia, ſi modò non acceſſerit impia, vel erronea interpretatio. Sic igitur res ſe habet. Spiritus ſanctus in ſua ſubſtantia nulli hominum datur, ſed ipſius gratiæ & dona hominibus impartiuntur, & hoc differenter, pro tempore & cauſſa. Sic Apoſtoli acceperunt donum ſpiritus ſancti per tria tempora, ante paſſionem Chriſti, poſt huius reſurrectionem, & rurſum poſt Chriſti aſcenſionem: & donum illud ſemper auctius & copioſius acceperunt. Primò acceperunt donum operandi miracula: deinde acceperunt donum remittendi peccata: poſtremò acceperunt donum, vt cum fiducia & variis linguis poſſent prædicare magnalia Dei, ſicut in ſequentibus docebimus. Diuiſiones enim gratiarum ſunt, inquit diuus Paulus, vnus autem ſpiritus. Rectè ergo Gregorius Theologus dicit, Spiritus ſanctus in Chriſti diſcipulis, tribus modis operabatur prius, & per tria tempora: antequã glorificaretur Chriſtus paſſione: poſt glorificationem in reſurrectione: atque poſt aſcenſionem in cælos: Et primùm quidem leniter, ſecundò autem vehementer, tertiò verò conſummatius, &c. Hactenus ille, & quidẽ non minus verè quàm pulchrè. In prima enim illa ablegatione diſcipulorum, dum pollicetur ipſis adfore ſpiritũ Patris cæleſtis, nullum videmus ſpiritus ſancti ſymbolum: at dum illis ſecundò impartitur donum ſpiritus, inſufflat, leni nimirum ſpiritu in facies illorum. In die verò Pentecoſtes audimus ſonum de cælo, tanquam venti vehementis: qua de re ſuo loco. Igitur quod dominus Ieſus hoc in loco pollicetur diſcipulos ſuos baptizandos ſpiritu ſancto, indicat ſe ipſis donaturum magna, & copioſa ſpiritus ſancti dona, quibus nimirum opus habebant ad ſubiugandum tam pertinaces populos Chriſti leuiſſimo iugo. Quis enim humanis tantũ præſidiis munitus,

Vide Hugon. Aete. lib. 2. ca. 23 de haret.

tã arduæ ſufficeret prouinciæ? Certè niſi fuiſſent ſancti Apoſtoli præſidio diuini ſpiritus armati & confirmati, nunquã potuiſſent, quæ perfecerunt, vel confidẽter aggredi. Sed hæc hactenus. Reſtat adhuc vnũ, quod obſeruatione dignũ putamus, nimirũ Chriſtũ de ſpiritus ſancti miſſione, magno verborũ pondere loqui. Neque enim hîc dicit: Accipietis ſpiritũ ſanctũ, ſed baptizabimini, hoc eſt, perfundimini ſpiritu ſancto. Sic etiam loquitur diuus Paulus de Chriſto: Secundũ ſuã miſericordiã, inquit, ſaluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti, quẽ effudit in nos abundè, &c. Hoc etiã facit, quod Chriſtus apud Ioannẽ ſpiritus ſancti dona vocat flumina aquæ viuæ. Poſtremò promiſſionẽ ſuã gratiorẽ facit, dũ affirmat donum hoc diuinũ non eſſe in multos annorũ centenarios differendum: ſed non poſt multos hos dies, inquit, perfundimini ſpiritu ſancto, *Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Ex hac diſcipulorũ interrogatione facillimè cognoſcimus, quàm neceſſariũ fuerit, Apoſtolos opulentiori ſpiritus ſancti dono perfundi. Breuis quidẽ quæſtio eſt, ſed quę multã diſcipulorũ Chriſti, tũ ruditatẽ, tũ curioſitatẽ, tũ etiã timiditatẽ prodat. Primùm enim cùm Chriſtus tot diebus poſt reſurrectionẽ explicuerat ipſis verã rationẽ regni ſui, & perſpicuè docuerat eos, regnũ ipſius nõ fore carnale, ſed ſpirituale: occupandum non potentia armorũ & maieſtate externa, ſed potentia ſpiritus ſancti, & maieſtate prædicationis Euangelij in totum orbem terrarum vulgandi: adhuc tamen videntur ſomniare, Iudæos in toto orbe terrarum ſuper inimicos ſuos, & omnes gentes carnaliter dominaturos. Meminerunt illorum felicium temporum, in quibus fortiſſimos ex ſuo populo reges & duces habebant. Et miſerè cruciabantur animis ſuis, ſe iam cogi tributarios eſſe idololatrarum Imperatorum, Cæſarum, ac Regum, ſiue potiùs Tyrannorum. Cúmque iam tantam omnium rerum mutationem vident, & toties de regno mentionem à Chriſto fieri audierunt, nihil dubitant, quin in breui Iudęorũ condicto aliã acceptura ſit faciẽ. Sciſcitamur ergo domine, inquiẽtes, nũ in tempore hoc

reſtitues regnum Iſraëli? num hoc tempore reddes populo Iſraël regnum illud, quod ipſi per Prophetas promiſſum eſt, & de quo hacten' tu multa nobis diſſeruiſti? num hoc die, aut hoc menſe, aut hoc anno futurum eſt, vt Iudæi dominium totius orbis, iuxta Prophetarum oracula occupent? Quæ maior potuit eſſe ruditas in Apoſtolis? De tranſlatione regni ab Ethnicis ad Iudæos ſciſcitantur, cùm potius debuiſſent Chriſtum percunctari, quod ipſorum eſſet officium, quod miniſterium, &c. Sed his declaratur, quis ſit hominũ genius, nimirum vt, etiã ſi aliquando inciderimus in cogitationem ſpiritualium, ſtatim reſiliamus ad terrena: cæleſtia quidẽ deſideramus: ſic tamen, vt interim nobis liceat temporalibus ad voluptatem vti. Habemus etiam hoc in loco exemplum humanæ curioſitatis, quæ eius eſt ingenij, vt quæ curanda ſunt, negligat: quæ negligenda ſunt, curet: qua de re ſtatim ab initio huius capitis nonnihil diximus. Multa ex breuiſſima hac diſcipulorum interrogatione obſeruanda eſſent: ſed quoniã breues eſſe cupimus, ex multis pauca, eademque potiora colligemus. Primum itaq; hîc vide, quãtum cęcutiat humana natura ad ſpiritualia negotia, ſi quando ſibi ipſi relinquitur, hoc eſt, ſi ſpiritu Dei deſtituitur: vndè rectè alibi Nicodemo dicitur. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, nõ poteſt videre regnũ Dei. Intuere hîc Chriſti diſcipulos, & videbis in ipſis tãquam in ſpeculo, humana tua natura nihil eſſe ad perſpiciendas res diuinas ineptius, nihil ad obediendum verbo Dei tardius, &c. Secũdò hîc vides quã faſtidiamus crucẽ & afflictiones, ſemperq; malimus nobis, quã aliis bene eſſe. Tertiò, nemo ſtatim deſperet, etiãſi nõdum excuſſæ ſunt tenebræ ad plenũ: ſed pergat ſtrenuè, donec de Dei cognitiõe perfectior & inſtructior fuerit. *Dixit autẽ eis: Non eſt veſtrũ noſſe tempora vel momenta, qua pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalẽ, & in omni Iudea, & Samaria, & vſq; ad vltimũ terræ.* Vide obſecro, quãta modeſtia Chriſtus rudes ſuos diſcipulos alloquatur, quàm amicè illos tractet. Non increpat duriuſculè, non obiurgat grauiter, ſed iubet quæ ad ſe pertinent curare, docetque non referre, ſiue diſcipuli hoc, de quo

iam quærunt, ignorent, ſiue ſciant. Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Non eſt veſtrum, ad vos non pertinet, nec expedit vobis, vt ſciatis quo anno, quo menſe, quoue die venturum ſit Iſraëliticum regnum. Pater meus cæleſtis, omnium temporum & horarum conditor eſt, & harum rerum ipſum latere poteſt nihil: & quæ nobis prodeſſe ſcit, benignè aperit: cætera quæ etiam à nobis cognita vel obeſſent, vel nihil prodeſſent, ſibi reſeruat, nobis verò non aperit. Igitur ſi quid nos latet, noſtro bono latet, nec Dei eſt inuidentiæ, ſed potiùs beneuolentiæ, vt qua nobis tantum ea aperit, quæ pios faciunt, non quæ curioſos. Tu autem hîc vide, quàm prudenter ſua formauerit verba Chriſtus, quamque diſcipulorum ruditati condeſcenderit. Neque enim dicit: Non expedit vobis ſcire, quid quoque tempore pater meus facturus ſit, ſuffecerit me harum rerum cum patre habere noticiam: ſed omnia attribuit patri ſuo cæleſti. Hæc enim eſt conſuetudo Chriſti, quod interrogatus à diſcipulis ſuis de rebus cognitu aut non neceſſariis, aut etiam ipſis ſcitu pernitioſis, reiiciat quæſtionem à ſe in ſcientiam ac poteſtatem ſolius patris, ídque eo facit conſilio, non quia ipſe id quòd quæritur, aut neſciat, aut nequeat, (pater enim diligit filium, & omnia dedit ei in manus): ſed vt retundat humanam curioſitatem, & admoneat homines officij ſui, ne ſcrutentur ea, quæ Deus vult occulta habere, ſed inquirant ea, quę ipſis ad ſalutem cognitu, & factu neceſſaria ſunt. Potuiſſet quidem hoc loci Chriſtus dicere, & verè dicere: Me non latet quídnam ſtatuerit Deus ſuper populo Iſraël: nec neceſſe eſt vt vos eadem ſciatis: ſed hæc vtcunque vera eſſent, præ ſe tuliſſent neſcio quid arrogantiæ. Vnde ſic temperat orationem, vt nihil ſibi præiudicet, nec etiam ad ipſorum vitia conniueat. Cæterùm, vt adiiciam & hoc, Deus quem nihil latet, ſua occulta conſilia aliquando aperit certis hominibus, & certis temporibus: ſic tamen, & multifariam, vt eius rei non poſſint certi limites præſcribi. Sed hac de re aliàs. Iam videamus, quibus verbis conſoletur Chriſtus ſuos diſcipulos, ne putent ſe porrò negligendos à patre cæle-

ſti. Accipietis, inquit, virtutem ſuperuenientis ſpiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, &c. His paucis verbis explicat Chriſtus, quibus viribus, quo exercitu, quo item genere pugnandi, diſcipuli ſui orbem debellaturi ſint, obſequioque Chriſti ſubiecturi. Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos: hoc eſt, ad occupandos populos, & regno meo ſubiiciendos, non inuadetis regiones ac vrbes virtute carnali, externo robore militũ, aut exercitu ex hominibus collecto, ſed virtute ſpirituali, & exercitu cæleſti. Mittam enim vobis dona Spiritus S. quæ ſunt, loqui variis linguis, edere miracula, cognoſcere omnem veritatem, habere animum infractum in omnibus aduerſis, & id genus alia dona. Vide quo pōdere verborum loquatur. Accipietis, inquit, nō habetis à vobiſmetipſis, ſed accipietis virtutem, non alicuius hominis, non alicuius Angeli, ſed virtutem Spiritus ſancti de ſupernis venientis. Nam ad hoc munus, quod Apoſtolis commiſſum fuit, exequendum, nulla niſi diuina virtus ſufficere poteſt. Sed quodnam officium Apoſtolorũ? Eritis mihi teſtes, inquit, in Hieruſalem, &c. Non admouebitis, inquit, vrbium portis externos arietes, non diſiicietis muros tormentis vel bombardis humano ingenio confectis, ſed eritis mihi teſtes, hoc eſt, verbis, non verberibus mundum mihi ſubiicietis. Prædicatio enim & teſtimonium quod de me feretis, id demum erit aries & bombarda, quibus expugnabitis non ſolùm vrbem Hieruſalem, verumetiam vniuerſam Iudæam. Adhuc pauca dixi, adde & Samariam. Sed neque hęc finis erit Imperij mei. In omnem terram exibit ſonus veſter, & in fines orbis terræ verba veſtra, atque adeò illic erit terminus imperij mei, vbi eſt terminus orbis terræ. Primùm quidem dixeram vobis. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Poſtquam verò & Satanam, & peccatum, & mortem vici, aliud in mandatis do, nimirum, vt euntes in vniuerſum mundum, prædicetis Euangelium omni creaturæ: ſic tamen vt prædicandi Euangelij initium à Hieroſolymis ſumatis. Quàm fideliter porrò Chriſtus ſuum promiſſum impleuerit, & quā gnauiter Apoſtoli officio ſuo incubuerint, in ſequenti-

bus nobis depinget Lucas noſter. *Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Lōgè plura locutum eſſe Chriſtum Dominum cum diſcipulis ſuis antequam in cælos conſcenderet, ex aliis Euangeliſtarum narrationibus ſatis patet: ſed non opus eſt his, quæ per ſe nota ſunt, longius æquo immorari. Apertum eſt quid hîc Lucas velit ſignificare, nimirum, Chriſtum, quē Iudæi mentiuntur furto à diſcipulis ſublatum, in cælos aſcendiſſe, & iam, ſicut Marcus inquit, ſedere ad dexteram Patris. Eduxit enim Chriſtus diſcipulos ſuos poſt reſurrectionem ſuam quadrageſimo die foras Hieruſalem in Bethaniam; & ſublatis in altum manibus, benedixit eis. Et factū eſt, inquit in Euāgelio ſuo Lucas, cùm benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælū. Hanc autem Domini aſcenſionem non intelligimus aliter factam, quā vt Chriſtus Dominus ſecundū illud corpus ꝙ ſuſcepit ex virgine, quod crucifixum eſt, quod ſepultum, ſublatus ſit in cęlum, quod iuxta diuinitatem nunquā reliquerat. Sunt qui Aſcenſionē Domini in cælum ſic amplectuntur, ſic extollūt, vt ſub hoc prætextu verborum Chriſti, veritati reluctentur. De Sacramentariis dico, qui Chriſtum ſic putant in cælum aſcendiſſe, vt nobiſcum in Sacramento altaris nulla ratione eſſe poſſit, niſi omnipotentia & gratia ſua, quemadmodū vbique, & ſemper fidelibus ſuis adeſt. Sed nolumus hanc camerinam mouere. Chriſtus dixit, Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrū: Dixit, Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundū, & vado ad Patrem. Hęc fideliter credimus, hæc conſtanter confitemur. Idem dixit, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita: Et in nouiſſima cœna antequam pateretur, accipiens panem, quem benedixit, ac porrexit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, &c. An ne & hæc Domini verba credenda ſunt? Anne qui in illis vera dixit, in proximis verbis vanus eſſe debebit? Demus Deū aliquid poſſe, inquit D. Auguſtinus, & nos inueſtigare non poſſe. De fructu & vſu Dominicæ aſcenſionis iam dicendum eſſet, ſed quia breues eſſe cupimus, negotium hoc in aliud tempus differemus. Caput noſtrum aſſum-

ptum eſt, habet ſecum nonnulla membra, quæ reliqua in terris vel ſunt vel erunt, ſuo tempore ſequentur. Sic autem in cælum aſcendit, aut potiùs, ſicut Paulus alibi dicit, ſuper omnes cælos, non vt nos vel noſtra amplius nihil curet, ſed vt pro nobis apud ſuum patrem cæleſtem, perpetuus interceſſor exiſtat. Sed hæc hactenus. *Cúmque intuerentur in cælum euntem illum: ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* Non mirum eſt, quòd Apoſtoli hîc prædicantur fuiſſe defixis in cęlum oculis: quem enim amamus, libenter oculis ſequimur. Poteſt intuitus diſcipulorum in cælum hanc habere rationem, vt ſit exemplũ turbationis ipſorum, vt qui putantes ſe infeliciter habituros abſente Chriſto, turbatis animis & oculis, eum viderunt abeuntem. Nulla enim re magis turbatos legimus in Euangeliis Apoſtolos, atque dum Chriſtus ipſis loquitur de abitione ſua: Vado ad eum qui miſit me, ait apud Ioannem, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? ſed quia hęc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum, &c. Sic & in hoc loco haud dubiè turbati ſunt ad abitionem Chriſti: vnde & adſunt duo viri, conſolaturi illos. Fuerunt autem haud dubiè Angeli cæleſtes, quos D. Apoſtolus alibi miniſtratorios diſcipulos appellat, quia fidelibus perpetuò à miniſterio ſunt, ſicut in ſequentibus, in hiſtoria ſcilicet Cornelij, audiemus. In natiuitate Domini lętabundi adſunt: in inſtante paſſione Chriſtum conſolantur: in reſurrectione apparent, reſurrectionis veritati teſtimonium dantes: & iam adſunt magnifica conſolatione Apoſtolorum mentes erigentes. Audiamus itaque ipſorum orationem, magna ſententiarum & verborum pondere grauem. Viri Galilæi, inquiunt, quid ſtatis aſpicientes in cælum? quid admiramini ad hoc ſpectaculum? quid aſpicitis in cælum, quaſi iam actum ſit de vobis, quaſi iam non poſſet ſubuenire Iſraëli? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælũ. Videte obſecro quàm circunſpectè, quàm prudenter omnia aperiant. Primò dicunt Ieſum, non alium aſſum-

ptum in cælum. In cælum, inquam, aſſumptum, ne putes aliquod phantaſma fuiſſe, vel illorum oculos faſcino quodam deluſos. Secundò, teſtantur illum rediturum, neque tamen ſignificant, neque certò præſcribunt aduentus diem: nam huius diei certa notitia reſeruata eſt ſoli patri. Tertiò addunt ipſum venturum in ea forma, in qua aſſumptus eſt. Hoc etiam Chriſtus ipſe, & poſt hunc Apoſtoli teſtantur. Abiit in cælum viſibili forma, redibit ergo viſibili forma: aſcendit in nube, redibit ergo in nube. In Matthæo legimus, Videbunt, nimirum, homines in nouiſſimo die, filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa ac maieſtate. Paulus verò in priori ad Theſſal. ſcribit: Ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgẽt primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. Et in Ioannis Apocalypſi legimus: Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt. Vbi ergo adueniente Domino in tanta maieſtate, manebunt impij? vbi comparebunt peccatores impœnitentes? quò fugient contemptores Dei, & iudicij eius? Sunt enim, ſunt proh pudor multi, qui cũ ſeruo illo, de quo Dominus apud Lucã loquitur, in corde ſuo dicũt: Differt Dominus meus reditum, & percutiunt ſeruos & ancillas, edunt, bibunt, & inebriantur. Sunt qui prorſus rident, quicquid de aduentu Chriſti dicitur. Sed hęc aliàs. *Tunc reuerſi ſunt Hieroſolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta Hieruſalem, ſabbati habens iter. Et cùm introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt vbi manebat Petrus & Ioannes, & Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.* Quæ hactenus Lucas ab initio huius lib. conſcripſit, videntur magis præfationem, quàm narrationem huius operis habere: nam quæ ſub finem primi libri curauerat, hucuſque videtur pauciſſimis repetiuiſſe. Sed vtcunque ſit, nos ordinem cœptum, de diuino numine benè confiſi, ſtrenuè proſequemur. Tunc inquit, reuerſi ſunt Hieroſolymam. Qui ſunt illi reuerſi? Apoſtoli nimirum, & qui cum ipſis e-

Vide Augu. in Euangel. Ioã. Tract. 21.

Matt. 24.

1. Theſſ. 4.

Apoc. 1.

rant:neque enim putandum eſt, ſolos vndecim Apoſtolos aſcenſioni Domini interfuiſſe, ſed & alios ex Domini familiaribus & diſcipulis, quos hoc ſancto Aſcenſionis ſpectaculo Dominus dignatus eſt Reuerſi, inquam, ſunt Hieroſolymam. Quando? Tunc, ſcilicet, poſt aſſumptionem Chriſti, & conſolationem ab Angelis factam. Niſi enim tam ingētes conſolationes, & à Chriſto, & ab Angelis accepiſſent, quorſum ſcilicet raptus eſſet Ieſus, & quòd eſſet rediturus ſic, quemadmodum abeuntem viderant, nequaquam locum hunc, montem hunc reliquiſſent: ſed potiùs mente conſternati, & pudefacti, exiſtimaſſent ſe deluſos, vt qui hactenus Chriſto confiſi, iam porrò negligerentur. Atqui quum tam iucundas accipiunt conſolationes, non diu ſecum diſceptant, non diu in monte Oliueti hærent: ſed ſicut admoniti fuerāt à Chriſto, reuertuntur Hieroſolymam, ibi promiſſum patris, ſpiritum veritatis, exoptatiſſimum paracletum expectaturi. Subindicat verò Lucas Apoſtolos iā animatiores, & corde confirmatiores factos, qui iam omni metu depoſito, non dubitauerunt vnà, & palàm reuerti Hieroſolymam. Addit verò Lucas quantum diſtet mons Oliuarū ab Hieroſolymis, inquiens, illos, Apoſtolos ſcilicet profectos à monte, qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta Hieruſalem, Sabbati habens iter. Etenim certa viæ longitudo præſcripta fuerat Iudæis, quam peragere fas eſſet die Sabbati. Licuit autem, iuxta Rabinos Iudæorum, ipſis bis mille pedes Sabbato ambulare. Sic enim teſtatur D. Hieron. ad Algaſiam quæſt. decima. Et alibi quum Dominus dicit, Rogate, ne fiat fuga veſtra ſabbato vel hyeme, ſatis innuit, Iudæis non licuiſſe prolixius iter ambulare in Sabbato: & hoc quidem magis iuxta Rabinorum illorum traditiones, quàm iuxta Domini Dei mandatum. Et legimus quidem in Exodo, Dominum corripientem Iudæos propter violatum Sabbatum, & dicentem: Vſquequo non vultis cuſtodire Sabbatum meum, mandata mea, & legem meam? Videte quod Dominus dederit vobis Sabbatum, & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices. (de Manna loquitur.) Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. Hæc in-

Epiphanius docet Iudæis non licuiſſe vltra menſuram ſex ſtadiorum Sabbato ire, &c. pag. 338.

Exod. 16.

quam, legimus Dominum Iudæis dicere. Hi autem dum maximè putant ſe legem ſeruare, impudentiſſimè transgrediuntur. Si enim verba Domini iuxta literam implẽda, & ad vnguem obſeruanda ſunt, quis dedit Rabinis illis eam poteſtatem, vt ad certos limites legem Domini ſoluere conentur? Sed hæc parerga ſunt. Mira res eſt. Iudæi in eiuſmodi rebus plus æquo ſuperſtitioſi: nos verò plus quàm decet Chriſtianos, temerarij & licentioſi ſumus. Cæterùm ad intermiſſum ordinem reuertamur. Mons Oliuarum, ſicut diximus, non longè erat ab Hieruſalem, ſicut vbique Euangelia teſtantur: & ab hoc mõte reuerſi ſunt Apoſtoli, & diſcipuli Domini Hieroſolymam, ad cœnaculum illud, opinor, in quo Paſcha cum Chriſto celebrauerant, priuſquam ad paſſionem accederet. Cœnaculum verò, non ideo dicitur, quòd in eo cœnatum ſit, ſed dicitur locus in altiori loco domus conſtructa, quales apud noſtrates habent domunculas penſiles. Fuit autem proculdubiò cœnaculum illud amplum & patens, quo eſſet tantorum virorum capax. Iam tandem enumerat Lucas Apoſtolos, præcipuos nimirum Chriſti diſcipulos: plurimùm enim refert iſtorum nouiſſe nomina, qui primarij nobis dati ſunt à Deo, veræ pietatis antiſtites. Adde quod Lucas hoc loci Chriſti verba confirmat, quæ apud Ioannem dixerat. Duodecim vos
Ioan.17. elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt. Et iterum: Pater ſancte, quos dediſti mihi, ego cuſtodiui: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis. Omnes enim enumerat, excepto vnico Iuda proditore. Petrus ter negauerat Dominum, alii omnes à Chriſto aufugerant, & paſtore percuſſo omnes oues diſperſæ fuerant: verùm receptis animis, immò reuocati per Domini ſpiritum, in vnum congregati, exſpectant promiſſum patris. Diſcamus ergo ex hac Apoſtolorum reſipiſcentia, vt & ipſi aliquando reſipiſcamus, neque de quoquam, dum in viuis eſt, deſperemus. Sequitur. *Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione & obſecratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius.*

Videmus hoc loci in diſcipulis Chriſti magnæ obedientiæ exemplum. Præceperat enim ipſis Chriſtus, vt poſt aſcenſum eius in cælum non diſcederent Hieroſolymis,

ſed ſederent illic, ac expectarent, quoadusque induantur virtute ex alto, & accipiant promiſſum patris. Multa autem erant, quæ ipſos ab obedientia huius præcepti deterrere poterant, & neceſſe habebant in hoc obſequio multa diſcrimina ſubire. Si enim Iudæi antea non pepercerant Chriſto tot miraculis claro, ſed adegerãt eum ad turpiſſimam mortem: quis diſcipulorum eius ſibi in ea vrbe omnia mala obuentura non polliceretur? Profectò ſic rebus Iudæorum ſtantibus, & Iudæis ſic animatis, nõ poterat Apoſtolis ſecurum eſſe Hieroſolymam petere: immò nihil aliud erat, (ſi hominum ſolum præſidium reſpexeris) niſi ſeſe præſentiſſimæ morti obiicere. nihilominus tñ diſcipuli præcepto Chriſti obſequuntur & redeunt, quãuis magno ſuo periculo, in Hieruſalem. Quid igitur mali eis accidit? ecce nec pilus quidem capitis illorum perit. Cur ita? quia ambulabãt in vocatione Dei, & in obedientia præcepti eis: & qui iuſſerat eos redire in Hieruſalem, hic etiam curabat, vt tutò illic verſarentur. Et profectò, ſic res filiorum Dei habet, quod quemcunque Deus deſtinare ſolet ad officium aliquod hominum opinione periculo plenum, huic quoque eo ipſo & pollicetur, & præſtat auxilium. Vocauit quondam Moſen ad ducatum Iſraëlis periculoſiſſimum, ſed qui vocabat, idem & dicebat: ego ero tecum Vocauit Iſraëlitas ad deſertum, quid eis obediẽtibus obſtitit, aut defuit? mare vidit & fugit, Iordanus cõuerſus eſt retrorſum: cælũ pluit manna, petra dedit aquam, veſtimenta ipſorum non ſunt detrita, & hoſtes tãto timore correpti ſunt, vt ne mutire quidem fuerint auſi cõtra Iſraëlitas. Vocabatur Hieremias ad euellendas, deſtruendas, & diſſipandas, & eradicandas gentes, ſed quum agnoſceret ſe imbecilliorem, quàm vt poſſet tantum onus ferre, audit: Ego tecum ſum, vt eruam te, &c. Quin & hi ipſi diſcipuli antea à Chriſto vocati erant, vt prædicarent regnum Dei, & emittebantur ſine auro, ſine argento, ſine pera, & ſine virga: emittebantur autem ſicut oues in medio luporum. Quid autem defuit eis? aut in quo periculo perierunt? Ecce reuertuntur cum gaudio, & ingenuè fatentur, ſibi in vocatione ſua ambulantibus nihil vnquam defuiſſe: ſic & iam dum redeunt Hie-

roſolymam iuxta quod in mandatis acceperant, nemo illis obſiſtit, nemo contradicit, nemo manus eis iniicit: ſed coëunt in vnum, nimirum in cœnaculo illo Apoſtolis autem, & reliquis Domini diſcipulis adiunxit ſe Maria mater Ieſu, & fratres, hoc eſt, cognati eius: adiunxerunt ſe etiam illis & aliæ quædã ſanctæ mulieres, nimirum illæ quæ ſecutæ fuerant Ieſum à Galilæa, quarum etiam alibi meminerunt Euangeliſtæ. Sed quid interim agunt? non rixis, aut otioſis fabulis terunt tempus: ſed vnanimiter perſeuerant in orationibus & deprecationibus. Tu porrò noſtra conuenticula cum hac ſancta congregatione conferre ne dubita, & videbis quàm magna ſit diſſimilitudo. Noſtri conuentus implentur aut rixis, vel contentionibus, aut detractionibus, aut impuris iocis, &c. Iſti verò verè Apoſtolici homines, perſeuerant vnanimiter in oratione: quod certè non perfunctoriè legendum, vel audiendum eſt. Singulæ enim voces videntur ſuum pondus habere, hoc quod multi docti ante nos viderunt. Quid enim eſt Hieroſolymis in cœtu ſanctorum orare, niſi contemptis hæreticorum conuenticulis in eccleſia Catholica manere, & inibi preces ſuas ad Chriſtum fundere? Quòd verò vnanimiter orant, teſtantur veram, adeóque fraternam charitatem inter ſe habere. Et certè non ſunt Deo gratæ preces, vbi non eſt firma inter fratres concordia: quod exemplis & præceptis ſcripturæ teſtatum facerem, ſi aliquem ſuper hac re dubium eſſe dubitarem: Tertium, quòd orationem commendat, eſt perſeuerantia, quæ vel vnica ex oratoribus nobis, exoratores facere ſolet, quod Chriſtus pulchrè de vidua & iniquo iudice, paradigmate in Euangeliis docuit: ſed quoniam ſæpiſſimè de orationis emolumento nobis dicendum erit, iam huic parænesi finem imponimus. *In diebus illis exurgẽs Petrus in medio fratrũ, dixit: (erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum, &c.* Hiſtoria hæc quam nobis Lucas, immò Spiritus ſanctus per Lucam deſcribit, longè omnium pulcherrima eſt, & innumeris ferè doctrinis referta. Det Dominus, vt ea quæ ad profectum Eccleſiæ

ſuæ pertinent, eruere poſſimus. Et ante omnia quidem hîc admiratione dignum eſt, quòd Petrus tanto feruore, tanta confidentia, tanta denique prudentia alloquitur Chriſti diſcipulos, non quidem vnum atque alterum, ſed omnem turbam, & hoc ante acceptam Spiritus ſancti pleniorem vnctionem. Sed meminiſſe oportet eorũ, quæ in ſuperioribus audiuimus, nimirum Apoſtolos nõ omnino caruiſſe Spiritus ſancti donis, ſed ipſos illa non accepiſſe tanta copia, quanta in die Pentecoſtes. Sed rogas quare ſibi hanc concionandi prouinciam ſumpſerit Petrus? Reſpondemus Petrum hîc nihil temerè inſtituiſſe, ſed omnia ex officio. Statim enim, aut non ita multò pòſt à reſurrectione Chriſti legimus Petrum accepiſſe in mandatis, vt paſceret gregem Domini. Sic enim inquiebat Chriſtus ad Petrum: Simõ Iona, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Neque ſemel tantum hoc illi dictũ eſt, ſed tertiò, quo nomine etiam contriſtatus eſt Petrus, & dixit: Domine, tu omnia ſcis, tu ſcis quia amo te. Igitur cùm Chriſtus Petro commiſerat ouiculas ſuas, tanquam fidiſſimo & vigilantiſſimo paſtori, nihil negligenter agit, ſed officij ſui magnitudinem conſiderans ſollicitus eſt, ne oues Chriſti propter paucitatem paſtorum aliquid detrimenti accipiant. Neque tam arrogans eſt, (ſicut iam multi ſunt, qui præter nomen nihil veri paſtoris habent) vt neminem velit de ſuo ipſius participare honore & officio: ſed ſummis precibus à Domino orat alium, qui in locum proditoris Iudę ritè ſubſtituatur. Videmus etiam in hoc Petri modeſtiam, animique illius ſubmiſſionem, quòd omni faſtu depoſito illos fratres appellat, nihilque imperioſè agit. *Ioann. 21.*

Obſeruandum & hoc, quòd Petrus omnia inſtituit, quæcunque ad officium ſuum facere poſſunt, licèt eius rei nullum expreſſum verbum, ſiue mandatum in ſcripturis à Domino habeat. Vtinam illi, penes quos Petri, & Apoſtolorum poteſtas & auctoritas eſt, in hoc Petrum imitarentur, vt nihil antiquius haberent benè diſpoſita animarum cura. Sed iam tandem verba ipſa D. Lucæ, & deinde Orationem D. Petri expendamus. In diebus illis, nimirum aſſumpto Chriſto in cælum,

& in vnum congregatis omnibus Chriſti diſcipulis,non orandum ſibi putans Petrus, exurgit in medio fratrum. Exurgit (inquit hiſtoriographus noſter) Petrus, vt vel ipſo geſtu innueret ſe habere, quod ſeriò & neceſſariò proponeret. Exurgit Petrus: Iterum dico: Exurgit Petrus piſcator ille Galilæus, Petrus ille, non iam ille qui ter Dominum abnegauerat, ſed cui Chriſtus oues ſuas ter paſcendas commiſerat. Sed vbi exurgit? non in templo Hieroſolymitano: nam hoc nondum conueniebat: verùm in medio fratrum, hoc eſt, Chriſtianorum. Tale enim nomen tum habebant Chriſtiani: immò non ſolùm nomen, ſed cum hoc & rem, vt quibus nihil æquè in votis fuerat atque fraterna dilectio. Sed dic obſecro, quantus erat numerus diſcipulorum Chriſti in Hieruſalem? Audiamus Lucam: Erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti. Bone Deus, non niſi tanti, poſt tot auditas Chriſti conciones, poſt tot viſa miracula? Sed hæc paucitas nihil nos moretur: non ita multò poſt audiemus ex hoc minuto ſemine, copioſiſſimam prognatam meſſem. Sed tu mihi iam audi piſcatorem meum Petrum: Viri fratres, inquit, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum, &c. Obſecro vos per miſericordiam Dei, & per ſalutem veſtram, patiamini me hoc in loco curioſum eſſe, vt ſi non omnia, certè maiorem partem abſconditi ſenſus eruamus. Sunt fortè quibus hæc pauca verba huius orationis omninò nuda, & nihil ſucci habentia videantur: verùm ſi patienter me audieritis, non grauatim, opinor, mutabitis ſententiam. Nihil autem hîc loquar de eo quod Petrus piſcator & idiota tantam habet experientiam Scripturarum, vt in promptu habeat quamcunque voluerit ſententiam: (nam in Luca noſtro audiuimus, quòd Chriſtus apoſtolis aperuerit ſenſum, vt intelligerent Scripturas. hoc enim docente, hoc ſenſum Scripturæ aperiente, quis non diſceret?) ſed hoc putamus obſeruatione dignum, quòd tam breuibus verbis tam multa comprehenderit. Dum enim penſitamus, quid ſibi velint hæc verba: Oportet impleri Scripturam, ſtatim intelligimus irrefragabilem ſacræ ſcripturæ verita-

tem: Oportet, inquit, impleri ſcripturam. Quare? quia non voluntate humana (vt diui Petri vtamur verbis) allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines, hoc eſt Prophetæ, qui vaticinia prodiderunt, non è ſuo ſenſu, animíque arbitrio prodiderunt, ſed cùm homines ſancti eſſent, puríque ab omnibus prauis cupiditatibus, Spiritus ſanctus afflauit illorum animos, ac velut organis abuſus, per illos nobis ſuam mentem vtcunque ſignificauit: vnde nō poteſt non verum eſſe, quod Prophetæ prophetarunt: Quæ procedunt de labiis meis, ait alibi Dominus, non faciam irrita. Et rurſum Chriſtus: Cælum & terra tranſibunt, inquit, verba autem mea non tranſibunt. Adde his quod Balam in Numeris ad Balach dicit: Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Et illud: Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Igitur quæ à Domino prædicta ſunt per Prophetas, falli non poſſunt, quia ipſum ſcilicet ſua præſcientia fallere non poteſt. Ex his vel hoc ſolum diſcere debemus, ne poſt hac vel promiſſiones Dei negligamus, vel illius comminationes contemnamus. Iam porrò addit Apoſtolus Petrus cauſſam, quare oporteat impleri ſcripturam: Oportet impleri ſcripturam, inquit, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid. Nihil addam niſi hæc abſoluta fuerint. Scripturæ auctoritatem addit Petrus magnificam, vt à nemine eleuari, nedum reiici poſſit. Primò, inquit, verba quæ adduco, & quæ oporteat impleri, non ſunt fortuita, nec vulgò iactata, neque ab aliquo obſcuro homine prolata: ſed veniunt ex ore regij Prophetę Dauidis, qui quàm magnificas ſuper Meſſia promiſſiones acceperit, nemo eſt qui ignoret, & vos Iudæi eius rei teſtes eſtis locupletiſſimi. Neque eſt vt quiſpiam hîc eleuare velit auctoritatem Dauidis, quaſi non omnia puta puta ſint, quæ ille dixerit. Eſto ſanè, inquit Petrus, Dauid homo fuerit, vt homo aliquando lapſus fuerit, tamen hoc mihi præiudicare poterit minimè. Quamobrem? inquis: quia Dauid eiuſmodi verba à ſemetipſo non dixit, ſed Spiritus ſanctus locutus eſt, & prædixit hæc, de quibus nobis ſermo, per os Dauid. Atqui quæ Spiritus ſanctus per

1. Petr. 1. *Pſal. 88.* *Matt. 24.* *Num. 23.* *Eſaiæ 46.*

nos loquitur, vana eſſe non poſſunt. Sic in Euangelio Chriſtus Pſalmos non Dauidi, ſed Spiritui ſancto potiùs aſſcribit, dum teſtatur Dauidem in ſpiritu dixiſſe:
Matt.22. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Iam quid poteſt excellentius de ſcripturis ſacris dici, quàm quòd ſit vaticinium Spiritus ſancti? Dauid quidem, aut alius quiſpiam Propheta accommodauit ad oracula ſcripturæ, os, linguam, aut calamum ſuum, tanquam inſtrumentum: Spiritus autem ſanctus auctor ille eſt, qui per hoc organum oracula ſua protulit. Quare ad ſacram ſcripturam non aliter quàm ad ipſiſſimã Spiritus ſancti vocem, animum noſtrum aduertamus. Sequitur Spiritum ſanctũ aliquid prædixiſſe per os Dauidis, de Iuda Iſchariote nimirum, & proditore, &c. Vel ex hoc vno apparet, non eſſe humana tantùm verba, quòd prædixerunt ea futura, quæ poſt multos annorum centenarios facta ſunt. Et Iudæi quidem in Synagogis ſuis ſæpiſſimè hos pſalmos & legerunt & audierunt, neque tamen, opinor, quiſquam fuit illorum, qui illos de traditore Chriſti exponere auderet: Immò, ſi quis dixiſſet Petro ante Domini paſſionẽ, Pſalmos illos ſonare de Iuda Apoſtolo, certè nunquam perſuaſus fuiſſet, vt hoc crederet. Sed ſic ſe habet prophetiarum ratio, vt tum tandem intelligantur, quando impleta ſunt. Iam quidem non immeritò exſpectatis, qualis nam illa ſit prophetia, quídve Spiritus ſanctus de Iuda prædixerit. Et proferam quidem, ſed poſtquã etiam hoc admonuero, quod Petrus Apoſtolus tam modeſtè de ſceleſtiſſimo proditore loquitur: neq; enim Iudam vocat latronem, proditorem, ſceleſtum, vel tale quid atrocius: ſed tantùm vocat ducem eorum, qui Ieſum comprehenderunt. Nos porrò non ſic modeſtè: ſed ſimulatque in mentionem alicuius flagitioſi venimus, nihil non contumeliarum in illum iacimus, non quidem emendandi ſtudio, ſed nefandiſſimo odio, &c. Sed hac de re aliàs opportunius admonebimus. Anne tempus eſt, dicet aliquis, tandẽ ad Prophetæ verba progredi? Accipite prius quæ de Iuda Petrus dicat: Fuit, inquit, dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum. *Qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius.* Hoc addit Petrus non ſolùm vt oſtendat de quo Iuda loquatur: (nam

erant fortè & alij eius nominis in turba miniſtrorũ, qui comprehenderunt Ieſum) ſed etiam vt declaret Iudam nullam habuiſſe cauſſam ſuę proditionis, vt qui ſummo & honorifico apud Dominũ fuerit loco, non ex numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum, ſed duodecim Apoſtolis connumeratus, & eiuſdem miniſterij cum illis particeps. Connumeratus erat in nobis, ex noſtro collegio erat, non alienus à Chriſto. Et ſortitus eſt ſortem miniſterij huius. Obſerua hoc loci quo nomine Petrus Apoſtolatum inſignire voluerit. Non vocat præeminentem poteſtatem, quod tamen non iniuria feciſſet, ſed vocat miniſterium. Hinc & D. Paulus in Corinthiis inquit: Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorũ Dei. Rectè ergo, nec immeritò ſe agnoſcunt eſſe ſeruos ſeruorũ Dei, qui in Eccleſiaſtica republica, aliqua funguntur poteſtate. Sed curandum eſt ne eius lingua ſe fateatur ſeruum, cuius tamen animus arrogãti ſpiritu mallet audiri Dominus. Vereor enim multi ſint, qui ſe vicarios Apoſtolorum iactitant, quibus tamen illorum ſubmiſſio & humilitas non vſque adeò placet. Rurſum etiam non deſunt, qui ſeruos cupiunt, ſed ipſis mercedem ſoluere renuunt. Obſeruandum item quod Apoſtolus ob Iudæ malitiam non vult contemni Apoſtolatum. Scimus enim dum hoc in mundo ſumus, nihil ex omni parte beatum eſſe. Et ea eſt Dei bonitas, vt malorum improbitate, in bonum ſuorum electorũ vtatur: & quum ipſe malum inter ſuos Apoſtolos ſuſtinet, edocuit ne & nos ob improbitatem malorum, nos à collegio bonorum ſcindamus. Quod vtinam illi, qui in Eccleſia nobis tantas turbas dederunt, iam olim meminiſſent. Certè mali tibi nocere non poſſunt, niſi illorũ improbè facta laudaueris: & tu illis cõmodare potes, ſi tua patientia illos ad pœnitentiã, & ad agnitionem ſuorum peccatorum perducere laboraueris. Sed hæc hactenus. Sequitur in oratione Petri de Iuda: *Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Tria hic ponit quæ circa Iudam contigerunt. Primò, inquit, poſſedit agrum de mercede iniquitatis. Quid hoc eſt dicere? quomodo potuit Iudas poſſidere agrum, cùm ſtatim, poſtquàm cõtra Do-

minum lata fuerat mortis ſentẽtia, ipſe laqueo ſeſe confecerit? Nec putandum eſt, quòd agrum hunc ante proditionem poſſederit, quum ille fuerit figuli cuiuſdam. Sic ergo intelligẽda ſunt verba Petri, quum dicit: Iudas poſſedit agrum de mercede iniquitatis, vt ſciamus agrum illum emptum precio, quod Iudas iniquè à ſummis ſacerdotibus acceperat: ideóq; agrum illum iam non habere nomẽ à priore poſſeſſore, figulo ſcilicet, ſed à Iuda proditore. Huius enim iam ager dicitur non illius, quod nos vulgata lingua diceremus: **Der ſchelmẽ acker gehört Judas zů.** Sic nihil difficultatis habebit pręſens locus. Secũdò addit Petrus, quòd Iudas ſuſpẽſus crepuerit medius: & addit tertiò, quòd diffuſa ſint omnia viſcera illi⁹: quibus verbis aperit, Iudam tantũ nefas, proditionis ſcilicet ſuę, non impunè tuliſſe: ſed infelici morte vitam finiiſſe, hoc quod etiã Matthęus in Euangelio ſuo indicat, dicens: Vidẽs Iudas qui eum tradidit, quòd dãnatus eſſet Ieſus, pœnitentia ductus, retulit triginta argẽteos principibus ſacerdotũ & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtũ. At illi dixerũt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in tẽplo, receſſit: & abiens laqueo ſe ſuſpẽdit. Hactenus Matthæus: *Et notum factũ eſt omnibus habitantibus Hieruſalem: ita vt appellaretur ager ille lingua eorum Aceldema, hoc eſt, ager ſanguinis.* Quę de Iuda dico, inquit Petrus, non omninò noua vel occulta ſunt. Palàm enim in Hieruſalem hoc euulgatũ eſt, quòd ager ille emptus eſt, non ex benè parto aliquo precio, ſed ex precio ſanguinis: ex precio, inquã, quod ſummi ſacerdotes Iudæ tradiderant, vt proderet ipſis Ieſum, quod etiam fecit. Verùm poſteà pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos ad eos, à quibus illos acceperat. Iſti ergo agrum illum ſanguinis, pro iniqua illa, & ſanguinaria pecunia emerunt. Obſerua hîc prudentiam Petri, qui omnẽ proditionis culpã in Iudam reiicit, non in eos, qui pecuniis hanc proditionem à Iuda redemerant. Poſtea verò dum ſacerdotes, Scribę & Phariſæi ipſos Apoſtolos prohibebant à prædicando Chriſto, tum tandẽ audacter ipſis exprobrat Petrus impiam ipſorũ crudelitatẽ. Adde & hoc, quòd ſummi ſacerdotes, & alij qui agrum illũ emerant, hac emptione ſibi æternam impietatis notam inuſſerũt,

quocunque tandem conſilio ipſi illud inſtituerint. Neque enim poteſt vlla eius agni mentio fieri, niſi etiam ſuccurrat impia illa negotiatio, qua illi hanc impietatem à Iuda redemerunt. Sequitur in Luca, aut potius in diui Petri oratione. *Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea, & Epiſcopatum eius accipiat alter.* Hæc tandem ſunt verba illa quæ Petrus teſtatus eſt ſpiritũ ſanctum prędixiſſe de Iuda proditore per os Dauid: & in priori quidẽ Pſalmo docet, Iudã caſurum de dignitate ſua: in ſecundo verò verſu teſtatur aliũ quendã ſufficiendũ eſſe in ſanctũ illũ Iudæ locum, hoc eſt reliquis vndecim Apoſtolis cooptandũ. Obſeruandũ tamen, quòd vterque Pſalmis vniuerſam Iudæorũ improbã gentem notat, quæ de gradu ſuo, & dignitate ſua deiicienda prædicantur, eò quòd maledictionẽ potiùs elegerunt, quàm benedictionẽ, maluerunt Barrabã, quàm Chriſtũ. Et in Iudæorũ ſortem vocandas eſſe Gentes, alius Pſalmus teſtatur: Quoniam verò Iudas ille proditor, dux fuit eorũ, qui cõprehenderunt Ieſum, & quaſi primus in populo Iudæorũ, qui ſe Chriſti beneficio indignũ fecit, non immeritò diuus Petrus hoc, quod de reliquis impiis Iudæis dictũ fuerat, etiã in Iudã quadrare teſtatur. In Iuda ſiquidẽ quaſi adumbratur, & præfiguratur, quid futurũ ſit de reliquo Iudæorum populo, qui Chriſtum à ſe eſſent reiecturi. Amiſit infelix Iudas locum Apoſtolici muneris: itidẽ colletur olim tẽplum, ſacerdotium, ſcribarum item, & phariſæorum auctoritas vnà cum ipſis. In locum Iudæ proditoris, ſuccedet Matthias germanus Chriſti diſcipulus. Sic expellentur & Iudæi impij, & ſuccedent in horum locum veri Iudæi, qui mente circumciſi, non corpore, Meſſiam amplectentur, quem illi crucifixerunt. Hoc etiam impiis Iudæis à Chriſto prædictum fuerat in Euãgeliis: Ecce, inquit, relinquetur vobis dom' veſtra deſerta. Et alibi: Dico vobis, quia multi ab oriẽte & occidẽte veniẽt, & recũbẽt cũ Abrahã, Iſaac, & Iacob, in regno Dei: filij verò regni eiicientur foras. Hoc quàm verùm ſit in progreſſu Apoſtolicæ hiſtoriæ audiemus. Neque enim poteſt non verum eſſe, quod ſpiritus ſanct' per os Dauid prædixerat: imò nõ poteſt nõ

Pſal. 68.
Pſal. 108.
Matth. 23.

Quomodo intelligendum ſcripturas noſtra impleri malitia.

verum eſſe, quod veritas ipſa teſtificata eſt. Neque tamen putandum eſt vel Iudam, vel reliquos impios Iudæos, aut non peccaſſe, aut facilius peccaſſe, aut etiam peccare coactos fuiſſe, ne ſcilicet ſcriptura non impleretur, néue Deus mendacij argueretur. Non ſic eſt, non ſic ô boni: Deus non vult iniquitatem, neque quemquam ad peccandum compellit. Et prophetarum oracula non dederunt peccandi cauſſam Iudæis, quaſi iſti tantum peccare cogantur, ne illi mendaces eſſe arguantur: ſed prophetæ quidem præuidentes facta hominum antequam fiant, futura eſſe certò prænuntiant: dum ergo homines poſtea ea faciunt, quæ illi futura prædixerunt, teſtantur prophetas eſſe veraces. Non enim prophetarum verba ſunt cauſſa malefactorum, ſed hæc illorum cauſſa ſunt. Siquidem prophetæ proprium eſt videre futura, nec falli: cæterùm actionum ſuarum, quẽadmodum Athanaſius inquit, cauſſam ſuã quiſque voluntatem habet. Et quemadmodum nos conſpicientes aliquid quod ſub oculis noſtris ſit, videndo non fallimur, nec aliter videmus quàm ſit, ſed quemadmodum ſit, ita videmus: ſic & prophetæ futura tanquam præſentia videbant, & quæ videbant, fieri erat neceſſe, omniáque quæ fiebant, omnino videre oportebat. Et rurſum: quemadmodum nos, quæ videmus oculis, omninò neceſſe eſt vt ſint, (ſiquidem ea quæ ſunt, videmus) nec poteſt aliter fieri quàm vt videmus: ſic & prophetæ quæ præuidebant, oportebat omninò eſſe, nec aliter fieri poterant, quàm quemadmodum præuiderant. Nã ſi futura non præuidiſſent, non iam fuiſſent prophetæ: nec quia aliqua dicunt, ideò fiunt: ſed quia futura ſunt, ceu diximus, ideo prædicunt, neceſſeque eſt non mentiri prophetas: vident enim verè. Quoniam igitur ſpiritus ſanctus certò nouerat, in quam impietatem prolapſurus eſſet Iudas, & reliquus Iudæorum populus: ideo ante multos annorum centenarios per os Dauid prædixit. Et quoniam ſpiritus ſanctus in ſua præſcientia falli non poteſt, ideo certum erat Iudam & Iudæorum incredulum populum Chriſto contradicturũ. Sed hæc hactenus: nam in ſequentibus rurſum hac de re nobis erit loquendum. Nihil reliquum eſt quod de Da-

uidis cantionibus, aut potiùs imprecationibus dicamus, niſi vt admoneamus eos, qui Apoſtolico funguntur munere, vt exemplo Iudæ cautiores fiant, ſicque ſuum adminiſtrent officium, vt digni ſint, qui in multos annos Eccleſiæ Chriſti curam agant. Sequitur in concione Petri. *Oportet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis*. Manifeſtum eſt ex priori libro Lucæ noſtri, Ieſum Chriſtum dominum noſtrum non tantum duodecim elegiſſe Apoſtolos, ſed etiam alios ſeptuaginta duos diſcipulos, quos miſerat binos & binos in omnem ciuitatem & locum, quò ipſe erat venturus. Iſti ergo ſeptuaginta duo diſcipuli, poſt paſſionem domini rurſum ſe receperant ad Apoſtolos, primarios Chriſti diſcipulos, vt qui & ipſi geſtorum domini non erant ignari. Hinc ergo inquit Petrus, quòd cum illis fuerint omni tempore, quo Ieſus conuerſatus fuit cum illis ſtatim à Ioannis baptiſmate. Nam quæ Chriſtus antequam à Ioanne baptizaretur, egerit, compertum non eſt, niſi quæ Lucas dicit illum in templo egiſſe, quum factus eſſet annorum duodecim. Igitur poſtquam Petrus oſtenderat de Iuda iam actum eſſe, hoc quod ſcriptura iam olim futurum eſſe prædixerat, docet quomodo res inſtituenda ſit, vt alius in illius locum ſufficiatur. Non eſt æquum, inquit, vt alienum à noſtra congregatione ordinemus, ſed oportet vt vnus eligatur qui geſtorum domini notitiam habeat: Neminem igitur reperire licebit talem, niſi ex horum numero, qui hactenus à baptiſmate Ioannis nobiſcũ fuerunt. Et quiſquis tandẽ ille fuerit, in hoc eligetur, vt nobiſcum teſtificetur de reſurrectione Chriſti. Duo igitur hoc in loco proponit diuus Petrus: primum qualis ordinandus ſit ad tam ſublime officium: Secundò quid ipſum facere oporteat, cui hoc minus fuerit concreditum: Nos de vtroque nonnihil dicemus, & primò quidem de electione, hoc eſt, qualis eſſe debeat, qui præficiendus eſt ouibus Chriſti: nã in hac Petri concione audimus, nihil in hoc negocio temerè inſtituẽdũ eſſe. Oportet, inquit

Petrus, vnũ ex his eligere, qui nobiſcũ fuerunt toto tẽpore, quo nobiſcum conuerſatus eſt Chriſtus Ieſus, hoc eſt, neque æquum, neque cõmodũ eſt, vt aliquem nobis cooptemus, qui geſtorũ Chriſti nullã cognitionẽ habeat, vel ab aliis tantum quaſi per manus acceperit: ſed neceſſe eſt vt talis præficiatur, qui oculatus fuerit teſtis omniũ, de quibus illi apud vniuerſum populũ dicendum eſt. Sic & diuus Paulus non vult Neophytũ in Epiſcopũ eligi, & addit rationẽ: Ne elatus, inquit, fiat, & incidat in laqueũ diaboli. Sunt & alia multa, quæ requirit diuus Paulus in eligendo Epiſcopo, de quibus in Epiſtolis ad Timotheũ & Titũ ſuo loco & tẽpore abundè diximus: nec puto neceſſariũ, vel vtile ſuper hoc negotio diſputationẽ prolixiorem inſtituere. Deſunt enim quos hæc res concernit. Hoc autẽ dico, nullã eſſe aliã cauſſam huius tumultus in Eccleſia, quàm quòd Epiſcoporũ & paſtorũ ordinationes illegitimè hactenus, ne dicã impiè etiã inſtitutæ ſunt. Electi ſunt (vereor ne & adhuc eligantur) Epiſcopi, qui nunquã vel per ſomniũ cogitarunt, quid veros Epiſcopos deceat. Et iſti ne non ſimiles haberent labra lactucas, elegerunt & conſecrarunt ſacerdotes ad ſtiuã quàm ad altare aptiores. Atqui non poteſt meliori cõpendio Eccleſiæ ſuccurri, niſi illi præficiantur, qui ſunt quod audiunt, nimirũ veri Epiſcopi. In primitiua Eccleſia nemo eligebatur, niſi præſenti omni populo, cui eligendus præficiendus erat: & electio quidẽ penes plebẽ fuerat, confirmatio autẽ penes Epiſcopũ. Hinc eſt quod diuus Paulus inquit ad Titũ: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Ex his Apoſtoli verbis liquet, penes quos fuerit presbyteros confirmare. Pòſt delatũ eſt omne hoc negotiũ ad certas quaſdã perſonas, hoc eſt ad doctos & pios viros, qui nomine vniuerſæ plebis Eccleſiis idoneos præficerent paſtores: noſtro verò ſæculo quàm præpoſterè omnia fiãt, deplorare poſſumus, emẽdare non poſſumus. Sed fortè indigniores ſunt oues, quàm vt mereantur pios & fidos habere paſtores. Sed hæc hactenus. In hanc enim querulationem nos deduxit Petri factum, qui de ſufficiendo in locum Iudæ:

Apoſtolo, vniuerſum negotium ad cœtum fidelium refert: ſic tamen vt ipſe tanquam ſupremus paſtor plebi fideli deſcribatur, qualemnam paſtorem eligere debeant, & quid ipſum facere oporteat. Addit enim diuus Petrus: Oportet vnum ex his teſtem fieri reſurrectionis Chriſti. An nihil aliquid amplius? an non etiam natiuitatis, prædicationis, miraculorum operationis, paſſionis, mortis, aſcenſionis, & omnium quæ dixit & fecit? Videmus enim Apoſtolos de omnibus his prædicaſſe, & homines inſtituiſſe. Quid igitur ſibi vult Petrus cum vnico illo reſurrectionis articulo? Accipite cauſſam eius rei inter multas, ni fallor, præcipuam. Quiſquis certò credit Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, huic nihil tam magnificum dici poteſt de Chriſto, quòd non etiam ſit crediturus. Addam: Quòd ſi Chriſtus non reſurrexiſſet (loquar verbis Paulinis) inanis eſſet fides veſtra, inanis eſſet & prædicatio noſtra. Non magnum erat Iudæis, ſi quis diceret Chriſtum verum hominem eſſe: nam hoc ipſum in factis & verbis Chriſti viderant. Voca ſi libet, Chriſtum filium Dei: & hoc nomine appellati ſunt etiam alij, ad quos ſermo Dei factus eſt: ſic enim alibi loquitur Chriſtus. Sed enumeras turbam miraculorum? Quid tum? nunquid Moſes, & reliquus prophetarum chorus miraculis claruerunt? ſed mortuum propria virtute reuixiſſe, reſurrexiſſe, à reſurrectione tam multis argumentis ſe verè viuum exhibuiſſe, de nemine, niſi de ſolo Chriſto verè dixeris. Iam ſi perſuaſum tibi eſt, Chriſtum verè, & propria virtute à mortuis reſurrexiſſe, reliqua quæ de illo dicuntur non difficilè credes. Non reſurrexiſſet, niſi mortuus fuiſſet: nec mortuus fuiſſet, niſi fuiſſet & homo. Nec difficile ille operabitur miracula, qui ſuapte virtute mortem vicit. Nec incredibile eſt eum ſuſcitaſſe reliquos mortuos, de quibus dicit Euangelium, qui ſemetipſum reſuſcitare potuit. Qui autem hæc omnia poteſt, quomodo non creditur eſſe vnigenitus Dei filius? Vides ergo qua ratione Petrus ſolius reſurrectionis mentionem fecerit. Sed dicet

aliquis, Quid neceſſe erat vnum eligere ex multis, qui teſtis eſſet Chriſti reſurrectionis, quum tam multi fuerint, qui idipſum verè teſtari potuiſſent? Non iam loquor de numero, quem hîc deſcribit Lucas, ſed de illo, cuius meminit Paulus, cùm dicit Chriſtum apparuiſſe à ſui reſurrectione, plus quàm quingentis fratribus. Audi obſecro: non omnium eſt de Chriſto teſtificari, ſed eorum qui ad hoc legitimè vocantur, & qui legitimè vocati ſunt, auctoritatē habent, & fide digni ſunt. Non occultum eſt, quod alibi dominus in prophetis

Hiere. 23. conqueritur de falſis prophetis, inquiens. Non mittebam prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Et in Euangelio, ille qui ſemet ingerebat ad Chriſtum, inquiens, domine ſequar te quocunque ieris: ille, inquam, repulſus eſt. Et

Hebræo. 3. diuus Paulus, inquit, Nemo ſibi ſumat honorem, niſi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Certè honore videtur indignus, qui per arrogantiam ambit dignitatem: & parum idoneus eſt ad functionem, qui ſemet ingerit. Multi haud dubiè fuerant in cœtu fidelium, viri ſanctimonia & eruditione inſignes, ſed nemo ſemetipſum ingeſſit; & multi fortè ſunt, qui etiam poſſent verbum Dei cum fructu prædicare: ſed Eccleſiæ conſenſus per ſuos miniſtros mihi hanc delegauit prouinciam. Maneat igitur quiſque in vocatione ſua, vt omnia, iuxta quod Paulus admonet, ordine & honeſtè fiant in Eccleſia. Sed audiamus quid poſt Petri adhortationem factum ſit. *Et ſtatuerunt duos, Ioſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Matthiā.* Quantus fuerit diſcipulorum numerus in hoc conuentu, in ſuperioribus auditum eſt: videlicet fuiſſe centum viginti homines. Cùm igitur in hoc ſancto choro diuus Petrus ſuam finiſſet orationem, in qua hoc egerat, vt alius bonus vir ſubſtitueretur in locum mali nebulonis Iudæ, annuerunt omnes, & ſtatuerunt, hoc eſt certò deſignarunt (nimirum Apoſtoli) duos inſignes viros, & quos proculdubiò meliores cæteris putauerunt. Et alter quidem, nimirum Ioſeph, ſatis hîc commendatur, vt cui ob inſignem morum probitatem additum fuerit cognomen ſatis magnificum, ſcilicet vt vocaretur Io-

ſeph

ſeph Iuſtus: alter verò ſatis cõmendabitur, dum tam ſancto homini à Deo præfertur. Hos igitur duos, Apoſtoli populo eligendos propoſuerũt, vt ex his duobus quos æquabat religio, vter magis placuiſſet cœtui ſancto, is ſuſciperet Apoſtoli munus. Cognouerunt enim Apoſtoli æqualibus exemplis, Ioſeph & Matthiam pares eſſe, vnde meritò cæteris anteferrentur: alterum verò præferre alteri, non hominum erat, ſed Dei. Hoc loco non negligendum eſt, quod ad inſtitutum noſtrum maximè videtur facere. In verbis Petri didicimus, viros doctos & rerum Theologicarũm gnaros in Apoſtolatum eligendos: in factis verò Petri diſcimus, non ſolùm diſpiciendum, vt ordinãdi docti ſint, ſed etiam bonæ vitę, & morum integritate conſpicui. Auditum enim fuit in ſuperioribus, quòd Petrus dixerit vnum aliquem eſſe eligendum, qui cum ipſis aliquandiu conuerſatus fuiſſet: iam verò duos in medio ponit, qui pietate magna inſignes eſſe noſcuntur. Hinc Paulus primò vult habere epiſcopum irreprehenſibilem, dein etiam docibilem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potẽs ſit exhortari doctrina ſacra, & eos qui contradicunt, arguere, &c. Quia ſi Epiſcopus tantùm ſit in ſancta vita; ſibi poteſt prodeſſe ſic viuens: porrò ſi & doctrina & ſermone fuerit eruditus, poteſt ſe cæterosq; inſtruere: & non ſolùm inſtruere & docere ſuos, ſed etiam aduerſarios repercutere, qui niſi refutati fuerint atque conuicti, facilè queunt ſimplicium corda peruertere. Sed hęc hactenus. De Ioſepho & Matthia nihil certi habemus cuiates fuerint. Communis opinio habet ambos fuiſſe ex collegio ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quod etiam antiquiſſimus Scriptor Epiphanius teſtatur Tom. 1. libro primo, &c. Qui peregrinarum linguarum cognitione à Deo donati ſunt, horum Apoſtolorum nominum etymologias doctè & piè diſcutiunt. Ioſeph enim illis ſignificat eum qui additus eſt, ſiue qui addi: & vtrumque Ioſepho noſtro optimè conuenit, vt qui Chriſti diſcipulis additus eſt, & ipſe reliquis ſuis virtutibus etiam alias & præclariores addidit. Barſabas verò interpretatur filius conuerſionis, quod ipſum in Barſaba impletum eſſe, nemo dubitat. Nam ipſe à peccatis

conuerſus eſt ad virtutes, à mundo ad Chriſtum, & multis, vt id ipſum facerent, cauſſam dedit. Nam licèt in Apoſtolum ſuſceptus non fuerit, Deo ſic volente: tamen non dubitamus, quin doctrina & vitæ ſanctimonia, miraculorum item operationibus, multos ad fidem Chriſti conuerterit. Quo ad pietatem attinet, nõ opus eſt longa probatione, quum ob illam ipſam, ceu diximus, Iuſti cognomen acceperit. De miraculis illius hoc teſtatur antiquiſſimus Scriptor Papias, (ſic enim refert Euſebius in Eccleſiaſtica ſua hiſtoria,) quod Barſabas hic venenum biberit, & nihil ex hoc triſte pertulerit propter Domini fidem. Reliquum eſt, vt etiam de Matthia dicamus, quẽ interpretantur Donatum, nimirum à Domino Eccleſiæ ſuæ, ſicut iam ſtatim audiemus. Sic enim ſequitur:

Lib. 3. ca. 39

Et orantes dixerunt: Tu domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum miniſterij huius & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum.

Statuerunt quidem Apoſtoli duos ex diſcipulis, quos putabant nec indignos, nec ineptos tanto miniſterio: ſed quoniam homines, & qui in faciem tantum aliorum vident, facilè falli poſſunt, Deus autẽ, qui ſcrutator eſt cordiũ omnia nouit, huiuſque hîc negotium agitur: ideo de prudentia ſua ipſorum diffiſi, vertunt ſe ad precandũ, illum rogando, vt ſigno externo nimirum teſtatum faciat, quem velit tam ſanctam ſubire prouinciam. Aiunt itaque: O Domine qui noſti omnium corda, &c. Senſus apertus eſt & oratio quidem breuis, ſed docta, & prudenter diſpoſita. Dirigunt enim orationem ad Dominum, vt in cuius miniſterium aliquis eligendus fuerat. Addunt Dominum omnium corda noſſe: vnde etiam à nemine falli poteſt. Tertiò nihil dubitant quin ſuum ipſorum inſtitutum Domino placeat: vnde etiam rogant Dominum, vt velit oſtendere, non quem eligat ex omni multitudine, ſed vtrum ex his duobus deſignatis. Certò enim credunt inſtitutum ſuum ſine certo Dei conſilio non eſſe factum. Quin & hoc obſeruandum, quod dicunt: Oſtende quem elegeris, non quem eligere velis. Nam quoniam ab æterno præſciuit Iudam præuaricaturum, ab æterno etiam elegit, qui in ipſius lo-

cum eſſet ſucceſſurus. Quid autem oportet electum facere? accipere locum miniſterij huius & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas: Miniſter, inquit, futurus eſt, non Dominus, & Apoſtolatum accipiet, de quo Iudas ſuapte malicia cecidit. Obſeruandum etiam hoc in loco, quòd Apoſtoli in eo, quo Dominum rogant pro electione noui Apoſtoli, rectè imitantur exemplum Chriſti ſui, immò & eius faciunt mandatum. Chriſtus ſiquidem ipſe ordinaturus Apoſtolos pernoctauit in oratione. Et dein dicebat ad Apoſtolos: Meſſis quidem multa, operarij verò pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, vt extrudat operarios in meſſem ſuam, &c. Et exemplum hoc imitandum fuerat in omnium grauiſſimo negotio inſtituendo, in ordinandis paſtoribus, in creandis magiſtratibus, in ineũdo matrimonio, & eius generis reliquis negotiis. Certè prudenter aggrediendum eſt, quòd, quum ſemel fuerit factum, reſcindi non poteſt. Sed hæc aliàs: quæ ſequuntur videamus.

Et dederunt ſortes, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.

Quale hoc genus ſortiendi fuerit, hoc eſt, quibus mediis ſiue inſtrumentis factum, ex hoc loco non conſtat. Scimus autem ex veteris Teſtamenti hiſtoriis, apud Iudæos frequentiſſimo in vſu fuiſſe hoc genus ſortiendi: Sic tribubus Iſraël diuiditur terra Canaan in hæreditatem per ſortes, & Spiritus ſanctus vocat eam diuiſionem Domini: Sic ſors mittitur in Leuitico ſuper duos hircos, & ſors quæ ceciderit ſuper alterum hircum immolandum, ea Domino cecidiſſe dicitur: Sic in expugnatione Hiericho Ioſue per medium ſortis deprehendit Acham, qui de anathemate furto rapuerat: Sic tandem deprehenſus eſt Ionathas à patre ſuo, cùm inſcius paterni iuramenti fauum mellis guſtaſſet: Adde quòd etiam Ionas ſorte deprehenſus eſt is eſſe, propter quem mare ſic intumuerit, tantaque tempeſtate nautas illos perculerit. Vnde ex omnium hiſtoria ſacra compertum eſt, ſortiendi hoc inſtitutum celeberrimum apud veteres fuiſſe. Igitur quum etiam diui Apoſtoli iam hærerent, vter vtri præferendus eſſet, ſicut paulò antè

diximus,precatione præmiſſa,ſortem patrio more videlicet mittunt, & ſors dedit Matthiam ſufficiendum eſſe in Iudæ Apoſtolatum:nec dubium eſt quin hoc ſic ordinatum ſit à Domino,quemadmodum ſcriptum eſt:In ſinum deiiciuntur ſortes, at à Deo iudicium earum proficiſcitur. Diſputant autem hîc doctores an hodie liceat mittere ſortem?Et dicunt non licere,nec Ionæ,nec Apoſtolorum exemplo, eo quod dolo & aſtutia ſæpè res geratur,& quod interdum non Deo,ſed neſcio cui fortunę fidatur, quod manifeſtiſſima idolatria eſt. Ego pauciſſimis ſententiam meam interponam. Quiſquis eo nomine ſortem mittit,& eo animo quo Apoſtoli, hoc eſt, vt Dei honos quæratur,& illi omnia aſcribantur, omniaque ſancta & iuſta ab illo exſpectentur, is inquam, qui ſic ſortem mittit, non peccat. Et hoc putamus locum habere tam in ſpiritualibus, quàm in externis & ſæcularibus negotiis. Adiicimus & hoc, Apoſtolos hac ſortis miſſione non tradidiſſe vſum & modum eligendi miniſtros Eccleſiæ,quaſi ſcilicet non aliter liceat eligere paſtores: ſed potiùs rebus Chriſtianis adhuc perturbatis, noluerunt veterem Iudæorum ſortiendi vſum præter neceſſitatem, & fortè cum multorum offendiculo obmittere. Verùm in electione ſeptem diaconorum, iam nulla fit ſortium mentio, ſicut nec in Paulinis epiſtolis, vbi maximè præſcribit modum eligendi. Nullum itaque peccatum eſt ſortes mittere, vt in creandis magiſtratibus,in diuidendis hæreditatibus. Huc pertinet Scriptura quæ dicit: Contendentes ſors componit, & inter fratres diiudicat. Qui autem ſic ſortem mittunt, perſuaſum habere debent Deo ſic placere quod cadit, debetque ſua ſorte contentus eſſe. Sed hæc plus ſatis. Redimus rurſum ad nouum noſtrum Apoſtolũ Matthiam. Hic Chriſto tanto honore dignus viſus eſt, vtcunque non tanti eſſet hominibus, quanti ipſius collega Barſabas. Alia enim ſunt iudicia hominum, alia Dei. Barſabas ſic placuit piis, vt ob ipſius vitæ integritatem, vulgò vocaretur Ioſeph iuſtus: atqui Matthias, licèt ab hominibus illi poſtponeretur, tamen illi à Domino prælatus eſt. Diſcamus igitur ex hac Matthiæ electione, ne quenquam ideo vel magnificemus vel vituperemus, quod, ab homini-

bus vel magni, vel parui fiat: ſed virtutem, vitæque integritatem amore proſequamur, ſub quacunque tandē veſte lateat. Addam: Vide ne ab hominum pendeas iudicio, ſed potiùs ſic vitam tuam inſtituas, vt placeas Chriſto, cui laus, & gloria in omne æuum.

CAPVT II.

CVM *complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes.*

Hoc ſecundo capite audiemus, quàm fidelis ſit Chriſtus in promiſſis ſuis, & quàm minimè vana ſpe ſuos lactauerit diſcipulos: audiemus, inquam, aduenire promiſſum ſpiritum ſanctū, & huius operationē porrò mirabilē. In prioribus enim audiuimus Chriſtum diſcipulis præcepiſſe, ne Hieroſolymis diſcederēt, ſed expectarent promiſſionem patris, & ait illis: Quia Ioannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini ſpiritu ſancto non poſt multos hos dies. Sed qui ſunt pauci illi dies? quando tandem baptizati ſunt Apoſtoli ſpiritu ſancto? In die Pētecoſtes, hoc eſt, quinquageſimo die à domini reſurrectione. Sed quid eſt quòd in feſto Pentecoſtes miſſus eſt ſpiritus ſanctus? neque enim quemlibet quinquageſimum diem dicit, vel intelligi vult Lucas, ſed eum qui alias Iudæis celeberrimus erat. Nam & Iudæi ſuum diem feſtum habebant, quem Pentecoſtem vocabant, ſicut & nos noſtrū: ſed ratio vtriuſque diuerſa eſt. Sed quid prohibet rationem vtriuſque pauciſſimis exponere? In Leuitico legimus dominum ad Moſen dixiſſe: Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos: cùm ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem, qui eleuabit faſciculum coram domino, vt acceptabile ſit pro vobis altero die Sabbati, & ſanctificabit illum: & poſtquam deſcripſiſſet, quid, & quomodo ſacrificādum eſſet, ſubiungit: Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo *Pentecoſte Iudaica.*

obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis veſtris, &c. Igitur in celebratione ſuæ Pentecoſtes, gratias agebant Iudæi Deo pro felici frugum prouentu, & meritò. Ipſe enim eſt qui dat eſcam omni carni, & in quē oculi omnium ſperant, vt det ipſis eſcam in tempore.

Pſalm.135. *Pſal.144.* Nos porrò dum Pentecoſtes feſtum celebramus, carnalia illa poſthabētes, ſolùm circa ſpiritualia occupamur, nimirum recordantes, quot beneficia, & cæleſtia dona nos (hoc eſt, vniuerſa Chriſti Eccleſia) acceperimus, tum in illo die, tum etiam quot, & quanta identidem præter meritum etiam noſtrum accipimus. Et omninò quidem conuenienter Spiritus ſanctus in hoc feſto miſſus eſt in mundum, vt ſic nihil non eſſet in veteri lege, quòd non ſuam imaginem in nouo haberet. Iudæi, ſicut diximus, primitias frugum offerebant, nam feſtum illud in meſſem incidebat. Ergo & apud nos quoque cùm meſſis eſſet multa, operarij autem pauci, emiſit Dominus ſpiritum ſuum, vt hoc inſtructi diſcipuli, fructū colligerent ex omnibus gentibus, eumque offerrent Domino. In feſto item pentecoſtes, celebrabant Iudæi legiſlationē, hoc eſt, in memoriam reuocabant illum diem, in

Exod.19. quo à Domino legem per Moſen acceperant: & nos in

Ezech.11. Pentecoſte noſtra nouam noui Teſtamenti legem ac-

& 36. cepimus, non quidem ſcriptam in lapideis tabulis, ſicut

2.Corin.3. illi ſuam acceperunt, ſed ſpiritu Dei ſcriptam in cordibus noſtris. Sed non eſt locus hic noua cum veteribus conferre: neceſſaria igitur tantùm, & ea quæ ad explanationem libri huius faciunt, in medium proferemus.

Quare in feſto Pent. Spiritus ſanct⁹ miſſus. Quòd ſi quis roget, quare in feſto Pentecoſtes Spiritus ſanctus miſſus fuerit, præter cæteras cauſſas etiam illam addere poſſumus ideo factum, vt res tam præclara non careret ſuis teſtibus. In feſtiuis ſiquidem diebus, maior populi frequentia confluebat, quàm in reliquis diebus.

Acto.21. Hinc eſt quod in ſequentibus audiemus Paulum Apoſtolum conſueuiſſe in Pentecoſtes feſto Hieroſolymam aſcendere, proculdubio vt in multa meſſe, copioſiorem fructū Chriſti horreo inferre poſſet. Sed audiamus tan-

dem Lucam noſtrum: Dum compleretur, inquit, dies Pentecoſtes, hoc eſt, quinquageſimus à domini reſurrectione, erant omnes diſcipuli Chriſti vnanimiter & pariter in eodem loco, nimirum in cœnaculo illo, cuius in ſuperioribus meminimus. Omnes, inquit, erant in eodem loco. Nemo præ impatientia moræ ſeſe à tam ſancto conſortio alienauerat, niſi Iudas ille traditor, diabolus, & filius perditionis, ſicut ipſum Chriſtus vocat. Erant vnanimiter congregati, hoc eſt, non diſcordes, non alius alium contemnentes, non rixantes, &c. ſed vnanimes & quieti: ſic enim decet diſcipulos Chriſti, vt ſint in eadem domo, hoc eſt, in vna ſancta Catholica Eccleſia, quæ à Paulo Apoſtolo domus Dei, & columna veritatis dicitur. Decet item, vt diſcipuli Chriſti in eadem domo ſint vnanimes, alieni nimirũ à ſchiſmate. Nam ſi vnanimes ſunt, ſed non in vna domo: & ſi diſcordes ſunt, in vna domo, vtrumque peccatum eſt. Neque enim decet Catholicum virum cum hæretico multum habere commercij, ne videatur illi ſubſcribere: ſic nec decet, vt Catholicus cum Catholico aliquo modo diſſideat, vel alius alium contemnat. Sed hæc hactenus. Sequitur in Luca, *Et factus eſt repente de cælo ſonus, &c.* Iam incipiunt ſe mirabilia Dei opera exerere. In proximo eſt ſpiritus ſanctus, ſpiritus paracletus, ſpiritus veritatis, & ad eos contendit, quibus non ita dudum pollicitus fuerat. Factus eſt, inquit, repente, hoc eſt, præter opinionem nemine expectante ſonus de cælo, tanquam aduenientis venti vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Magna opera domini, ait Propheta, exquiſita in omnes voluntates eius. Magnus & vehemens auditur flatus, nec replet ciuitatem Hieroſolymorum, ſed ſolùm eam domum, vbi diſcipuli domini erant ſedentes. Non poteſt excludi, nec poteſt prohiberi talis ventus, omnia permeare poteſt, omnia ſunt illi peruia. Spiritus vbi vult ſpirat, ait alibi Chriſtus, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Spiritus vbi vult, inquã, ſpirat: ſed nõ alibi vult, quàm in hac domo. in hoc cœnaculo, hoc eſt in ipſa Catholica Eccleſia. Nã extra hãc ſpiritus ſanctus nemini datur. Et ſonus quidem hic, die

Ioan. 6. *Ioan. 17.* *1. Tim. 3.* *Pſal. 110.* *Ioan. 3.*

Spiritus ſan ctus in ſola Eccleſia Ca tholica ſpirat. Pentecoſtes totam domum illã repleuit, ſed poſtea exiuit in omnem terram, cùm cæli, hoc eſt Apoſtoli, annũciarent omnia opera Dei in fines vſque orbis terrarum.

Pſal.18. *Et apparuerunt illis diſpartitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſuper ſingulos eorũ: & repleti ſunt omnes ſpiritu ſãcto, & cœperũt loqui variis linguis, prout ſpiritus dabat eloqui illis.*

Rom.10. Iam exponit Lucas quid effecerit repentinus ille ſpiritus ſancti afflatus: vbicunque enim eſt, ſtatim ſe exerit: & licet ignis dicatur (Germanico enim vocabulo dicitur, **Feur. vnd feuret doch nicht**) tamen ociari non poteſt, ſed perpetuo operatur. Vnde etiã repentè adeſt, ſicut diximus, nõ ſolũ vt ſic potẽtiã ſuã declararet, ſed etiam vt amorẽ ſuũ erga Apoſtolos declararet, quo cõpulſus, nõ potuit diutius differre aduentũ ſuũ. Neſcit tarda molimina, ait Ambroſius, ſpiritus ſancti gratia. Hinc de repente adeſt, & replet totã domũ: & hoc quidẽ tũ factũ eſt. Sed quãdo rẽ exactius perpẽderimus, adhuc nõ detrectat ſpiritus ſanctus ſuũ officiũ facere, adhuc replet gratia ſua domũ vniuerſam, hoc eſt, Eccleſiam Catholicã, Chriſti ſcilicet fideles, quorũ nullum ſua deſtituit gratia, ſed ſingulis diſtribuit prout vult, ſicut Apoſtolus dicit, & vnicuique tamẽ ad vtilitatẽ. Sed hæc hactenus. Sequitur verò inſigne miraculũ. Apparẽt linguæ igneæ ſuper capitibus diſcipulorũ, & ſicut paulò antè dictũ eſt totã domũ repletã ſonitu turbinis: ſic iã dicitur Apoſtolos, & diſciqulos omnes repletos eſſe ſpiritu ſancto: quo facto, ſtatim ipſos cœpiſſe loqui variis & peregrinis linguis, nõ quidẽ verbis humana prudentia prolatis, ſed prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis. Vtinã & nobis adſit ſpiritus ille, qui linguã noſtrã dirigat ad digné proferendũ magnalia Dei. Niſi enim lingua noſtra igne ſpiritus ſancti purgata fuerit, & charitate Dei incenſa, non potuerimus loqui, prout decet, magnalia Dei. Sed diſcutienda ſunt ſingula, quoniã omnia & obſeruatione, & admiratione digna ſunt. Apparuerũt, inquit, illis diſpartitæ linguæ, tãquã ignis. Nõ dicit Euãgeliſta quòd Apoſtoli vel diſpartitas, vel igneas linguas habuerint, vel ſuper illis fuerint, ſed quòd hominib⁹ ſic viſum fuerit: neq; enim ſpiritus ſanctus vel ignis, vel lingua eſt: nõ creatura, ſed creator. Nec poſſibile eſt vt mor

Margin notes: *.Cor.12.* (beside "ſtolus dicit"); *Apparent linguæ.* (beside "Dei. Sed diſcutienda")

taliũ oculi, Spiritũ ſanctũ in ſua ſubſtãtia videam*. Vn- *Vide Aug. de Trin. lib. 2. cap. 6.*
de rectè vbiq; additũ eſt. Velut, ne quid ſenſibile de ſpiri
tu ſuſpicareris. Velut igneæ, inquit, & velut flatus. Nec
enim ventus erat ſimpliciter, aliàs creatura eſſet: quod
vel cogitare, blaſphemia eſt. Ac tũ quũ Ioãni deberet in-
noteſcere ſpiritus, velut colũbę ſpecie in caput Chriſti
venit: nũc verò quũ tota multitudo cõuertẽda eſſet ad fi- *Matth. 3.*
dẽ, venit in ſpecie ignis. Quòd ſi iã vacaret rationẽ red-
dere, quare eiuſmodi ſpeciebus innoteſcere voluerit, &
nõ aliis, nihil abſurdi diceremus vtique. In colũbæ ſpe-
cie apparet, quia quoſcũq; afflauerat ſpiritus ſanctus,
verè innocentes & pacificos reddit. Velut ventus adeſt, *Spiritus cur in ſpecie colũbæ apparuit.*
quia corda afflicta & cõcuſſa, tãquã lenis aura rurſum
refocillat. Vnde & ille ait: Cor mũdũ crea in me Deus,
& ſpiritũ rectũ innoua in viſceribus meis. Ne proiicias *In ſpecie venti.*
me à facie tua, & ſpiritũ ſanctũ tuũ ne auferas à me, &c.
In ſpecie ignis apparet, quia quos ſua præſentia digna- *Pſal. 50.*
tur ab omni omniũ peccatorum ſcoria expurgat: hinc *In ſpecie ignis.*
etiã dicimur baptizari nõ ſolũ aqua, ſed ſpiritu ſancto,
& igni. Sed hęc ſuffecerint. Rurſum enim ad literæ ſen- *Matth. 3.*
ſum accedẽdũ eſt. Apparuerũt illis diſpartitæ linguæ, tã
quã ignis. Quare videtur linguæ eſſe diſſectæ? vt ſigni-
ficetur Apoſtolos iã ex monoglottis, futuros polyglot- *Linguæ diſſectæ quare.*
tos: qui enim antea forſan vnã ſolũ callebãt linguã, iam
multarũ Gentiũ linguis loqui nouerãt. Quare autẽ vi-
dentur igneę? vt oſtenderetur illorũ verba ſic penetratu
ra hominum corda, vt nihil illis reſiſtere valeat. Sermo
enim Apoſtolorũ ſpiritu ſanctò accẽſus, auditorũ cor- *Linguæ igneæ.*
da potenter intrat & penetrat, & quidquid impietatis,
vel immũditiæ inuenit, exurendo cõſumit, & corda illa
amore Dei accẽdit, hoc quod in proceſſu huius operis,
ſuo loco audiemus. Hinc eſt, quod de Ioanne dicitur: *Ioan. 5.*
Erat lucerna ardẽs & lucens. Et ad Apoſtolos dominus:
Vos, inquit, eſtis lux mũdi. Quid quod Pſaltes canit, *Matth. 5.*
Ignitũ eloquiũ tuũ vehementer? Rurſum apud Hiere- *Pſal. 118.*
miã loquitur dominus: Nũquid nõ verba mea ſunt qua *Hiere. 23.*
ſi ignis, & quaſi malleus cõterens petrã? Rectè ergo qui
ignea verba loquũtur, igneas linguas habere videntur.
Ignea autẽ verba ſunt, ſicut diximus, quæ corda potẽter
penetrãt, ſcoriã peccati exurũt, & igne diuini amoris ac

cendũt. Neq; poſſent hęc facere linguę Apoſtolorũ, niſi à ſpiritu ſancto eſſent incenſę. Vis audire effectũ ignitæ linguę? Cũ illi duo Apoſtoli audiſſent dominum in via
Luc. 24. Emaũtẽ verſus ſibi ipſis loquẽtẽ, dicebãt: Nónne cor noſtrũ erat ardẽs, dũ loqueretur nobis in via? Sed hęc ſuffecerint de linguis igneis vel paucis delibaſſe. Addit Lucas, quòd linguę igneę apparuerint ſedere ſupra ſingulos eorũ: quo declaratur Apoſtolos nõ ſic accepiſſe ſpiritũ ſanctũ, aut potiùs huius dona ad breue momẽtũ aliquod, ſed quod apud ipſos mãſerit, eóſq; nunquã deſti-
Sederũt linguæ. tuerit. Iã ſequitur effectus donorũ: Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Magna diligentia deſcribit Lucas hãc hiſtoriã, ideóq; nõ grauatè ſingula diligenter diſcutimus. Noluit dicere, acceperũt ſpiritum ſanctũ, ſed ait, repleti ſunt ſpiritu ſancto: ſic enim abũdãtiã & diuitias dono-
Repleti ſpiritu. rũ Dei exponere voluit. Repleti ſunt omnes. Omnes, inquit, nõ hic aut ille, ſed omnes. Anne etiã Petrus abnegator domini ſui? vtiq;. Anne etiã alij qui dominũ captũ reliquerũt? Etiã. Anne etiã Matthias Apoſtolorũ nouiſſimus? nõ ſolũ iſti, ſed omnes repleti ſunt ſpiritu ſancto. Chryſoſtom' putat nõ ſolũ hoc intelligendũ de duodecim Apoſtolis, ſed etiã de Maria matre domini, & omnibus qui in cœnaculo cũ Apoſtolis tũc tẽporis manebãt. Erat autẽ turba hominũ, ſicut ſuprà auditũ eſt, ferè centũ viginti. Sed quid fecerunt Apoſtoli iã donis ſpiritus ſancti perfuſi? cœperũt loqui aliis lĩguis, & variis, prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis. Loquẽdũ fuerat, acceperũt ergo donũ linguarũ. Ad varias orbis nationes proficiſcẽdũ fuerat, opus igitur habẽt varietate linguarũ.
Marc. 16. Et Chriſtus inter alia fidelium ſigna ſiue miracula quæ
Eſa. 28. enumerat, etiã adiicit: Lĩguis loquẽtur nouis. Et in Eſa. inquit propheta de domino: In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populũ iſtũ. Quod poſt aſcenſionẽ domini impletũ eſſe, etiã Paulus 1. Cor. 14. teſtatur. *Erãt autẽ in Hieruſalẽ habitãtes Iudæi viri religioſi, ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. Facta autẽ hac voce, cõuenit multitudo, & mẽte cõfuſa eſt, quoniã audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes.* Mira diſpenſatione ordinat atque diſpenſat Deus operationes ſuas, vt nunquam in vanum fiant, ſed perpetuò habeant teſtes, qui inde proficiant.
Neq. Neque enim putandum eſt ſpiritum ſanctum fortuitò

in Apoſtolos die Pentecoſtes aduenіſſe: ſed ideo factum eſt, ſicut diximus, vt miraculum hoc in conſpectu multorum teſtium fieret, qui quaſi præcurſores Apoſtolorũ, ea quæ viderant, vnuſquiſque apud ſuos euulgaret: ſic enim fiebat, vt Apoſtoli ab aliis nationibus poſtea & deſiderarentur ardentius, & exciperentur humanius. Nam ad feſtum Pentecoſtes, iuxta præſcriptum legis, magna Iudæorum turba veniebat Hieroſolymam, ſicut etiam ad feſtum Paſchæ. Neque enim omnes Iudęi habitabant Hieroſolymis, ſed & in aliis locis, alius prope, alius remotiùs, prout quemque vel captiuitas, vel ſors occupauerat, aut coëgerat. Nec ſolùm Iudæi veniebant ad feſta illa magnifica Iudæorum, ſed aliquando etiam Gentes, hoc quod ex Euangelio Ioãnis facilè probare poſſemus. Igitur quod Lucas hîc dicit Iudęos ex omni natione quę ſub cælo eſt, habitaſſe in Hieruſalem, bifariam intelligi poteſt, videlicet tam de iis, qui poſt varias captiuitates, licèt alibi nati, tamen ſuas ſedes locauerant Hieroſolymis, quàm etiam de his, qui vel ob feſti ſolẽnitatem, vel ſtudiorum gratia Hieroſolymam conuenerant. Addit verò Lucas, non Iudęos illos fuiſſe viros religioſos, quibus fortè indicare voluit, quo nomine iam Hieroſolymam venerint, non ſcilicet animi gratia, ſed ad celebrandam Domini feſtiuitatem. Hi ergo, cùm audiſſent noua quædam, & hactenus mundo inaudita apud contemptos illos Galilæos fieri, omnes ad cœnaculum, in quo diſcipuli Domini erant, concurrunt, viſuri quid fieret, quid ageret. Quum verò iam præſentes rem ſpeculantur, audiunt diſcipulos variis & peregrinis linguis magnifica Dei eloqui, prout illorum linguas Spiritus ſanctus mouebat, prout illorum cordibus ſuggerebat. Quid igitur faciunt ad tam inſuetum miraculũ? Obſtupeſcunt, ignorantes quid facto ſit opus, quid portendat, vnde idiotis, & miſellis piſcatoribus tanta doctrina, tantáque huius proferendæ audacia. Vnde rurſum addit Lucas: *Stupebant autem omnes, & mirabantur adinuicẽ, dicentes: Nonne omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? & quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pam-*

Exod. 23. *Deut. 16.* *Ioan. 12.*

philiam, Ægyptum, & partem Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenē, & aduenæ Romani: Iudæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquētes noſtris linguis magnalia Dei. Rurſum, ſicut diximus, oſtendit Lucas, vnde tanta tantorum hominum admiratio venerit, nimirum quod variis linguis, tanta fiducia, tā ſancta & magnifica de Deo, Dei filio, diſſeruerint, qua de re paulò pòſt. Nōn arbitramur hîc nos operæpretium facturos, diutius hîc immorando in deſcriptione regionum & populorum, qui hîc à Luca enumerantur. Hoc autem non admiratione, ſed deploratione dignum eſt, quòd hi populi omnes ab Apoſtolis ad fidem Chriſtianam conuerſi fuerant, iam verò porrò à fide noſtra defecerint. Hinc & nobis cauēdum, ne aliquando à nobis etiam auferat Dominus regnum Dei, & hoc det Genti facienti fructus eius. Subit forſan rurſum animum tuum admiratio, vndénam tam variæ gentes, & quare Hieroſolymam conuenerint? Paulò ſuprà diximus illos illò veniſſe ob feſti celebritatem. His addimus Hieroſolymis celeberrimam fuiſſe ſcholam, in qua lex diuina cùm ciuibus Hieroſolymitanis, tùm exteris etiam Iudæis fuit lectione publica tradita. Variis enim calamitatibus factum, vt gens Iudaica in omnem penè terrarum orbem diſiecta, Hieroſolymam tamen regni & ſpei ſuæ Metropolim rediret, ſed & ſuos legis cognoſcendæ, diſcendæve gratia mitteret: quemadmodum olim veteres Gentilium ſuos Athenas, nos noſtros Lutetiam, vel Agrippinam Coloniam literarum diſcendarum gratia iam mittimus. Eius rei habebimus euidentiſſimum argumentum inferius cap. 6. Sed hæc ſuffecerint. Non enim multum refert quo nomine Hieroſolymam venerint, ſed hoc inueſtigamus quid his teſtibus ibi factum fuerit, & quid apud eos Apoſtolorum magnificentia profecerit. Profecit autem tantū, vt multi támque docti viri plurimum admirarentur, viros Galilæos tam audacter loqui, & variis linguis loqui, & non vulgaria, ſed inſolita, ſancta, Deóque digna loqui. De ſingulis pauciſſimis diſſeremus. Admirabantur, inquam, peregrini illi populi, quōd Apoſtoli tam audacter, tantáque fiducia loquerentur de Chriſto. Loquebantur enim magnifica Dei, publicè, palàm, multa libertate, nullo timo-

Schola Hieroſolymis.

re, nulla formidine, ſed quaſi Hieroſolymitanorũ principes, prædicant, teſtificantur de Chriſto, hoc quod in concione Petri paulò pòſt audiemus. Hoc enim præter cætera operatus fuerat in illis Spiritus ſanctus, vt timore profligato, iam nihil trepidarent, ſed magna fiducia loquerentur, quæ de Chriſto vera eſſe nouerant. Hęc autem Spiritus ſancti virtus tantò admirabilior apparet in Apoſtolis, quantò penitiùs prior Apoſtolorum affectus, & rerum circunſtantiæ conſiderentur. Nam cùm Chriſtus à Iudæis comprehenderetur, & ad põtifices, & præſides captiuus duceretur, quo animo Apoſtoli affecti fuerunt? Alius præ timore fugiebat, alius præ formidine Chriſtum abnegabat, nullus certè audebat de Chriſto vel mutire. Et Petrus tanta puſillanimitate tenebatur, vt nec coram abiecta ancilla, aut contempto ſeruo, Chriſtum confiteri auſus fuerit. Huc accedit, quod etiã poſt reſurrectionem metus Iudæorum in ſecretum conclaue eos concludebat, & vſque ad hoc tempus vix inter ſe de Chriſto loqui audebant. Iam verò in tanta hominũ frequentia, præſentibus omnibus primoribus Iudæorum, audientibus omnibus doctis, apertè, diſertíſque verbis teſtimonium dant innocentiæ Chriſti, nihil veriti quid tandem de ipſis vel ſentiat, vel ſtatuat mundus, vt planè appareat nouam ipſis virtutem diuinitùs acceſſiſſe: alterum, quare mirabantur populi, erat, quòd audirent Apoſtolos loqui, non tantùm natiua & materna ſua lingua, ſed variis linguis. Nõnne, ecce inquit, omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? & quomodo nos audimus eos vnuſquiſque ſua lingua, in qua nati ſumus? Non intelligendum eſt, quaſi Apoſtoli vnam tantum vocem effudiſſent: multæ verò, & diuerſæ aëris reuerberatione voces auditæ fuiſſent. Hoc enim magis eſſet audientium Iudæorum, quàm loquentium Apoſtolorum miraculum: verùm hoc miraculum, Spiritus ſanctus in Apoſtolorũ linguis, non in Iudęorum auribus operabatur. Igitur nõ vnam vocem aut linguam ſonabant, & diuerſæ ab auditoribus audiebantur & intelligebãtur: ſed cum Hebręis loquebantur Hebraicè, cum Parthis Parthicè, cum Aſiaticis Aſiaticè, cum Romanis Latinè; & omninò cuiuſcunque linguæ aut nationis turbam accedebant, ea lin-

gua magnifica Dei prædicabant. Etenim Chriſtus iam ante ſelegerat maximè omnium duodecim Apoſtolos, qui poſt aſcenſionem eius in cælos vniuerſum orbē terrarum peragrarēt, & nomine ſuo omnes gentes imperio Chriſti ſubiicerent: ſed quia ingentis erat molis, vni regi Chriſto totum terrarum orbem in tot nationes, in tot religiones, in tot philoſophias, in tot opiniones, in tot mores, in tot imperia, & principatus diuerſiſſimos diuiſum ſubiicere, qua obſecro virtute, qua fortitudine Apoſtoli, primùm idiotæ, deinde partim piſcatores, partim publicani, poſtremò omnes indocti, humiles, & abiecti ad expugnandum orbem poſſent ſufficere, niſi tam diuites Spiritus ſancti accepiſſent gratias? Ergo, qui eos elegit vt tanta perficerent, nudos emittere noluit, ſed repleuit eos Spiritu ſancto, dedítque audaciam quæ ſentirent proferendi: dedit donum linguarum, vt ab omnibus intelligi poſſent: dedit itē, vt nihil abſurdi, nihil præter decorū, ſed omnia ſanctè, prudenter, & piè loquerentur: vnde & non immeritò admirātur omnes, quibus datum eſt nouos illos audire Doctores. Erat enim res admiranda, homines idiotas tanta dexteritate poſſe interpretari ſcripturas. Sed hæc aliàs: nam hac de re ſæpiſſimè dabitur nobis occaſio fuſius diſſerendi. *Stupebāt autem omnes, & mirabantur, adinuicem dicentes: Quidnam vult hoc eſſe? Alij autem irridentes, dicebant: Quia muſto ſunt pleni iſti.* Sic fieri ſolet vt ad conſpectum nouarum, & inſolitarum rerum, & ſtupeſcamus, & admiratione capiamur: alij tamen ſic: alij verò aliter, vt quiſque ingenio præditus eſt vel candido, vel malitioſo. Quidam enim ad res inſolitas ſtupent, & præterea nihil cogitant, ſiue illud boni, ſiue mali quid portendat: quidam verò res penitiùs conſiderantes, quæ futura ſint, coniectare cupiunt: alij rurſum omnia in peiorem partem interpretantur. Sic & hoc in loco, quotquot erant viri religioſi, rei nouitate perculſi diſſerebant, dicentes: Quidnam vult hoc eſſe? Quid ſibi vult prodigium hoc? Nihil iſti calumniantur, ſed quæ non intelligunt, quærūt, non grauatim benè monentibus obtemperaturi: hoc enim ſequentia declarabunt: econuerſò, qui iudicij erant iniquioris ac præcipitis, irridentes dicebāt: Muſto expleti ſunt. Videmus hîc

quàm diuerſos auditores habeat Euangelium. Certè hic typus erat rerum futurarum, ſemper, videlicet, fore in Eccleſia viros, qui ſimplici mente non intellecta quærant, illis autem ſe manifeſtaturum Dominum. Rurſus alios futuros, qui omnia diuina contemnant, ac conuiciis inceſſant. Id enim hîc illi etiam faciunt, qui Apoſtolos ebrietatis accuſant, & inſaniæ inſimulant. Et erant quidem Apoſtoli muſto repleti, ſed muſto Euangelicæ gratiæ: non muſto recentis vini, quo in furorē verterentur, ſed muſto ſpiritus, quo in alios & meliores viros cōuerterentur, hoc quod res ipſa clamat. Non iam ſic ſtupent Apoſtoli ad ſcripta Prophetarū, non abnegāt Chriſtum, non latitant in angulis domorum: ſed ſcripturas probè intellectas à ſe, etiam aliis interpretātur, & quod in occulto didicerant, quódque metu occultauerant, nūc proferunt in vulgus. Obliuiſcuntur veteris Iudaiſmi, ac velut iam nati, non meminerunt vitæ ſuperioris, nec recordantur afflictionum, quibus territi Dominum deſeruerant: verùm etiamſi nullis præſidiis ſint inſtructi, nec præſides timent, nec reges, nec carceres, quæ omnia in progreſſu notiora fient. De hac ebrietate loquutus erat Dominus in Euangelio: Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt: ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur, Matt. 9. Qua ſimilitudine prædixerat Chriſtus, Apoſtolos ſuos non perpetuò fore tam rudes, ſed olim fore, vt quæ iam videntur illis grauiſſima, tum ſint iudicaturi eſſe facillima. Verùm diuina hæc non animaduertunt homines iſti iniqui, ſed potiùs calumniantur illos, ebrietatis & furoris inſimulāt, & ex ſe metiuntur omnes. Nec mirū. Non eſt enim diſcipulus ſuper magiſtrū, ſed benè habet, ſi eandem cum magiſtro aleam ſubire cogitur. Quis autē ignorat quoties pari modo calumniati ſunt Chriſtū? Ioan. 10. dicunt de ipſo, dęmoniū habet, & inſanit. Et apud Matthęū exprobrat Iudæis Chriſtus, quod ipſum ebrietatis & leuitatis inſimularint dicētes: Ecce homo epulo, & amicus publicanorum. Sed hæc hactenus. Sic ſolet mūdus eos tractare, qui ipſi præcipuè benè conſultum volunt. Sequitur in cōtextu: *Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocē ſuā,*

& loquutus eſt eis: Viri fratres Iudæi, & qui habitatis Hieruſalem vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia. In Euangelio Ioannis legimus quoſdã blaſphemaſſe Chriſtum, atque de ipſo dixiſſe: Dæmoniũ habet, & inſanit, ſicut etiam paulò antè diximus. Alij verò calũnias & blaſphemias illorum retundebant, dicentes pro Chriſto. Hæc non ſunt verba dæmonium haben tis: Sic & hoc loci, cùm audimus Petrum talem inſtituere orationem, verè poſſumus dicere: Hæc non ſunt verba hominis ebrioſi, ſed ſunt verba ſobrietatis. Et plenus quidem eſt & bene potus, non vino, ſed Spiritu ſancto, quod iam ſuprà admonuimus. Sed accedamus ad ipſum contextum, & ſingula verba, quãtum ipſe Dominus dederit, diſcutiamus. Stans autem Petrus cum vndecim, inquit Lucas, leuauit vocem ſuam, & loquutus eſt eis. Anne hæc omnia admiratione ſunt digniſſima? Vbi timor ille qui Apoſtolos non ſolùm à publico prohibebat, ſed etiam eouſquam exanimabat penè, vt clauſis foribus in vnis ædibus, in cœnaculo illo manerent? Iam omnia nouata ſunt, iam Apoſtoli porrò transformati ſunt, magno timori, magnæq́; trepidationi, magna ſucceſſit confidentia, hoc quod Lucas noſter nobis diſertis verbis ſignificare voluit. Stans, inquiens Petrus, & leuat vocem ſuam. Non eſt puſillanimis, nihil trepidat, ſed agit confidenter, prodit in conſpectum omnium; non apud ſe muſſitat, ſed leuat vocem ſuam, ſic vt ab omnibus poſſit audiri. Et locutus eſt cum eis. Cum quibus? Cum eis quos iam ſuprà enumerauerat Lucas, qui venerant ex omnium natione quæ ſub cælo eſt, cum viris eruditione & prudentia apud mundum clariſſimis, quod certè magni ſpiritus, ingentíſque fiduciæ ſignum eſt. Vnde tanta fiducia piſcatori, idiotæ, & humili, vt tantam multitudinem auderet vel intueri? Sæpè magnis Oratoribus, qui multis vigiliis elucubratam ac meditatam orationẽ adferunt, dicturis apud frequentem populum, aut principes, fugit color, vox faucibus hæret, obſtupeſcit mẽs, præq́; trepidatione ac pudore neſciunt, quid vel primũ, vel poſtremum dicant. Atqui nihil tale videmus in Petro, ſed omnia contrario modo ſeſe habere: vnde ergo

hoc

hoc Petro? Non ex carne & ſanguine, ſed ex dono gratuito Paracleti illius, quem iam olim Chriſtus diſcipulis ſuis pollicitus fuerat. Stans igitur Petrus, ſicut Lucas ait, cum vndecim, &c. Quare addit Lucas, etiam vndecim (Apoſtolos nimirum) Petro aſtitiſſe? nimirum vt declararet non ſolùm Petrum tam confidentem factum, ſed etiam reliquos vndecim ſic immutatos, vt non dubitarint prodire in conſpectum tantorum virorum, tanquam teſtes omnium, quæ à Petro dicebantur. Iam antequam Orationem Petri auſpicamur, neceſſarium videtur prius inueſtigare cauſſas quæ D. Petrum mouerunt, vt illam haberet. Præcipua fortaſſis hæc eſt, qua ſe, ſuóſque vindicaret à calumnia eorum, qui illos ebrietatis inſimulabant, vnde & ſtatim in ipſo exordio ipſum ebrietatis crimen amolitur, ſeque, ſuóſque ab illo purgat: ſed hoc potiùs obſeruandum, quare D. Petrus ad hanc calumniam tacere vel noluerit, vel non debuerit? Rem igitur ſic accipe. Ab omnibus quidem, immò à nemine libenter corripimur, ab illis autem longè grauius ferimus corripi, qui ipſi vt corripiantur, ſunt digniſſimi. Quum igitur Petrus iam increpatoriam inſtitueret orationem, voluit priùs ſe ab intentato purgare crimine, vt poſthac liberius poſſet in illorum calumniatorum mores inuehi. Dein non latebat Petrum aſtutia Satanæ, qua conatur contemptis concionatoribus, etiam miniſterium illorum contemptibile reddere. In hoc enim totus eſt Satan, vt miniſterium verbi aut ſuſpectum, aut omninò contemptum in Eccleſia reddat. Sed audiamus tandem piſcatorem noſtrum, ſua reſonantem verba. Viri Iudæi, inquit, & qui habitatis Hieruſalem vniuerſi. Omnes in vniuerſum alloquitur, quoniam omnes Chriſto adducere cupit. Quotquot hic in ſancta ciuitate eſtis, ſiue ciues, ſiue peregrini, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, audite attentis auribus, & animis verba mea. Iam ſatis ſupérque audiſtis ineptas impiorum Pontificum voces: & tempus & locus poſtulat, vt iam me audiatis. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi (mei confratres, ac Chriſti diſcipuli) ebrij ſunt, neque ego ebrius ſum, quum ſit hora diei tertia. Ab ebrio nihil boni vel certi exſpectes, ſed à nobis talia audietis, qualia ſi acceperitis, poterunt vos ſaluos reddere. Non enim ebrij ſumus, cùm ſit hora diei ter-

Tantũ lucri habet Satanas ex ebrietate, vt hæc nunquã non regnauerit.

tia. Prima defenſionis argumentatio ducta eſt à temporis circumſtantia. Nam matutinum tempus non eſt ſignum, aut occaſio ebrietatis. Tertia iam tantùm eſt diei hora: ergo non eſt veriſimile coapoſtolos meos ebrios eſſe. Sed hæc argumentatio non valeret, ſi illi horas diei noſtro more numeraſſent. Iudæi verò, ſicut quidam verè admonent, Babylonios imitati, horas vnà cum oriente Sole auſpicabantur, adeò vt nunc tertia apud illos nobis vel ad nonam, vel octauam incidat. Addam etiam, ſi nos iam cum Iudæis ab exoriente Sole numeraremus, argumentatio Petri, qua hîc vtitur, nihil valeret. Tantus eſt enim iam vini potorum luxus, tanta inſania, vt non ſolùm veſperi, ſed etiam ſummo manè multos inebrietatos eſſe liceat videre. Quomodo enim manè non ſint ebrij, qui potando, & inebriando, & crapulando noctem diei adiungunt? Sed hæc aliâs. Quid igitur factum eſt, mi Petre, quòd tui confratres, qui hactenus idiotæ ab omnibus habiti ſunt, iam tam magnificè, & variis linguis loquuntur magnalia Dei? *Sed hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Ioel: Et erit in nouiſsimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Ioel 2.

Quis talia exſpectaſſet à rudi piſcatore? Potuiſſet Diuus Petrus dicere, nihil hîc fieri præter opinionem, quum Dominus Ieſus ipſis non ſemel pollicitus fuerit copioſiora Spiritus ſancti dona: ſed parum profeciſſet ſua oratione apud eos, qui de Chriſto nihil adhuc magnificè ſentiebant, vt qui illius turpiſſimam mortem, cuius tamen ignorabant myſterium, in recenti memoria habebant. Primùm igitur viſum eſt Petro, antiquius proferre teſtimonium, & cuius auctoritas ſacroſancta eſſet apud vniuerſos Iudæos. Hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Ioëlem, &c. Nolite, inquit, plurimum mirari, quòd auditis nos idiotas, nouis & variis linguis loqui de magnificis Dei operibus: ſed potiùs cogitate, quòd Dominus Deus hodie præſtitit, quæ iam olim futura eſſe pollicitus fuerat. Scriptum enim eſt in Ioële: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Vult dicere: Apud patres noſtros

vſque ad noſtra tempora pauci inuenti ſunt, quibus Deus prophetiæ donum impertierat, vt Moſes, Prophetarum non magnus chorus, & pauci alij: ſed Dominus per Ioëlem prædixit, in nouiſſimis temporibus, nimirum, quæ ad nos venerunt fore, vt magnus numerus ſit vbique Prophetarum, ſitque dona ſua largius ipſis hominibus donaturus. Vnde non ait, dabo illis & illis hominibus Spiritum ſanctum: ſed ſic potiùs loquitur: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Notate ſingula verba, & intelligite myſteria. Effundam, inquit. Effundere autem non eſt parcè diſpenſantis, ſed copioſè largientis: ſicut & in ſuperioribus dixerat, Baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies: ſignificat ergo copioſiores ſe Spiritus ſancti gratias daturum in nouo teſtamento, quàm in veteri dederit. Dein addit, De ſpiritu meo, non ſpiritum meum. Neque enim diuina ſubſtantia à nobis poteſt circumſcriptiuè comprehendi, ſed conferuntur dona tantum Spiritus ſancti ſecundum menſuram. 1. Cor. 12. Neque aliter intelligendum eſt, etiamſi, quod in multis locis legimus, ſcriptum ſit, Spiritum ſanctum nobis dari: non enim ille in ſua ſubſtantia, ſed illius dona nobis communicantur, hoc quod & in ſuperioribus, ni fallor, admonui. Addit Dominum de ſpiritu ſuo effuſurum ſuper omnem carnem, hoc eſt, non ſolùm ſuper Iudæos, ſed etiam ſuper Gentes, vt, ſicut alibi legit, videat omnis caro ſalutare Dei. In veteri enim teſtamento ſolus Iſraëliticus populus donis Dei triumphabat, paucis aliis admiſſis: at in nouo teſtamẽto, & plurimis, & copioſius omnia elargientur. Hinc Propheta clarius ſe exponit, inquiens: Et prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt, hoc eſt omnes, ſiue ex omnibus aliqui vera, ac viua Dei cognitione donabuntur. Licet enim hîc tria nomina ponantur, prophetia, viſio, & ſomnium: tamen eandem habent interpretationem, ſicut ex veteri lege manifeſtum eſt. Prophetia eſt, quando Deus cordi indit eam vim, vt poſſit aut prædicere futura, aut interpretari ſcripturas, quemadmodum Moſi, & cæteris Prophetis datum eſt: & in nouo teſtamento Apoſtolis, ſicut ex ipſorum ſcriptis manifeſtum eſt. Et Chriſtus Apoſtolis dixerat, Spiritum

ſanctum ipſis prædicturum, quæ ventura eſſent. Viſio eſt, quando Deus per aliquam viſionem aliquid reuelat, vt in ſequentibus videbimus exempla in Petro & Paulo, item in Apocalypſi: In veteri teſtamento habes apud Ezechielem & alios, viſionum multa & varia exempla. Tertiò ſomnium eſt, quando Deus aliquid reuelat in ſomnio, vt exẽplum eſt in Ioſeph, Iacob, Daniele, & nonnullis aliis. Per hos enim tres modos loquutus eſt Deus ſuis amicis. Vnde eſt quod Apoſtolus ſcribit: Multifariam multíſque modis olim locutus eſt Deus patribus noſtris in Prophetis, &c.

Nume.12. Huc pertinet quod Dominus in Numeris loquitur: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum, &c. Et eiuſmodi dona frequentiora fuerunt in primitiua Eccleſia, quàm nunc ſunt: nec eſt ea illorum neceſſitas iam, quæ tum erat. Habuit præſens ſæculum etiam ſomniatores, & pneumaticos ſuos Anabaptiſtas: ſed illi ipſi ſuis verbis, & factis ſatis declarârunt, quo ſpiritu agitati, viſiones & ſomnia illa habuerunt. Certè Spiritus ſanctus nunquam docebit per viſiones vel ſomnia, quæ apertis, & certiſſimis ſcripturis pugnare certum eſt: eſt enim ſpiritus veritatis, vnde quæ vel vana, vel falſa ſunt, nunquam præſcribet. Hæc autem non in hoc dicta velim, quaſi non ſoleat vel adhuc Spiritus ſanctus dona ſua nobis Chriſtianis impartiri: ſed volo ne omnium ſpiritui credamus, ſed potiùs probemus ſpiritus, an ex Deo ſint. Sed videamus ſequentia. *Et quidem ſuper ſeruos meos, & ancillas meas in diebus illis effundam de ſpiritu meo, & prophetabunt.* Videntur hæc quaſi per repetitionem, ſiue interpretationem priorum, iuxta conſuetudinem Hebræorum, dici: ſed nihil prohibebit, negotium altius repetere. Nemo, qui modò aliqualiter in ſcripturis ſanctis verſatus eſt, ignorat Iudęorum populum Gentibus non rarò prælatum: vnde etiam Paulus dicit: Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco, hoc eſt Gentili. Vides quòd Paulus Iudæo credenti, vel bonum operanti, primum gradum gloriæ, honoris, & pacis concedit. vtpote cuius eſt, ſicut idem Apoſtolus dicit, adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, &c. Gentili verò, quem Græcum nominat, ſecundum gradum tribuit. Hunc ordinem vi-

detur etiam Propheta hîc obſeruare. Nam primò dixit, Prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: quo nomine intelligimus eos, qui ex Iudæis ad fidem Chriſti conuerſi ſunt, vt Apoſtolos, & horum nepotes, & ſucceſſores. Secundò dicit: Effundam etiam de ſpiritu meo ſuper ſeruos meos, & ancillas meas, & prophetabunt: quod dictum exiſtimamus pertinere ad eos, qui ex Helleniſmo conuerſi ſunt ad Chriſtianiſmum, qui tamen & ipſi poſtea facti ſunt, & appellati filij Dei. Adnotârunt quidem & hoc, quod de filiis, non de ſeruis dictum eſt, Prophetabunt: quo intelligunt prædictum, licet ſatis tectè, ſolos Apoſtolos, vtpote ex Iudæis natos in eam auctoritatem venturos, vt illorum prophetiis vel ſcripturis, nemo citra impietatem ſit contradicturus. Et verum eſt, quòd omnes Canonici libri Noui teſtamenti ab illis ſcripti ſunt, qui Iudæi nati fuerunt. Sequitur. *Et dabo prodigia in cælo & in terra, ſanguinem & ignem, & vaporem fumi Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifeſtus.* Diem Domini magnum, & manifeſtum non abſurdè intelligimus tempus illud, quod fuit à paſſione Domini vſque ad huius glorioſam reſurrectionem. Et quod ad prodigia attinet, Euangelica hiſtoria nos non ſinit dubios eſſe, quum nihil non dicit factum, quod hîc à Propheta futurum fuiſſe Petrus conteſtatur. Sol enim in morte Chriſti obſcuratus eſt, velum templi ruptum, terra mota, petræ ſciſſæ, & monumenta aperta ſunt. Sunt autem qui hæc Prophetæ poſtrema verba non ad tempus Dominicæ paſſionis, & reſurrectionis referunt, ſed ad diem iudicij extremi, hoc eſt, ſecundi aduentus: nec iſti malè ſentiunt, quoniam & ſuæ ſententiæ Chriſtum adſtipulatorem habent, ſicut intuenti Euangelium manifeſtum eſt. Inquit enim Dominus apud Lucam: Erunt, ſcilicet ſub tempus iudicij, ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis: & in terris preſſura gentium, &c. Et apud Matthæum: Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, &c. Sed quoniam hæc aperta ſunt, ad ſequentia feſtinemus. Sequitur autem in ipſo Propheta, quod Petrus adiicit. *Et omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.*

Prodigium vnde dictũ, docet Aug. Tract. 16. in Euangel. Ioannis.

Hanc Prophetæ ſententiam verè auream, & obſeruatu digniſſimam etiam D. Paulus in Romanis ſuis adducit, oſtenſurus ſalutem non tàm Gentibus, quàm Iudæis eſſe oblatam, omnibúſque eſſe parabilem, licèt hanc multi negligant, ſic vt hoc ipſum conqueratur Eſaias, dicens: Domine quis credidit auditui noſtro, id eſt, ſermoni quem prædicamus? Inquit ergo Paulus: Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant eum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Et addit Paulus: Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Obſerua hîc diligenter inſtitutum Pauli: ſic enim & Prophetæ verba, & Petri concionem facilius intelliges. Niſi enim breuem illam ſententiam probè intellexeris, periculum eſt, ne grauiter erres. Certè Paulus hunc ordinem ſeruat, & ſeruandum quaſi præſcribit. Primum eſt, vt ſint prædicatores à Deo miſſi, qui Euangelium deprædicent. Niſi enim ipſos miſerit Dominus, illis non cooperabitur: & ſic prædicabunt fruſtra, & ſine fructu. Ad bonos enim, & ad ſe miſſos prædicatores dicit Dominus: Ecce ego ero tecum, & dabo verba mea in ore tuo: de malis verò, & non miſſis di-

Hierem. 23. cit. Currebant, & non mittebam eos: Prædicabant, & non loquebar illis. Si ſteriſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo, auertiſſent vtique eos à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis. Rectè ergo dicit Paulus: Quomodo prædicabunt, ſcilicet cum fructu auditorum, niſi mittantur? Si autem à Domino mittuntur, (mittuntur autem, qui per legitimos magiſtratus ad prædicandi officium deſtinantur) cum fructu prædicabunt. Credent enim illis auditores, & obtemperabunt illis, quicunque à Domino vocati ſunt, & electi. Deinde credentes incipient inuocare nomen Domini, & ſalutem

154
conſequentur æternam. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Non autem poteſt eum inuocare, in quem non credit, ſicut Apoſtolus dicit: Accedentem enim oportet credere, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Quid enim petas ab eo, de quo ignoras an ſit, vel qualis ſit? Si autem certò cognoueris, eum, quem ſtatuiſti inuocare, eſſe & potentem, & benignum, hoc eſt, & velle, & poſſe tuis commodis inſeruire, magna fiducia illum accedis, atque inuocas. Vnde tota vis huius ſententiæ in verbo, *Inuocare*, ſita eſt, hoc eſt; quomodo quis inuocare debeat Deum, vt ſaluus ſit. Nam certum eſt multos inuocare nomen Domini, qui tamen nunquam ſalutis fiunt participes. Multi, inquit, dicent mihi Domine, Domine, &c. ſed ego confitebor illis, dicens: Amen dico vobis, neſcio vos. Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis, quæ præcipio vobis? Et alibi: Si ego Dominus, vbi eſt honor meus? Et in Pſalmis legimus: Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominũ, nec exaudiuit eos. Et rurſum: Etiamſi multiplicaueritis preces veſtras, non exaudiam. Et eius generis multa ſunt in Scripturis ſanctis, quæ teſtantur non omnes, qui inuocant nomen Domini, ſalutem conſequi. Rurſum, multa ſunt loca, quæ diuerſum teſtari videntur: Si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Et in Pſal. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. Etiam: Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Nihil igitur ſupereſt, niſi vt inquiramus quomodo inuocandus ſit Dominus, vt ſaluos nos faciat. Nam certum eſt, quod Propheta dicit Pſal. centeſimo quadrageſimo quarto: Prope eſt Dñs inuocantibus eũ, omnibus inuocantibus eum in veritate. Huc iam referendum eſt, quod Chriſtus apud Ioannem dicit Samaritidi: Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. In ſpiritu autem & veritate Deum & adorant & inuocant, qui eũ ex vero & bono cordis affectu, reiecta omni hypocriſi, inuocant. Qui enim Deũ verè inuocat, ſe quaſi ad vnicũ ſalutis portũ recipit, &, quod certiſſimi refugij genus eſt, velut filius in optimi atq; amantiſſimi Patris ſinũ ſe confert:

Hebr. 11.

vt cura eius protegatur, indulgentia ac charitate foueatur, benignitate ſubleuetur, virtute fulciatur. Id facere nemo poterit, qui non antè de paterna Dei erga ſe beneuolentia tantam perſuaſionem conceperit, vt ab eo quiduis auſit exſpectare. Sic ergo inuocatio magnam fiduciam includit. Vnde & is rectè inuocare dicitur, qui, ceu diximus, Deum & potentem, & benignum eſſe, non tam confidit quàm credit, vt & ſaluare poſſit & velit, vnde etiam in eum quem ſtatuit inuocare, omnem ſuam ſpem collocat, de ſeipſo verò penitùs deſperat: & quoniam beneficentiam illius expertus eſt, ſeſe totum illi, quantus quantus eſt, conſecrat. Sic ergo qui Deum inuocauerit, ſaluus erit: Et qui confidit in illum, non pudefiet: & nemo vnquam in illo ſperauit, & confuſus eſt: Et qui crediderit, non condemnabitur. Sed hæc hactenus. Sequitur: *Viri Iſraelitæ, audite verba hæc: Ieſum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis virtutibus, prodigiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut vos ſcitis: hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemiſtis.* Perſtat ſanctus Apoſtolus in oratione, iacitque rete Euangelicum ad capiendos homines, docturus quiſnam ille ſit, qui à nobis inuocatus, inuocantes ſaluare poſſit, & quis ille etiam ſit, qui donum illud ſpiritus in Apoſtolos effuderit: ſic verò orationem ad captum auditorum attemperat, ne quem offendat. Nos totam orationem, immò ſingulas partes, quantum dominus dederit, diligentiſsimè examinemus. Viri, inquit, Iſraelitæ, audite verba hæc. Iſraelitas honeſto ſcilicet nomine eos appellitat, ne non patientes, & beneuolos habeat auditores. Audite verba hæc. Putat enim diuus Petrus illos non difficilè obtemperaturos, modò patienter rem omnem audire ſuſtineant. Ieſum Nazarenum virum approbatũ à Deo, &c. interemiſtis. Summa eſt totius concionis, quòd Iudęi Ieſum à Nazareth, quem Deus in mundum miſerat, interfecerint. Verùm Petrus magna prouidentia totum negotium ſic exponit, vt interim doceat nihil factum præter opinionem, ſed omnia iuxta præſcientiam, & definitionẽ Dei. Vnde primò dicit ſe loquuturum de Ieſu Nazareno, ſic enim à patria nominabatur Chriſtus. Secundò ne videretur in Nazareth cepiſſe, & quòd Iudæi exiſtimabãt, Io-

ſeph fabri filium fuiſſe : addit Petrus, quod Ieſus à Deo exhibitus & approbatus fuerit, & hoc virtutibus, prodigiis & ſignis, neque in aliquo occulto terrarum angulo, ſed in conſpectu omnium Iudæorum. Fecit enim Deus prodigia, virtutes, & ſigna, inquit, per Chriſtum in medio veſtri, ſicut ipſi ſcitis, nec diffiteri poteſtis. Sic etiam loquitur Chriſtus : Pater in me manens, ipſe facit opera. Opera igitur Chriſti teſtimonio ſunt, ipſum non eſſe ſimplicem tantùm hominem, ſed maius quid homine. Vult ergo Apoſtolus dicere, loquimur iam de Ieſu Nazareno, qui vir fuit à Deo miſſus in hunc mundum. Nam quòd à Deo miſſus ſit, notius eſt ex miraculis, virtutibus, ſignis ac prodigiis, quæ, dum adhuc inter homines viueret, perpetrauit, quàm vt pluribus comprobari opus ſit. Hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum, &c. interemiſtis. Quid ſibi hoc vult? Audi conſilium Petri. Poterat quis dicere : Si Ieſus Nazarenus à Deo miſſus eſt in hunc mundum, & ſi Deus illa admiranda opera per Chriſtum patrauit, quî factum eſt quòd non cuſtodiuit eum, ne traderetur in manus eorum, quorum opera in crucem actus eſt? Ad hoc ergo confutandum pertinet, quod Petrus hîc dicit, Chriſtum non ignorante, vel non prohibere volente Deo, occiſum eſſe, ſed Deum ipſum, filij ſui paſsionem non ſolùm præſciuiſſe, ſed etiam ſic præordinaſſe, nimirum vt illum pro nobis traderet in mortem, vt per hanc illius mortem, nos vitam acquireremus æternam. Ne autem impietas excuſationem meditando obiicere. Si hæc conſilio Dei geſta ſunt, ergo proditor Iudas & parricidæ Iudæi, conſilio Dei obſequuti, non peccauerunt : ſtatim illorum impietatem adducit, inquiens ipſum Ieſum per manus iniquorum in crucem actum. At iniqui eſſe non poſſent, ſi non ex malitia, ſed vt conſilium Dei facerent, Chriſtum crucifixiſſent. Deus quidem morte filij ſui voluit mundum ſaluare, ſed Iudæi non ſaluare mundum, ſed perdere Chriſtum ſtatuerunt. Sic alibi in Geneſi legimus Ioſeph fratribus ſuis dicentem : Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. Sed hoc non excuſat fratres ipſius, quia ipſi nihil tale cogitauerant. Vnde in eodem libro Ioſeph illis loquitur: Vos cogitaſtis malum de me, ſed Deus vertit illud in bonum. Ergo malitia impio-

Præſcientia Dei peccatores prænoſcit, non facit. Auguſt. ad Renanũ, lib.1.cap.7.

Gene.47.

Gene.50.

rum excuſanda non eſt, ſed prædicanda & laudanda eſt bonitas Dei, qui malitiam impiorum, in piorum commodum vertit. Niſi enim Deus præſciuiſſet mortem filij ſui, maximum emolumentum, & ſummam ſalutem orbi fore, nunquam tradidiſſet eum morti, nec tantillum quidem doloris potuiſſent ei omnes aduerſarij eius inferre. Quod ergo morti eum affecerint, bona Dei voluntas, non potentia aduerſariorum: conſilium Dei, non prudentia iniquorum hominum: præſcientia diuina, non prouidentia humana fuit. Quod autem in Chriſto geſtum eſt, hoc idem ſubinde in membris quoque eius adimpletur. Nihil enim piis aduerſi, citra bonam Dei voluntatem, accidit. Omnes enim pili eorum numerati ſunt: ſicut alibi Chriſtus teſtatur, &c. Et hactenus quidem Petrus docuit Ieſum Nazarenum, poſtquam ſuam diuinitatem & potentiam ſatis manifeſtauerat, non ſine optima Dei diſpoſitione in mortem traditum: reſtat nunc vt probet eundem verè reſurrexiſſe, doceátque fructum mortis illius. Poſtquam itaque dixerat Ieſum in mortem per manus iniquorum traditum, continenter ſubiungit: *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſsibile erat teneri illum ab eo.* Paulus hæc aliis verbis effert, in hunc ſcilicet modum: Chriſtus reſurgens, ſiue excitatus à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. *Roma.6.* Alij enim à Chriſto excitati, vt Lazarus, Adoleſcens, Puella, & alij, coacti ſunt rurſum obire: Chriſtus autem ſic excitatus eſt, vt in ęternum non moriatur. Chriſtus enim, cùm ſe pro nobis in mortem dedit, quodammodo permiſit ſe morti, ac ſubiecit eius poteſtati: ea tamen conditione, vt impoſsibile eſſet eius doloribus ipſum victum detineri, ſuccumbere, vel abſorberi. Itaque dominium eius ad momentum ſubeundo, in æternum ipſam deglutiuit. Huc pertinet Propheticum illud: O mors, ero mors tua: morſus tuus ero infernè. Et ſicut Hilarius in Pſal. 68. dicit: Impoſsibile eſt Deum vitæ, portis inferni detineri. Mors enim ac tartarus non habent perpetuum ius, niſi in eos qui peccato obnoxij ſunt. Proinde vt mors Chriſtum innoxium deglutire potuit, ita deuoratum tenere non potuit, ſed tertia die coacta eſt reuomere, quemadmodum cetus reuomuit Ionam. Ad hunc locum perti-

net quod Chriſtus dixerat : Poteſtatem habeo ponendi animam meam , & iterum poteſtatem reſumendi eam. Et alibi : Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquàm. Sed rurſum verba diui Petri inſpiciamus. Tria dicit : Primum, quòd Deus excitauerit Chriſtum : Secundum quòd liberauerit illum à doloribus inferni : Tertium quod impoſsibile fuerit Chriſtum teneri à morte, vel inferno. De primo ſic loquendum eſt, & ſic ſentiendum, vt intelligamus Chriſtum non humana, ſed diuina potentia excitatum, & ſic nulla erit difficultas. Nam ex ſacris literis intelligimus, non tam ſua, quàm patris potentia excitatum à morte Chriſtum. Reſtat itaque ſecundum, quod Petrus dicit Chriſtum ſolutum, hoc eſt, liberatum à doloribus inferni. Quinam *Pſal. 17.*
ſunt hi dolores? In Pſal. legimus : Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni venerunt ſuper me. Et iterum : Dolores inferni circundederunt me, &c. Per dolores mortis & inferni intelligentur omnium grauiſsimę paſsiones & dolores, quos omnes pro nobis paſſus eſt Chriſtus, & à quibus omnibus liberatus eſt. Crucifixus enim eſt, vt Paulus ait, ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. *2. Cor. 13.*
Quum enim dominus poſuerit in Chriſtum omnes iniquitates noſtras, quum ipſe ſoluere debuit quæ non rapuerat : facilè conijcere poſſumus non vulgares fuiſſe hoſtes, quibuſcum confligere habuit, neque leues dolores, quos pro noſtra ſalute, ſuſtinere debuit. Omni- *Hebræo. 2.*
nò enim fuerat neceſſe, vt per mortem ſuam deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Non deſunt qui interpretantur hunc locum ſic, vt intelligamus Chriſtũ ſoluiſſe dolores mortis, hoc eſt, ſoluiſſe vincula inferni, quibus animæ piorum in inferno detinebantur, iuxta quod in Pſalmis ali- *Pſal. 67.*
bi legimus : Captiuam duxit captiuitatem. Et rurſum : *Pſal. 106.*
Qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Confirmatur autem hoc in loco articulus fidei noſtræ, quo credimus, quòd Chriſtus mortuus & ſepultus. Deſcendit ad inferos : quem articulum ex aduerſariis noſtris multi impugnant, vt ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ nihil inconcuſſum relinquant. Sed tam ſolidis nituntur ar-

gumentis, vt etiam à ſuis contemnantur & ſeuerè, nec
Epiſt. 99. ad Euodiũ. immeritò arguantur. Dominum enim Ieſum Chriſtum, inquit Auguſtinus, carne mortificatum aduenisſe in infernum ſatis conſtat. Quamobrem teneamus firmiſſimè, ſicut idem ait, quod fides habet fundatiſsima aucto-
Vide Auguſ. de Gene. ad literam lib. 12. cap. 33. ritate firmata: quia Chriſtus mortuus eſt ſecundum ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & cætera quæ de illo, teſtante veritate, conſcripta ſunt. In quibus etiam hoc eſt, quod apud inferos fuit, ſolutiſque eorum doloribus, quibus erat impoſsibile eum detineri: à quibus etiam rectè intelligitur ſoluiſſe & liberaſſe quos voluit, corpúſque quod in cruce reliquerat, in ſepulchro poſitum recepiſſe. Hactenus ille. Credimus itaque Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, non quòd ibi ſit aliquid paſſus (nam in cruce omnis eius paſsionis conſummatio facta eſt) ſed vt nobis deſtrueret regnum Satanę: deſcendiſſe, inquam, illum credimus, non vt illic cruciaretur, ſed vt Satanam cum omni potentia, propter quam princeps huius mundi dictus eſt, ſibi & in ſe credentibus ſubiiceret, ac captiuam duceret captiuitatem. Huc fortè non abſurdè quadrat, quod apud Zacha. 9. legitur: Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Et quod Eccleſiaſtici cap. 24. ſub perſona Sapientiæ dictum
Oſea. 13. legitur: Penetrabo partes inferioris terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in domino. Hoc enim dominus ipſe iam olim ſe facturum promiſerat per Prophetam, dicens: De manu mortis libe-
Luc. 11. rabo eos, de morte redimam eos. Cùm enim fortis armatus cuſtodit atrium ſuum (hoc paradigmate Chriſtus ipſe vſus eſt) in pace ſunt omnia quæ poſſidet: cùm autem fortior illo ſuperuenerit, & illum vicerit, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet: Sic Chriſtus (vtpote non ſolùm Satana fortior, ſed cuius potentiæ nemo reſiſtere poteſt: Omnipotens enim nomen eius) ad atrium Satanæ deſcendit, illum vicit, & quos voluit, ſecũ abduxit, nobíſque & exẽplũ, & vim Satanã vinciẽdi dedit. Sic certè victus eſt, vt nõ vi, ſed aſtutia nobis præualeat: nemini autẽ præualet, niſi qui ei vltrò cõſenſerint. Reſiſtite itaque diabolo, & fugiet à vobis. Hæc,

quoniã ſe occaſio obtulit,de articulo illo fidei noſtrę,quẽ diuo Philippo inſcribũt, paucis diſſerere placuit. Iã Petrũ latiùs diſſerentem, ſuáque irrefragabilibus argumentis probantem audiemus. *Dauid enim dicit in eum: Prouidebo Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* Singulos huius verſus ordine exponem⁹. Dixerat Petrus Chriſtum mortuum quidem fuiſſe, ſed ex morte nihil damni paſſum: immò illum alios ex mortuis reuocaſſe,rurſúmque reſurrexiſſe.Atqui de paſſione,morte, ſepultura, & deſcenſu ad inferos nulla erat dubitatio, nec erat neceſſe multa verba ſuper hac re fundere: verùm de reſurrectione eius magna erat ferè apud omnes dubitatio. Hinc incumbebat Petro neceſſitas illam probandi. Sed cum quibus probaret? Anne cum militibus, ſepulchri Dominici cuſtodibus? at hi pecunia à ſacerdotibus corrupti,dicebant corpus Domini ab huius diſcipulis furto ſublatum. Anne cum reliquis Chriſti amicis,& diſcipulis? ſed horum teſtimonium erat ſuſpectum. Adfert igitur teſtem, cuius teſtimonium Iudæorum nullus eleuare poterat. Ne dubitetis, vult dicere, de eo, quod dico Chriſtũ à mortuis reſurrexiſſe:quod enim ego iam dico factum, olim à Propheta,vt fieret,prædictum eſt.Dauid enim regius Propheta de Meſſia ſic loquitur: Prouidebo Dominum in conſpectu meo ſemper,&c. Quod ad Petri concionẽ attinet, ſenſus huius Pſalmi eſt,vt Dauidem in Chriſti perſona ſic audiamus loquentem: Mortuus quidem fui, & ſepultus, ſed mors me detinere captiuum non potuit: & hoc, quoniam Deum patrem meum conſpiciebam ſemper vt præſentem,& quaſi ante oculos meos poſitum, qui nunquam relinquit me ſolùm:ſed à dextris eſt mihi, ſemperque mihi adſiſtit, veluti paratus in auxilium, ne vnquam veniam in caſum, vel conturbationem ſiue peccati, ſiue mortis. Diuinitas enim humanitatem nunquam deſtituit, ſed adfuit ſemper,eam cuſtodiens,ne in vllum malum vel peccati, vel etiam nocumenti alterius, extra tempus prædefinitum,& præordinationem æternam poſſet ipſa per fragilitatem incidere. Multa hinc inde in Veteri, & Nouo teſtamento ponũtur,quæ hic mirè quadrarent: ſed quoniam hæc ſatis clara ſunt, his ſic præmiſſis,quæ ſequuntur excutiemus. *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lin-*

gua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Hoc conſiderent omnes impij, qui putant Chriſtum ex infirmitate, vel deſperatione in cruce clamaſſe: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Paſſus quidem eſt ex infirmitate humana, ſed volens, non coactus: nec inuitus calicem ſibi à patre oblatũ, exhauſit: nec incertus fuit quid à morte ſua ſequuturum eſſet. Vnde ſic loquitur: Quoniam ſciebam quod pater meus nunquam me derelinqueret, non deſpõdi in paſſione mea animam, ſed cor meum lætabatur, & lingua mea exaltabat, non tacens, ſcilicet, laudem Dei, & hominum ſalutem. Inſuper cùm venerit tempus dormitionis meæ, vt ponam à me ipſo paululum animam meam, requieſcet etiam tum ſine vllo corruptionis periculo corpus meum (ab anima licèt ſeparatum) in ſpe certa paulò pôſt futuræ reſurrectionis ſuæ, atque cum anima iterandæ coniunctionis. Nouerat ſiquidẽ Dominus non tam mortem ſuam, quam reſurrectionem, ſicut etiam vtrunque diſcipulis ſæpiſſimè prædixit. Soluite, inquiebat, templũ hoc, & in triduo reſuſcitabo illud. Et: poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Et eius generis multa vbique in Euangeliis habẽtur. Et de Chriſto certiſſimum, hoc eſt, quod lubens, & volẽs, & cum gaudio mortem noſtri gratia adierit, vtcunque infirmitas carnis abhorruerit ab illa: atqui ipſe nõ tam mortem, quàm timorem mortis vincere voluit, vt nos ab vtroque efficaciter liberaret. Nec tibi abſurdũ videatur, quòd Chriſtus etiam in ipſa paſſione lætari dicitur, quum alibi legimus etiam Paulum gloriari in infirmitatibus ſuis: & idem dicat de Chriſti fidelibus, quod ſint tanquam flẽtes, cum tamen ſemper gaudeant, & iuxta Chriſtum, gaudium eorum nemo ab eis tollere poſſit. In Chriſti enim fidelibus externus homo propter tribulationes contriſtatur: at internus homo omne gaudium exiſtimat, ſicut Iacobus dicit, cùm in varias tribulationes inciderit, ſciens quia tribulatio operatur patientiam, patientia ſpem, ſpes autem non confundit. Sed hæc aliâs: nam procedendum eſt in concione Petri. ***Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*** Quotquot ante Chriſti aduentum communi lege naturæ, & nati, & mortui ſunt, damnum accepêre, non

ſolùm in anima,ſed & in corpore:quia iuxta animã captiui tenti ſunt ſub poteſtate Satanæ, corpus verò in puluerem verſum eſt:Sic enim hominum dictum, In quacũque hora comederitis de ligno,quod eſt in medio Paradyſi,morte moriemini. Et:Puluis es, & in puluerem reuertêris. Verùm Chriſtus vtrunque vicit. Nec enim potuit in inferno à Satana captiuus teneri, ſicut ſuprà diximus, nec potuit corpus eius conſumi, multò minus putrefieri. Non enim erat caro peccati,non erat caro maledictioni obnoxia: ſed operatione Spiritus ſancti in vtero illibatæ virginis formata,ſiue creata. Vnde ſicut in Euangelio legimus, Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Sic etiam legitur : Non dabis, neque ſines ſanctum tuum videre corruptionem. Vult itaque Dauid in perſona Chriſti dicere: Ob paſſionem & mortem meam,ô pater cæleſtis,non deſpondebo animum meum, ſed bonam ſpem cõcipiam fore, vt hanc infamiam meam magna ſequatur gloria. Certus enim ſum,quòd pręſentia diuinitatis tuę,ô Pater,(quę ſemper adeſt mihi à dextris) non derelinquet animam meam in inferno, ad eum modum, quo maligni ſpiritus atque damnati in profundo eius detinentur:neque etiam in lymbo inferni demorari aut detineri permittes, quemadmodum patrum piorum ſpiritus illic vſque in tempus redemptionis concluſi ſeruabantur : neque item ex altera parte,nempe corporis,patieris me filium tuum, quem ſanctificaſti tibi in vnctione ſpiritus tui abſque menſura, vllam experiri corruptionem, ſiue putrefactionem : quemadmodum cæterorum mortuorum corpora ſolent mox poſt animæ à corpore ſeparationem,in putredinem reſolui. Diuinitas enim in mortis triduo, & corpori, & animæ *3.ſen.d.22.* (quanquam abinuicem ſeparatis) ſemper manens vnita, vtrumque inhabitando cuſtodiuit, ad faciendam poſt tridui tempus præuiſam adinuicem reunionem:quæ diuinitas, ſicut animam ab inferno, ita corpus reduxit à ſepulchro. Sicut etenim Chriſtus verè habuit humanum corpus, ita etiam verè habuit humanam animam, neque diuinitas ſuppleuit vicem, vel locum animæ in Chriſto, *Auguſt.in* ſicut olim impij hæretici aſſerere conati ſunt. Et ſe- *Ioan.Euan-* cundum id quidem quod Chriſtus homo erat, anima e- *gel.Tract.* ius ipſo die Paraſceues erat in inferno, caro verò eius *III.*

in ſepulchro: ſecundum autem id quod Deus erat, vtique in Paradyſo erat, vbi ſecum futurum eſſe latronem pollicitus fuerat, inquiens: Hodie mecum eris in Paradyſo. Sed finiamus hæc, quæ licèt pia & vera ſint, tamen captũ ſimpliciũ excedere videntur. Sequitur. *Notas mihi feciſti vias vitæ: replebis me iucunditate cum facie tua.* Quotquot fuerunt in numero piorum tam Veteris, quàm Noui teſtamenti vſque ad paſſionem Chriſti, viam quæſierunt vitæ, ſed fruſtra: quia ille exſpectandus fuerat, qui in Euangelio dixit: Ego ſum via, veritas, & vita Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Et: Nemo aſcẽdit in cælum, niſi qui deſcendit, filius hominis, qui eſt in cælo. Ait itaque Chriſtus in hoc Pſalmo: O pater cæleſtis, omnes famuli tui lugentes, deſcenderunt ad inferos, quia certò nouerant ſe ire in captiuitatem: ignorauerant autem diem redemptionis ſuæ: ego verò lætus cum morte luctum inii, cum gaudio cum Satana in arenam deſcendi, vt qui certò ſciebam illum in me nihil habere, quare ſub illius redigerer poteſtatẽ. Certò item ſciebam me corpore & anima à mortuis reſurrecturum. Tu enim, ô pater, oſtendiſti mihi vias vitæ, tu me à morte excitaſti, nimirum ab hoc, vt eſſem primitiæ dormiẽtium, & cæteris omnibus in me credituris auctor fierem reſurrectionis ipſorum. Quid autem eſt quod dicit: Replebis me iucũditate cum facie tua? idem eſt ac ſi diceret: Tum tandem perfecta iuxta corpus & animam lætitia perfruar, quando faciem tuam videbo, hoc eſt, quando ad dexteram tuam me ſedere facies. Poſtquam enim in cælos aſcendit, & ad dexteram patris Chriſtus etiam iuxta aſſumptam humanam naturam conſedit: dedit ei Deus pater nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c. ſicque verè repletus eſt lætitia & iucunditate. Hanc lætitiam rogauit iam iam iturus ad patrem, dicens: Clarifica me pater claritate quam habui, priuſquam eſſet mundus apud te. Et hęc quidem hactenus de verbis Dauid: iam quomodo Diuus Petrus illa ſuo inſtituto adaptare pergat, videamus. *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid quoniam & defunctus eſt, & ſepultus eſt: & ſepulchrũ eius apud nos eſt vſque in hodiernum diem.* Verſus quos Petrus adduxerat, deſumpti ſunt ex Pſalmo 15. iuxta computationem noſtram, atqui Pſalmus ille inſcribitur ipſi Dauidi: vnde

Iudæi

Iudæi illum non de Chriſto ſeruatore noſtro, ſed de Dauide interpretantur. Petrus itaque iam aggreditur euidentiſſimis demonſtrationibus probare, quod Dauid non de ſe, ſed de Chriſto, vero adeoq; promiſſo iam olim Meſſia, cecinitſſe Pſalmũ illum, de quo nobis ſermo eſt. Primò itaque D. Petrus magna prudentia, optimóque conſilio totã orationem mitigat, quo attentiores, magiſque beneuolos habeat auditores: Viri fratres, inquit, non vocat excæcatos & induratos Iudæos, non homicidas: ſed fratres, quam appellationem plurimum amabant Iudæi. Deinde addit: Liceat mihi audenter dicere ad vos: Nihil, inquit, hîc ficté, vel per hypocriſim apud vos agam, ſed liberè & apertè omnia, ſicut puto mihi hoc apud vos licere. Quid igitur, ô Petre, dicturus es? de Dauide, inquit, Patriarcha quoniam defunctus eſt, & ſepultus eſt: & ſepulchrum eius apud nos eſt vſque in hodiernum diem. Quid vult Petrus his verbis probare? hoc videlicet, quod Dauid de ſeipſo illũ Pſalmum non conſcripſit, quũ verba illius in ipſum non cõueniant. Nam ille de quo Pſalmus canit, ſepultus quidem eſt, ſed caro eius nõ eſt putrefacta: Dauid vero & ſepultus eſt, & cõputruit. Quòd ſi quis negare velit, conuincetur mendacij ex ipſo ſepulchro, quod in hodiernũ diem nobiſcum eſt, vnde & quod dicimus, facilè probari poteſt. Si quis enim inſpexerit ſepulchrum, ſtatim videbit, præter puluerem de Dauide nihil in illo ſupereſſe. Vidit itaque corruptionem, nec de ſe cecinit Pſalmum illũ. Quomodo enim de ſeipſo caneret, carnem ſuam non viſurum corruptionẽ, quum noſſet ſeſe more cæterorũ & moriturum, & ſepeliendum, & iuxta corpus in ſepulchro corrumpendum? Quid igitur? *Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius, prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti: quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.*
Senſus eſt. Quoniam itaque Pſalmus ille quem adduximus, Dauidi inſcriptus eſt, in eum autem non competit, inueſtigemus de quonã dixerit. Res itaque ſic habet: Dauidem Prophetam fuiſſe, conteſtatum eſt apud omnes Iſraëlitas. Prophetæ autem officium eſt futura prædicere. Adde quod Prophetarum quaſi proprium fuit prædicere de futuro atq; adeò promiſſo Meſſia. Iam Dauid cum eſ-

ſet Propheta, & ſciret quia iureiurando iuraſſet illi Deus, &c. Singula verba magnã vim habẽt, vnde & non tractãda ſunt perfunctoriè, ſed potiùs diſcutiẽda diligentiſſimè. Primũ quod dicit Dauidẽ fuiſſe Prophetã, ſtatim tantam illi tribuit auctoritatẽ, vt nemo illi contradicere auſit, niſi magnã impietatis notam cauere nolit. Secundò addit Deum iureiurando iuraſſe Dauidi. Atq; etiãſi non iuraret Deus, ſed tantũ ſimpliciter polliceretur, tamen dubitandum non eſſet: quum verò promiſſum ſuum confirmat iuramento, longè minus vacillandũ eſt de illius promiſſis. Dicimus itaque cum D. Paulo: (licèt ille de iuramento inter Deum & Abrahã facto dicat) Homines per maiorem ſe iurant, & omnis controuerſiæ eorũ finis ad cõfirmationem eſt iuramentũ. In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationes hæredibus & immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuramentũ: vt per duas res
Heb. 6. immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum habeamus ſolatium, &c. Dauidi enim promittens Deus, quoniam neminẽ habuit per quẽ iuraret maiorẽ, iurauit per ſemetipſum. Et hoc iuramentũ, ſicut Petr⁹ hic dicit, nõ latebat Dauidẽ, vt qui ſciret quia iureiurãdo iuraſſet illi Deus, de fructu lũbi eius ſedere ſuper ſedẽ eius,
Pſalm.131. hoc eſt, Chriſtũ ſiue Meſſiã naſciturũ de ſemine eius. Sic enim legimus. Pſ. 131. Iurauit dñs Dauid veritatẽ & nõ fruſtrabitur eũ, de fructu vẽtris tui ponã ſuper ſedẽ tuam. Et apud Eſaiã de Chriſto dicitur: Super foliũ Dauid, & ſuper
Eſa. 9. regnũ eius ſedebit. Et in Euãgelio audim⁹ Archãgelũ Mariæ dicentẽ: Dabit illi, Chriſto filio tuo, dominus ſedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ. Hoc itaq; ignorare nõ potuit Dauid, neq; de hac re quicquam dubitauit, vt qui ſciret Deũ & potentẽ & veracẽ, qui quę pollicitus eſſet præſtare non tantũ poſſet, ſed etiã vellet. Cùm itaq; huiuſmodi myſteriũ ſciret, prouidẽs, aut poti⁹ præuidẽs & præſcius futurorũ, locutus eſt de reſurrectione Chriſti, hoc eſt, Meſſiæ: quia hic nõ eſt derelictus in inferno, nec caro eius corrupta eſt. Pſalmus igitur ille nõ de Dauide licèt ab ipſo Dauide, ſed de futuro Meſſia ſcriptus eſt. Iã rurſum inueſtiganda ſunt myſteria in his verbis D. Petri, quæ fortè ſimplicioribus nõ vſq; adeò manifeſta ſunt. Primò itaq; hîc in verbis Petri intelligimus nõ

nuperum eſſe conſiliũ quod Deus cœpit de mittẽdo filio ſuo in hunc mundũ, quum hoc ſe facturũ iam olim Dauidi receperat, iuramẽto etiã interpoſito. Secundò quum audimus Chriſtum naſci ex lũbis, hoc eſt, ſemine Dauid, cõfirmatur articul⁹ fidei noſtræ, quo credẽtes cõfitemur Chriſtũ verè natũ ex Maria virgine, q̃ haud dubiè de familia Dauid fuerat prognata. Pugnat itaq; hic loc⁹ cõtra nouos & veteres hæreticos, qui negãt Chriſtũ carnẽ ſuã ex Maria ſumpſiſſe, ſed ex cælo ſecũ deportaſſe eã, aut diuinitatẽ in carnẽ mutaſſe. Hæc falſiſſima eſſe nõ ſolũ præſens locus Petri, ſed & multi alij firmiſſimè ꝓbant. An nõ legimus Angeli verba ad Deiparã: Quod naſcetur ex te ſanctũ, vocabitur filius Dei? An nõ legimus verba Elizabethę: Vnde hoc mihi, quòd mater Dñi mei venit ad me? atqui Maria nõ eſſet mater domini, niſi verè ex illa natus eſſet Chriſtus. Huc pertinet eulogiũ illud mulieris plebeę dicẽtis ad dominũ: Beatus vẽter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Vērè itaq; natus eſt Chriſtus (*Ex Maria virgine, & homo fact⁹ eſt.*) ſicut Ioãnes dicit: Verbũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Et Paulus ad Hebræos inquit, ꝙ cõmunicauerit nobiſcum carne & ſanguine, vnde etiam non confunditur frater noſter dici. Nos enim, ſicut idem Apoſtolus dicit, membra ſumus corporis eius, de carne eius & oſſibus eius: quod vtique falsò diceretur, ſi Chriſtus non natus fuiſſet ex lumbis Dauid, hoc eſt, ſi nõn verè carnem ſumpſiſſet ex Maria caſtiſſima virgine. Valeãt itaque impiiſſimi hæretici Valentinianus, Martion, & alij qui negant Chriſtum Dei filium veram carnem ex Maria ſuſcepiſſe: & caueant pij Chriſtiani, ne quid aliter de hoc altiſſimo myſterio ſentiant, quàm hoc ipſum ſacræ docent literæ. Tu itaque bone & ſimplex frater, noli putare Dei vnigenitum filium corporale vel carnale aliquid de cælis ſecum attuliſſe in vterum virginis (Deus enim ſpiritus eſt, carnem & oſſa non habet:) hoc autem crede, Dei vnigenitum filium veram carnem ex Mariæ caſtiſſimo ſanguine ſumpſiſſe, verum hominem natum, licèt modo tibi inexplicabili. Nec te moueant pictorum imagines, qui pingunt puellum in humeris crucem ferentem, de cælis in virginem deſcendere. Huiuſmodi enim pictura hoc docet, vt intelligas DEI filium non

Luca 1.
Luca. 11.
Hebra. 2.
Ephe. 5.
Ioan. 4.

in maria cœpiſſe,vt qui ab ęterno Dei filius eſt,ſed de ſinu patris in vterũ virginis veniſſe, inque illo carnẽ induiſſe. Sed hæc ſuffecerint,nec puto me his inculcãdis tibi,frater in Chriſto chariſs.difficilẽ eſſe.Et ſtatui quidẽ,vbicunque ſeſe occaſio obtulerit, de articulis fidei noſtræ nõnihil dicere.hoc quod officij mei eſſe,& tibi nõ ingratũ fore,planè perſuaſum habeo. Eſt & adhuc aliquid planius exponẽdum,videlicet,quod Dauidi promiſſum eſt fore,vt Chriſtus ſedeat ſuper ſoliũ Dauid.Hic Iudæi tẽporale regnum ſomniant: nos verò ſpirituale regnũ & intelligimus & amamus,ſciẽtes, quia regnũ Chriſti non eſt de hoc mũdo: ſed ſicut Dauid ille regnauit ſuper carnales Iſraëlitas,ita & filius Dauid,hoc eſt, Ieſus Chriſtus dominus noſter ſpiritualiter regnat ſuper nos,qui verè & iuxta ſpiritũ Iſraëlitæ ſumus,hoc eſt nos curat, regit, protegit ſic in hac vita, vt poſtquã hac vita defuncti fuerimus,nos in regnũ ſuum cæleſte perducat. *Hũc Ieſum reſuſcitauit Deus,cuius nos omnes teſtes ſumus.Dextera igitur Dei exaltatꝰ, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à patre, effudit hoc donũ quod vos videtis & auditis.* Iam tandẽ propius accedit ad inſtitutum D.Petrus,aſſerens Chriſtũ verè à mortuis reſuſcitatũ effeciſſe, vt ſui diſcipuli iam tã variis linguis loquãtur de magnificis Dei operibus. Dicit ergo:Deus omnipotens, cui ſubeſt cũ voluerit poſſe, & cuius poteſtati nemo reſiſtere poteſt:ille inquam,qui mortificat & viuificat,reſuſcitauit Chriſtũ,vt nõ derelinqueretur in inferno,nec videret caro eius corruptionẽ.Et nos omnes,inquit,teſtes ſumus,quòd Deus verè reſuſcitauerit Chriſtũ.Rurſum hîc obſerua prudẽtiam Petri, quod nõ dicit:Hic Chriſtus qui de lũbis Abrahæ venit,ſemetipſum excitauit, ſed ait:Hunc Deus reſuſcitauit. Nã iuxta id quod Chriſtꝰ filius Dauid, hoc eſt, homo erat, ſemetipſum excitare non potuit: ſed iuxta id quod dominus Dauid eſt,ſemetipſum excitare potuit vtique.Vnde etiam in Euãgelio dixerat:Soluite tẽplum hoc, & in triduo ego excitabo illud. Et alibi clarius:Poteſtatẽ habeo ponendi animã meam,& poteſtatẽ habeo iterũ ſumendi eam.Atqui Iudæi adhuc rudiores erant, quã vt intelligere poſſent Chriſtũ & Deũ, & hominẽ eſſe. De Dei verò potentia,qua etiã mortuos ſuſcitare poteſt, dubitare non poterãt. Petrus itaq; totum reſurrectionis negotium

Sapient.12. *Heſth.13.* 1. *Reg.2.* *Pſalm.15.*

Chriſtum vt hominẽ reſuſcitauit Deꝰ.

Ioan.3. *Ioan.10.*

Deitati adſcribit, à qua certè Chriſtus alienus non eſt, & addit: Cuius reſurrectionis nos omnes teſtes ſumus. Vult dicere Petrus: Dauid prædixit futurum vt Chriſtus verus Meſſias, licèt mortuus, tamē rurſum à morte ſit reſuſcitādus. Iā Ieſus Nazarenus Meſſias eſt, qui, vt noſtris, ex lumbis Dauid deſcēdit. Si itaq; Meſſias eſt, neceſſe eſt vt à mortuis reſurgat. Atqui reſurrexit, ſicut non ego ſolus, ſed nos omnes qui hui⁹ ſumus diſcipuli, de ipſo verè teſtificamur. Addit Petrus: Dextera igitur Dei, hoc eſt, potentia & virtute Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hoc donum, quod vos videtis & auditis. De qua promiſſione dicit Petrus, quam Chriſtus à patre acceperit? In Euangelio legimns Chriſtum ad patrem dicere: Pater, venit hora, clarifica filium tuum. Pater clarifica me claritate ea, quam habui apud te, antequam mundus fieret. Venit autem vox de cælo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Poteſt itaq; non ineptè de hac promiſſione intelligi. Quoniā verò Petrus de reſurrectione Chriſti loquitur, & ex Pſalmiſta adduxit iam olim, & prædictū & promiſſum fore, vt Chriſtus & moriatur, & rurſum excitetur: non incōuenienter intelligimus, Chriſtū hāc promiſſionem accepiſſe, hoc eſt, verè reſuſcitatū, ſicut illi à patre promiſſum eſt. Iā rurſum verba Petri ab initio examinanda ſunt. Nā quod dicit Chriſtū exaltatum, non de reſurrectione tantū, ſed & de illius in cælum aſcenſione loquitur, vt ſic totū ſalutis noſtræ myſterium ſuo ordine, ſic tamē vt neminem ſcandalizet, & pulchrè aperiat. De morte Chriſti nō erat difficilis diſputatio, niſi vt aperiret, Chriſtum non inuitū, ſed volentem, iuxta Dei patris conſilium & diſpenſationē mortuum fuiſſe, & hoc non pro ſuis, ſed pro mundi peccatis. De reſurrectione difficilior erat quæſtio: hinc eſt quod in hac explicāda tā diligēter omnia explicat, docēs nihil hic factū, quod nō futurū Prophetę prędixerant. Iā reſtat diſputatio de aſcēſione domini in cælū, quā & ipſam ex teſtimoniis veteris teſtamēti aſtruit, ſicut audiemus: deinde quis quātusq; fructus per Chriſtum ad nos defluxerit, non tacet. Vide autē quā pulchrè procedat Chriſtū illis magis magiſq; commēdare: neque enim cōtinuò apertè illū vocat Deū, ſed magna circūitione, vt ita loquar, rē eò deducit, vt tandem quod velit perſuadeat. Ab

Promiſſio quam Chriſtus à patre accepit.

Ioan. 17.

Prudentia D. Petri in cōmendando Chriſtum.

initio concionis vocauit Chriſtũ virum,qui à Deo probatus ſit virtutibus & ſignis. Secũdò docet regiũ Prophetã de illo in Pſalmis cecinisse. Tertiò docet illũ ex ſemine Dauid prognatũ,cui ſciebãt Iudæi Meſſiã promiſſum. Quartò oſtẽdit,quod Deus illũ reſuſcitauerit à morte,hoc addẽs, quod impoſſibile fuerit illũ teneri à morte:quo certè declarat illũ cæteris hoĩbus, qui omnes à morte detenti ſunt,maiorem eſſe.Quintò iã aperit Chriſtum nõ ſolũ à morte excitatũ,ſed etiã in cęlos aſſumptum:qua de re ab initio huius libri dixim⁹. Sextò diſertis verbis Chriſto tribuit patrẽ Deum ipſum, ꝙ nihil aliud eſt, quã appellare

*Ioan.*10. filiũ Dei.Si enim Deus pater Chriſti eſt,certè Chriſt⁹ Dei fili⁹ eſt. Porrò ne quis dicat:Si ſcriptura illos vocat Deos ad quos Dei ſermo factus eſt,ſicut alibi Chriſtus ait,non mirũ eſt,etiamſi Petrus Chriſtũ vocet filiũ Dei. Sic enim

Chriſtus verus Deus. Moſes & oẽs Prophetę filij Dei vocari poſſunt.Addit itaque Petrus,licèt ſatis occultè,verè tamẽ,Chriſtũ nõ ſolũ Dei filiũ eſſe,ſed & vnũ cũ patre Deũ, vnius cũ patre potẽtię,&c.Dũ enim dicit Ieſum hoc donũ Spiritus S.quod diſcipuli acceperũt,effudiſſe,certè euidẽter probat Chriſtũ Deum eſſe.Nã in ſuperioribus adduxit,Dominũ Deũ dicentẽ: In nouiſſimis diebus effundã de ſpiritu meo ſuper omnẽ carnẽ,&c.Quis hęc pollicetur?Deus.Quis pollicita impleuit? hic Ieſus dextera Dei exaltatus, tęſte Petro,effudit hoc donum quod vos videtis & auditis. Ergo Ieſus Nazarenus verè Deus eſt, Dei viuentis æternus filius.Et hæc quidem hactenus.Sic autem continuatur ſermo Petri. Vos Iudæi exiſtimatis nos muſto plenos, propterea quod loquimur variis linguis magnifica Dei:at erratis,ſed Chriſtus quẽ vos cruci affixiſtis,à mortuis reſurrexit,& poſtquã aſcẽdit in cælos.dona Spiritus ſui S.q̃ nobis in veteri teſtamẽto,per ora Prophetarũ,pollicitus eſt, hoc ipſo die nobis copioſè dedit.A chriſto igitur Dei filio

Pſalm. 109. eſt & ꝙ ſumus,& ꝙ habemus. *Nõ enim Dauid aſcendit in cælũ.dicit autẽ ipſe: Dixit dominus domino meo,ſede à dextris meis.Donec ponã inimicos tuos, ſcabellũ pedũ tuorũ.* Hacten⁹ in hoc eſt D.Petrus,vt probet Dauidis prophetias nõ de ſeipſo,ſed de Meſſia intelligi debere.Nam ſi oẽs Pſalmos Dauid de ſemetipſo cecinisset, q̃ ſequeretur abſurditas? Certè aut Dauid de ſe nõ oĩa cecinit,aut impudẽter mẽ-

titus eſt:alterū certè vt verū ſit,neceſſe eſt.Dauid enim dicit:Dixit dominus domino meo,&c.Atqui Dauid non aſcēdit rediuiuus in cælū.Mentitus igitur eſt?nequaquā.Nō enim illa de ſe dixit, ſed de Meſſia naſcituro de ipſius carne.Dominus enim,Deus pater ſcilicet,dixit domino meo, ſcilicet,Dei filio domino noſtro Ieſu Chriſto, Sede à dextris meis,hoc eſt,veni in parem poteſtatem mecum,donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedū tuorum. Perpetuò autē inimici Chriſti ei ſubiecti erunt: ergo perpetuò cum patre regnabit Chriſtus. Hæc autem omnia quæ hîc dicuntur Chriſto tradita, intelligenda ſunt iuxta eam naturam quam ex ſemine Dauid accepit, hoc eſt,iuxta humanam naturam: nam iuxta quòd Deus eſt, ab æterno ſedit in æquali poteſtate cum patre: ſed iuxta quòd homo eſt, tandem poſt paſſionem, mortíſque conſummationem, Chriſtus vt homo etiam ad dexteram Dei exaltatus eſt. Quoniam enim patri factus eſt obediens vſque ad mortem crucis, exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen,&c. Cæterum teſtimonium hoc ex Pſal.109.deſumptum,nō ſolum Petrus,ſed & Paulus produxit pro diuinitate Chriſti adſtruenda. Quid autem loquor de Petro & Paulo? immò Chriſtus ipſe hoc teſtimonio ſic confutauit Phariſæos, vt ne hiſcere quidem contrà auſi fuerint. Sed videamus quomodo Chriſtus & Paulus hoc Pſalmo vſi ſint. Congregatis enim olim Phariſæis, interrogauit eos Ieſus,dicens: Quid vobis videtur de Chriſto,cuius filius ſit?Dicunt ei:Dauid.Ait illis:Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominum, dicēs: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, &c? Si ergo Dauid vocat eum dominū, quomodo filius eius eſt? Scopus quæſtionis eſt, dominum Ieſum Chriſtum non tātum hominem,ſed & Deum eſſe verum.Conſtat autem ex omnium Prophetarum oraculis, Chriſtum eſſe,& vocari filium Dauidis,& proinde hominem verum: id quod planè confitentur Scribæ & Phariſæi omnes. Hoc nomine videri poterat & Dauid Meſſiam appellaſſe ſuum, quia erat ex lumbis Dauidis, & naturalis filius Dauidis, ſicut paulò antè diximus. Nam ex Maria virgine Dauidis filia genitus fuit. Deinde quoad naturā attinet diuinā, Dauid filium ſuum,ſuum quoq; vocat dominum,nimirū Deum.

Donec.

Chriſtus vt homo accepit à Deo patre poteſtatem, &c.

Matt.22.

Ait enim: Dixit dominus domino meo, &c. Dominus Deus, inquam, pater, domino meo, id eſt, Chriſto meo, qui ex lumbis meis generabitur, &c. Manifeſtiſſimum igitur eſt Dauidem in Chriſto geminam agnouiſſe naturam, naturárumque proprietatem, humanã & diuinam: hoc quod tum Phariſęi negare non audebant. Dicit enim Matthęus, quod ad hanc quæſtionem nemo poterat quicquam reſpondere Chriſto. Nemo enim explicare poteſt quomodo Chriſtus ſit non ſolùm filius Dauid, ſed etiam dominus Dauid, niſi fateatur & credat Chriſtum eſſe verum Deum
Hebr.1. & verum hominem. Iam videamus quomodo hoc Dauidis teſtimonio vſus fuerit Paulus. Hic cùm iam multa teſtimonia, præcipuè ex Pſalmis adduxiſſet pro aſſerenda Chriſti diuinitate, hoc eſt, quòd Chriſtus eſſet filius Dei maior Angelis, ſederétque ad dexteram maieſtatis in excelſis, ſub finem inquit: Ad quem autem angelorum dixit (dominus) aliquando: Sede à dextris meis, &c? nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis? Angeli itaq; vt miniſtri ſtare perhibentur in cælis: Chriſtus verò vt dominus ſedere dicitur ad dexteram patris. Simili argumento ferè vſus eſt Chriſtus in Euangeliis, vbi probare voluit ſe eſſe miniſtrum diſcipulorum ſuorum: vtér, inquit, maior eſt? qui miniſtrat, an qui recumbit? Sed quoniam forſan plus æquo hîc prolixi fuimus, ad ſequentia procedamus, viſuri quibus verbis cõcluſurus ſit Petrus orationem
Vide Epiph. pa.369. ſuam. *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum quem vos crucifixiſtis.* Summa concionis D. Petri eſt, Ieſum Nazarenum ab æterno Dei filium in hunc mundum propter ſalutem noſtrã miſſum, verum hominem factum: verum eſſe illum Meſſiam, qui iam olim Iſraëlitico populo promiſſus fuerat, quem illi iam à multis annis exſpectauerant: datum verò & acceptum, cruci affixerint. Quoniam verò Chriſti paſſio multos de eo dubitare fecerat, neceſſarium fuerat Petro, vt probaret non ſolùm factis Chriſti, ſed etiam Prophetarum teſtimoniis, nihil factum à Chriſto, quod non prædixerint Prophetæ ſuper illo futurum eſſe. Eſt itaque hæc prima Petri publica prædicatio, in qua breui quodam compendio nobis ob oculos ponit ar-

ticulos fidei Chriſtianæ de domino noſtro Ieſu Chriſto, vero Deo & homine, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, incarnatus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, & homo factus eſt: dein paſſus à Iudæis, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos: dein tertia die reſurgēs poſt quadraginta dies, aſcendit in cælum, ſedet à dextris Dei vnus cum patre Deus, effuditque abundè dona ſua in ſuos diſcipulos, & cætera de quibus hactenus pro mediocritate noſtra diſſeruimus. Sciamus itaque & nos, corde credamus, & ore confiteamur hunc Ieſum, quem Iudæi crucifixerunt, eſſe verum Meſſiam, redemptorem & ſeruatorem noſtrum. Iam fructus ſequitur concionis D. Petri. *His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apoſtolos. Quid faciemus viri fratres?* Sic in Euangelio Lucæ, dum Ioannes Baptiſta prædicat pœnitentiam, & concludit, dicens: Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor nō faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: hæc, inquam, dum concionaretur Baptiſta, interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus, ſcilicet, ne pereamus? Ita & iam ad Petri concionem Iſraëlitæ concutiuntur animo, audientes ſe eſſe interfectores veri Meſſiæ, quem tamen hactenus tam auidè exſpectauerant, quem Deus miſit in mundum, qui tam multa admiranda fecit in populo, qui tanta fuit præditus virtute, vt à morte detineri non potuerit, qui tam charus eſt Deo patri, vt ad ſuam dexteram poneret illum. Certè agnoſcere debuerunt meritò peccati ſui grauitatem, quod & faciunt. Nam ſua ipſorum corda teſtimonium ferēbāt contra illos, ipſóſque non vulgariter accuſabant, quod tam crudeles fuerint in innocentem, quòd tam ingrati fuerint erga benefactorem, &c. Non igitur negant peccatum ſuum, ſed agnoſcunt & pudet illius, & ſciunt ſeſe pœnam meruiſſe, interim non diffitentes, quin via aliqua inueniri poſſit, qua rurſum reconcilientur Deo, peccatúmque illorum ſibi condonetur. Non itaque ſolùm Petrum alloquuntur, ſed & reliquos Apoſtolos: nec per contemptum vocant Galilæos vel impoſtores, ſed fratres. Quid, inquiunt, faciemus viri fratres? Hic erat fructus auditi verbi Dei. Petrus plantauerat, Deus incipit incremen-

tum dare. Hic oſtenditur quid linguæ igneæ poſſint, qualia corda ventus ille concutiat. Hic oſtenditur quàm verè dixerit dominus per Prophetam: Quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illic vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ferenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. Et ad Hebræos inquit Paulus: Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio acuto vtrinque incidente, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ſimul ac ſpiritus, compagúmque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis, &c. Certè ſic penetrauit corda Hieroſolimitarum, vt omnino ex ipſis alios homines fecerit. Vbi enim iam ſunt illæ voces: Samaritanus es, & dæmonium habes? Et: Crucifige, crucifige eum? Et: Si dimittis hunc, non es amicus Cæſaris? nihil tale auditur. Sed quid? Compuncti corde dicunt: Viri fratres, quid faciemus? corda illorum peccatorum ſtimulis pungebantur, impacata & terrore plena erat illorum conſcientia. Cogitabant enim, ſicut Auguſtinus in Pſalm. 43. ſcribit. Ille tantus eſt quem nos occidimus, nos vbi erimus? Nihil enim hoc peccato grauius cogitare potuerunt. Quid grauius peccatori ægro, quàm medici interfectio? quid grauius poteſt æger facere, quàm ſi medicum ſuum occidat? Cæterùm quoniam Iudæi illi non omnino alieni fuerant à legis cognitione, ſciebántque peccatoribus non omninò eſſe deſperandum, quum dominus longanimis & miſericors prædicatur: reſumptis vtcumque animis, rogant Apoſtolos, quídnam ipſis faciendum ſit, vt ſuum peccatum ipſis condonetur. Quid faciemus, inquiunt, viri fratres? parati ſumus vobis rectiora monentibus obtemperare, modò liceat nos inuenire remiſſam. Quid ergo ad hæc Petrus? *Petrus autem ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum: Et accipietis donum Spiritus ſancti.* Breue conſilium eſt quod D Petrus auditoribus ſuis dat, ſed magnum parit fructum, ſi illi à populo Iſraëlitico obtemperabitur. Quid enim aliud peccatores petere poſſunt, quàm

peccatorum remiſſam? qua adepta, reconciliati ſunt Deo, poſſuntque ſibi omnia bona ab illo exſpectare. Atqui Petrus non ſolùm obtemperantibus ſibi remiſſionem peccatorum pollicetur, ſed etiam copioſiora dona Spiritus ſancti. Neque enim otioſè dictum eſt Apoſtolis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:& quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Sed videamus iterum Petri conſilium: Pœnitentiam, inquit, agite,& baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti. Dicamus primò de pœnitentia. Pœnitentia Dei iram placari, non ſolùm apud Dei populum, ſed etiam apud Gentes idololatras, vulgò perſuaſiſſimum erat: quod niſi luce clarius eſſet, multis teſtimoniis probare non grauarer. Sed quid opus eſt multis teſtimoniis in re non dubia? Si fratricida Caïn pœnitentiam egiſſet, nunquam periiſſet. In veteri teſtamento de multis & magnis peccatoribus legimus, qui tamen poſtea pœnitentiam agentes, redierunt cum Deo in magnam & familiariſſimam amicitiam. Si vis verè pœnitentis hominis exemplum habere, propone tibi ex veteri lege Dauidem, primum hominem ſecundum cor Dei: deinde homicidam & adulterum: pòſt iterũ chariſſimum Dei amicum. Huius pœnitentiam ex Pſal. 50. & multis aliis deprehendere licebit. Primò certè à domino per Prophetam admonetur, agnoſcit peccatum ſuum, pudet pœnitétque perpetrati, corde compungitur, agnoſcit pœnam ſibi debitam: dein rurſum de miſericordia Dei bonam ſpem capit, ſciens quòd ille externa illa ſacrificia, & holocauſta (quoniam & ab impiis fieri poſſunt) non vſque adeò magni facit, ſed ſacrificium Deo eſt acceptatiſſimum, cor contritum & humiliatum: hoc enim Deus nunquam deſpiciet. Miſerere, inquit, mei Deus, ſecundum magnam miſericordiã tuam. Quoniam iniquitatẽ meam ego cognoſco,& peccatum meum contra me eſt ſemper: deinde peccatis opponit illa Dei ingenua beneficia, quibus admonitus, meritò debuiſſet Deum non offendere. Iam verò multa accepta beneficia, in conſcientia Dauidis peccatum aggrauant. Nemo enim rectè pœnitebit de peccato, niſi qui nouit perpendere, quis,& in quem peccauerit, nimirum homo in illum à quo eſt quidquid es & habes, &c. Sed quomodo placabitur Deus, ô miſer Da-

uid? Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique, inquit, verùm holocauſtis non delectaberis. Quid igitur facies? Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non deſpicies. Ad hoc ſacrificium offerendum etiam remittit auditores ſuos diuus Petrus, dum inquit: Pœnitemini, hoc eſt, pigeat pudeátque vos prioris vitæ veſtræ, reſipiſcite atque adeò mutate animos veſtros, &c. Neque enim præſcribit illis vt victimas illas pro peccato offerrent, ſicut à Moſe in lege præſcripta erant: nam vera victima iam cæſa erat: Agnus qui tollit peccata totius mundi occiſus erat, vt illæ victimæ omnino iam forent abominabiles coram Deo. Vnde non decuit, vt Petrus iuxta legis veteris præſcriptum illos iuberet pœnitentiam agere, & hoſtias pro peccato offerre, ſed tantùm dicit: Pœnitentiam agite, deinde, baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum: hoc eſt, vt breuibus abſoluam: Peccaſtis grauiter, nec eſt veſtrarum virium peccata veſtra expiare, & impoſſibile eſt ſanguine taurorum, vel hircorum ablui peccata. Pudeat itaque ac pœniteat vos commiſſorum, deſperate de vobiſmetipſis, & omnem fiduciam veſtram ponite in Chriſto: quòd ſi hic animus veſter eſt, teſtatum facite aperto teſtimonio, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, ſic enim & peccatorum veſtrorum accipietis remiſſam, & conſortes efficiemini omnium meritorum Chriſti. Quod vt intelligatis vos conſecutos eſſe, ſtatim accipietis donum ſpiritus ſancti, videlicet, ſicut nos iam accepiſſe videtis & auditis. Locus nos hîc admonet diſſerere de ſacramentis duobus Eccleſiæ noſtræ Catholicæ, nimirum, de ſacramento pœnitentiæ, & ſacramento baptiſmi: verùm nos in præſentiarum de baptiſmo nihil vltra dicamus, donec peruentum fuerit ad alium locum, vbi rurſum illius mentio non importuna inciderit. De pœnitentiæ verò ſacramento nonnihil dicemus, nimirum quis vſus huius ſit in Eccleſia. Certè in oratione dominica iuſſit nos dominus ſperare remiſſionem peccatorum, & illam his verbis rogare: Dimitte nobis debita noſtra. Et articulus fidei noſtræ eſt: *Credo remiſſionem peccatorum.* Vnde non abſurdè de pœnitentia nobis iam inſtituitur hæc diſſertatio: quam tamen, quoad eius fieri poteſt,

quàm breuiſsimis abſoluemus. Vocamus autem hoc loco pœnitentiam, quum homo ex agnitione peccati animo diſcruciatur & confunditur, diſplicétque iam quod antè placuit, tum ex timore pœnæ, tum ex amore iuſtitiæ, fatetúrque ſe morte dignum, neque immeritò à Deo reiiciendum: ſpe autem de Dei miſericordia concepta, meliorem animum induit, fiduciam bonam concipit, patrem miſericordiarum pœnitēti fore placabilem ac benignum. Incipit itaque nouam meditari vitam, paratus eſt ſeſe totum dedere Chriſto, omnes peccati occaſiones fugere, & omnino vitam ſuam in melius commutare. De hac pœnitentia locutus eſt Petrus ad auditores ſuos, dum diceret: Pœnitentiam agite, hoc eſt, doleat vobis, quòd tam crudeles in Chriſtum fuiſtis, parati ſitis illi obedire, quem non ſolùm ſpreuiſtis, ſed etiam in crucem egiſtis. Et pœnitebat quidem, ac pudebat illos ſui facti (aliàs enim non dixiſſent: Quid faciemus viri fratres?) ſed voluit Apoſtolos, vt hoc reipſa & publico facto, accipiendo ſcilicet baptiſmum, teſtatum facerent. Hanc pœnitentiam vetus Eccleſia ſemper à baptizandis adultis poſtulauit, nemi- nem ad baptiſmum admittens, niſi prius ageret pœnitentiam ſibi ab Epiſcopo præſcriptam. Nullus enim, ſicut Auguſtinus ait, qui ſuæ voluntatis eſt arbiter, niſi pœniteat eum veteris vitæ, nouam inchoare poteſt. Ab hac pœnitentia cùm baptizantur, ſoli pueri immunes ſunt: nondum enim poſſunt vti libero arbitrio. Adulti verò omnes tam ex Gentibus, quàm ex Iudæis, antequam ad baptiſmi ſacramentum admittuntur, prius pœnitentiam agere iubentur, vt reipſa declarent ideo ſe ad Chriſtianiſmum properare, quia ipſos priſtinæ vitæ ex animo pœniteat. Hinc eſt quòd tam multi præclari ſermones habentur inter veterum patrum monumenta, quibus catechumeni admonebantur, & quaſi præparabantur ad ſuſcipiendum baptiſmi ſacramentum. Venturi ad baptiſmum, inquit Hilarius, prius confitentur credere ſe in Dei filio, & in paſsione, ac reſurrectione eius. Et huic profeſsionis ſacramento fides redditur. Atque vt hanc verborum ſponſionem quædam rerum ipſarum veritas conſequatur, toto in ieiuniis paſsionis dominicæ tempore demorantes, quadam domino compaſsionis ſocietate iunguntur, &c.

Pœnitentia.

De pœnitentia medicina & Epiſt. 108. ad Seleutianam.

Canon. 15. in Matth.

hæc Hilarius. Nam tum adultiores plerunque baptizabantur in feſto Paſchæ vel Pentecoſtes, ob maiorem, opinor, populi frequentiam. Et magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus ſic alloquitur catechumenos ſuos: Bona auxilia erunt tibi, inquit, ad ea quæ deſideras conſequenda, vigiliæ, ieiunia, humi dormituritiones, orationes, lachrymæ, ærumnæ, indigentium opitulatio, &c. Hæc oratione in ſanctum lauacrum, vbi etiam obiurgat eos, qui non niſi in feſto Epiphaniarum, vel Paſchæ, vel Pentecoſtes baptizari volebant. Sed hac de re forſan & alibi nobis dicendum erit: neque enim iam inſtituimus de baptiſmo, ſed de pœnitentiæ ſacramento dicere. Diximus autem primam eſſe pœnitentiam, quæ olim à baptizandis poſtulabatur: quæ non ſolùm in corde fiebat, ſed etiam publico quodam ritu fiebat, hoc ſcilicet hominum, illud verò Dei gratia. Secunda verò pœnitentia eſt, ſicut Auguſtinus dicit, cuius actio per totam iſtam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt. Non enim ſic quiſque in vitam nouam per ſanctificationem baptiſmi naſcitur, vt, quemadmodum ibi deponit omnia peccata præterita, ita etiam ſtatim mortalitatem ipſam, carníſque corruptionem deponat. Pharao quidem cum omni exercitu ſuo demerſus eſt in mari, & nos ab Ægyptiis liberati ſumus: ſed adhuc multi exurgunt hoſtes, qui nobis non ceſſant faceſſere negotium, donec ad terram promiſſionis peruenerimus. Sed interim veniunt nobis ollæ Ægyptiorum in mentes noſtras, delectant nos Ægyptiorum menſæ, mores & inſtituta, obliuiſcimur promiſſi, tædet nos longi itineris, murmuramus contra Moſen & Aaron, obluctamur Deo & hominibus. De his ergo admoniti, vel interius vel exterius, neceſſe eſt doleat nobis, quòd tam ingrati ſumus domino, quòd fidem fregimus, quòd relicto Chriſto in caſtris Satanæ militauimus. Hic neceſſe eſt dicamus: Pater qui es in cælis, dimitte nobis debita noſtra. Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Hac oratione certè petimus, ſicut Auguſtinus piè admonet, non ea nobis dimitti peccata, quæ iam nobis in baptiſmo dimiſſa eſſe credimus, ſed de quotidianis peccatis, quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra ſubre-

punt: quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & opprimɛnt, ſicut aliquod grande peccatum. Nihil enim intereſt, vt idem admonet, ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat nauem atque ſubmergat. Nemo itaque ſibi putet non eſſe neceſſariam pœnitentiam, etiamſi in grauibus & enormibus peccatis ſe ſcit deprehendi non poſſe: omnibus dictum eſt. Quis poteſt dicere, immunis ſum à peccato? aut mundum eſt cor meum? Si dixerimus quòd peccatum non habeamus, inquit Ioannes, noſmetipſos decipimus, & veritas non eſt in nobis. Omnes itaque rogemus dominum, patrem noſtrum cæleſtem, quatenus dimittat nobis debita noſtra, ſiue illa ſint leuia, ſiue grauia. Sed quid poteſt leue æſtimari, quòd in Deum committitur? Sic autem remiſſio peccatorum petenda eſt, vt ex animo tibi doleat peccata perpetraſſe, cupiáſque poſthac innocenter viuere, ac velis te totum conſecrare illi, de quo non dubitas, quin hanc bonam mentem tibi inſpirarit, velitque ac poſſit tibi tua donare peccata, &c. De hac pœnitentia quæ, nobis quotidiana eſſe debebat, nuſquam non dicit ſcriptura, vt non ſit neceſſe eam ex literis diuinis adſtruere. Impij certè non Chriſtiani ſunt, qui illam vel non neceſſariam, vel nullam eſſe, aſſerere audent. An non legimus Chriſtum loquentem: Agite pœnitentiam. Et: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Certè niſi bona eſſet pœnitentia, ad hanc non eſſet Chriſtus nos exhortatus: etſi Deus pœnitentibus non fieret placabilis, nequaquam iuſſiſſet nos patrem pro remiſſione peccatorum rogare. Huc pertinent parabolæ de oue & drachma perditis, de filio prodigo: item hiſtoriæ Euangelicæ de Petro, Magdalena, Latrone, &c. Et hæc licet ſole clariora ſint, inuenti ſunt tamen hæretici, qui primam tantùm pœnitentiæ actionem ante baptiſmum concederent hominibus: pœnitentiam verò poſt baptiſmum penitus negarent. Hi à Nouato Nouatiani dicti ſunt, & quoniam ſe pœnitentia opus habere non putabant, vt qui mundi eſſent, fidémque Chriſto in baptiſmo datam nunquam fregiſſent, Cathari, hoc eſt, mundi vocabantur: horum

Eadem Auguſt. tracta. 12. in Euãg. Ioan.

impietatem noſtris temporibus ſtultè impij Anabaptiſtæ renouare conati ſunt, ſed nullo veritatis teſtimonio. Indigni ergo ſunt, quorum nomine hîc diutius hæreamus: vnde nobis ſuffecerit hæc de quotidiana hominum pœnitentia vel paucis attigiſſe. Iam eſt & alia pœnitentia, quæ ex hac oritur, quæ & propriè ſacramenti nomine appellatur: huius faciunt doctores tres partes, contritionem ſcilicet, confeſſionem, & ſatisfactionem. De contritione iam diximus: de confeſſione verò peccatorum quæ ſacerdoti facienda eſt, ſuo loco, cap. ſcilicet 19. huius Deo annuente, diſputabimus. Iam de ſatisfactione nonnihil nobis diſſerendum eſt. Principio itaque dubium nõ eſt, vocabulum ſatisfactionis ex publico Eccleſiæ vſu frequentari cœptum eſſe, pro caſtigatione ſeu pœna, quæ ſecundum vniuſcuiuſque pœnitentis & confitentis culpam ab Epiſcopo, vel ſacerdote indicitur: quamuis nunc hoc vocabulum latiùs vſurpemus. Quæ omnia vt dilucidiora fiant, duplicem eſſe ſatisfactionẽ in eccleſia Chriſti dicimus. Vna meritoria remiſſionis peccatorum, & abolitoria mortis æternæ. Hæc ſoli Chriſto attribuitur, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni peccato, factus propitiatio pro peccatis noſtris, & non tantùm pro noſtris, ſed & totius mundi: vtique quod ad ſufficientiam attinet, licèt non quantum ad efficientiam, ideo quod non omnes ſibi hunc ſatisfactionis fructum applicari curent. Applicatur ſiquidem hæc ſatisfactio à Deo per veram contritionem & fidem, cuius certum teſtimonium eſt abſolutio ſacramentalis ſacerdotis, quæ docet nos hanc tribuere debere Deo, non noſtris operibus. Nam nullus omnino hominum poterit vel pro culpa vnius peccati mortalis ſatisfacere, & pœnam æternam ſuis meritis abolere. Ergo non in merito confitentis, ſed in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ſacerdos confitentem abſoluit. Verum cùm ex diuinis literis compertum ſit, poſt remiſſionem peccati (quæ ſolius Chriſti beneficio nobis contingit) adhuc quaſdam præteritorum peccatorum reliquias in anima hærere: deinde remiſſa culpa non ſtatim omnem remitti pœnam, ſed tãtùm pœnam æternæ mortis, quam etſi Deus in iuſtificatione hominis donet, eius tamen loco temporariam pœnam frequen-

Satisfactio.

quenter ſubſtituit: iccirco Catholici doctores viderunt alia quadam purgatione (culpa etiamnum remiſſa) & ad expiandas præteriti peccati reliquias, & ad mitigandas ſeu tollendas temporarias illas pœnas nobis adhuc imminentes, opus eſſe, quam pœnitentiæ ſatisfactionem appellarunt. Nam poſt remiſſum peccatum, peccati reliquias remanere, quas deleri oporteat, Dauid teſtis eſt. Nam etſi Nathan remiſſionem peccatorum Dauidi annunciaſſet, dicens: Dominus tranſtulit peccatum tuum: nihilo ſecius tamen Dauid adhuc orat, vt dominus ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum deleat iniquitatem eius, vtque amplius lauet eum ab iniquitate, & à peccato mundet, hoc eſt, vt non tantùm remittat culpam, ſed & decorem priſtinum reſtituat. Huc fortè non malè quadrat quod Ieſus Syrach dicit: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adiicias peccatum ſuper peccatum: neque enim ſtatim aboletur pœna, etiamſi culpa abolita fuerit. Certè Dauid locupletiſſimus teſtis eſt, omnino diſcerni debere remiſſionem culpæ à remiſſione temporalium pœnarum: cuius rei euidentiſſimum exemplum eſt in hiſtoria, quam iam paucis attigimus, ea ſic habet: Poſtquam Dauid rex adulterium commiſerat cum Berſabea vxore Vriæ, húncque ille ne publicaretur nefas illud dolo quodam malo occidi fecerat, miſſus eſt ad Dauidem Nathan Propheta, qui ipſum increparet, irámque Dei illi nunciaret. Quæ audiens rex, ait: Peccaui domino. Dixit itaque Nathan ad Dauid: dominus quoque tranſtulit à te peccatum tuum: veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos domini propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur, &c. Ex his certiſſimum eſt culpam aliquando ſic donari, vt tamen nihilo ſecius pœnam temporalem hominem peccatorem pati neceſſe ſit. Cæterùm pœnam hanc temporalem noſtris ſatisfactionibus poſſe mitigari, multa ſacræ ſcripturæ exempla docent. Et Paulus ait: Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Non enim poteſt vllum peccatum remanere impunitum. Quòd ſi tu vindictam ſumis de peccatis tuis, iam Deus non habet quod puniat. Notum eſt exemplum regis Achab: hic enim cùm audiſſet comminationes Dei, ſcidit veſtimen-

2. Reg. 12.

Eccle. 5.

Vide Aug. de ciui. Dei. lib. 21. cap. 13.

3. Reg. 21.

ta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauítque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo domini ad Heliam Theſbitem, dicens: Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſſa, non inducam malum in diebus eius, &c. Ex his luce clarius eſt, Achab ſua pœnitentia vindictam, quam Deus ſtatuerat de illo ſumere,
Ionæ 3. auertiſſe. Huc adaptandum eſt & Niniuitarum exemplum. Cùm enim vidiſſet Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, licèt iam per Ionam minatus fuiſſet interitum: tamen miſertus eſt eorum, & non fecit, quod tamen ſe facturum eſſe receperat. Ad hunc lo-
3. Reg. 24. cum etiam pertinet quod Dauid, poſtquam numerando populum ſuum iram Dei in ſe concitaſſet, tamen ſua humiliatione effecit, vt peſtilẽtia quæ triduana fuerat comminata, vno die ſatisfaceret iræ Dei. Iam igitur ſatis probatum eſt Deum quidem per Chriſtum filium ſuum nobis remittere culpam pro peccato: ſed ſubinde pœnam æternam commutare in temporalem, quæ tandem noſtris pœnitentiæ operibus vel porrò tôlli, vel ſaltem mitigari poteſt. Sunt autem pœnitentiæ opera, ſiue, vt Ioannes verus pœnitentiæ preco illa appellat, fructus pœnitentiæ, orationes, ieiunia, eleemoſynæ, & aliæ corporis noſtri caſtigationes: quemadmodum exemplis verè pœnitentium in ſacris literis docetur. Hæc opera quidam ſuapte ſponte ſibi imponunt, ac de ſemetipſis vindictam peccatorum ſuorum ſumunt, quo tandem & iram Dei mitigent, & carnis laſciuiam coerceant, fratrémque ſuum quem peccando offenderant, pœnitentiæ operibus rurſum ædificent. Quoniam verò multi ſunt qui ſibimetipſis hac in re conſilio eſſe poſſunt minimè, factum eſt vt ſacerdotibus commendatum ſit id muneris, vt confitentibus peccata ſua, iuxta qualitatem criminis, etiam pœnitentiæ ſiue ſatisfactionis opera imponerent. Ex his tandem prodiit duplex ſatisfactio, priuata nimirum & publica, ſiue ſolennis. Nam pro leuibus peccatis, quibus Eccleſia offenſa non fuerat, priuatim pœnitentia agebatur: pro magnis verò & enormibus peccatis quibus Eccleſia offenſa fuerat, etiam grauis iniungebatur pœnitentia. Hinc nati ſunt canones illi pœnitentiales, ...

quibus præſcriptum fuit quantum quis pro hoc vel illo peccato pœnitere & ſatisfacere deberet: quòd certè inde factum eſt, quod refriguerat iam charitas, maiórque pars populi non quidem ad pœnitentiam, ſed ad laſciuiam inclinabatur. Hinc illæ pœnitentiæ per omnem vitam, per ſeptennium, ieiunium quadragenarium in pane & aqua, quod vulgò dicebatur Carrina, & cætera quæ leguntur in libris pœnitentialibus. Vbi verò iam iſta ſeueritas puniendi delinquentes in Eccleſia, in literis potiùs quàm in hominum obſeruatione locum haberet: inuenta ſtatim eſt ratio, eleemoſynis & recitatione Pſalmorum ieiunia redimendi. Hinc forſan ortæ indulgentiæ & condonationes pontificum, quibus indictas pœnitentias quas vocant, Pontifex certam pactus pecuniam, remittebat, pecuniámque illam in pios vſus vertebat, quod per ſe reprehenſibile non eſt. Iam porrò omnia illa veterum inſtituta in abuſum abiere. Omnes tanquam equus inſaniens in omnia omnium peccatorum genera præcipites currimus, de pœnitẽtia ne cogitamus quidem, & qui nos ad vitæ melioris emendationem inuitant, difficulter audimus, immò & ridemus, quo tandem fiet, vt Deus iuſtus iudex etiam in interitu noſtro ſit riſurus. Hęc iam ſuffecerint de pœnitentia dixiſſe, quæ tum vera & ſalubris putatur, quando in corde hominis eſt contritio, in ore confeſſio, & in toto opere vera humilitas. Qui tam infenſi ſunt ſatisfactionibus, aut ſi mauis pœnitentię operibus, non vident quorſum mundus tendat, nec conſiderant Eccleſiam vnquam poſſe bene habere, niſi ſint qui in impiorum vitam cenſuras agant. Certè non fruſtrà Apoſtolis dictum eſt: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, ligata erunt & in cælis, &c. Item: Quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis. Et notum eſt quàm ſeuerè animaduerterit diuus Paulus in ſcortatorem illum Corinthium, & in alios quos tradidit Satanæ. Quid ſibi vult quod idem Apoſtolus dicit: Timeo ne fortè cùm venero non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis qualem non vultis? Et iterum: Prædixi & prædico vobis vt præſens vobis, & nunc abſens iis qui peccauerunt & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam? Sunt qui conqueruntur noſtro tempore Eccle-

2.Cor.12.

2.Cor.13.

ſiam omninò malè habere, eo quod confitendi & pœnitendi inſtitutum, onus porrò importabile ſit, multóſque eo ad deſperationem adigi: ego autem video ab exordio naſcentis Eccleſiæ nunquam cum peccatoribus mitius actum, atque hoc noſtro ſęculo, quod tamen corruptiſſimum eſt. Sed iam tandem ad contextum hiſtoriæ nobis redeundum eſt. Huc enim nos deduxerat, quod Petrus iis qui ſaluari cupiebant, dixit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. De his verbis non eſt quòd pluribus diſſeram, niſi fortè quòd admoneam, ne quis ex occaſione horum verborum exiſtimet aliquem poſſe verè pœnitere, etiamſi non habeat donum ſpiritus ſancti, cùm diuus Petrus hîc vltimo loco illud ponat. Neque enim poteſt fieri vt aliquem verè pœniteat malè commiſſorum, *Hiere.*31. niſi hoc ipſum in illo faciat ſpiritus ſanctus. Hinc Hieremias ait. Conuerte me, & conuertar, quia tu dominus Deus meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi fœmur meum. Sicut enim ſpiritus malignus nobis iniquitates commendare ſolet vt placeant: ita & ſpiritus bonus illarum contemptum in nobis parit, virtutéſque ſanctas nobis reddit probabiles, & placitas. Ergo quod Ieroſolymitani illi compunguntur corde, non fit ex inſtinctu carnis & ſanguinis, ſed operante ſpiritu ſancto, qui verba Petri cordibus illorum inſcripſit. Sic itaque audiendo Petri concionem, accipiunt ſpiritum ſanctum, aut potiùs huius gratias ac dona. Cùm pœnitentiam agunt, hoc eſt, vitæ nouitati ſtudent, carnémque ſuam cum concupiſcentiis ſuis crucifigunt, augentur gratiæ illæ: ſic cùm baptizantur, Chriſtum induunt, Chriſto commoriuntur, Chriſti meritorum fiunt participes, & proculdubio copioſioribus gratiis ſpiritus ſancti donantur, ſic vt & ipſi poſſint loqui variis linguis magnalia Dei. *Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit dominus Deus noſter.* Hæc ad conſolandas Hieroſolymitanorum animos pertinent. Ne enim deſponderent animos, cogitantes quàm grauiter peccauerint in Chriſtum Dei filium, ideóque ſe vnquam veniam con-

ſecuturos, nedum aliquid ſpiritualis gratiæ accepturos: docet Petrus ſe non fruſtra ipſis polliceri remiſſionem peccatorum, & ſpiritus ſancti donum, ſed hæc illis iam olim promiſſa eſſe: Vobis, inquit, repromiſſio pertinet. Quę repromiſſio? non ſolùm ea, quam paulò ſuprà ex Ioele produxit, ſed vniuerſæ promiſſiones quæ ad totum Chriſti negotium pertinent. Has enim promiſſiones nuſquam non vrgent Apoſtoli, docentes ſalutem noſtram non operibus aut meritis noſtris, ſed potiùs diuinæ promiſſioni deberi. Deus enim patribus noſtris iam olim pollicitus eſt fore, vt in ſemine Abrahæ benedicerentur, hoc eſt, ſaluarentur omnes gentes. Et in hac promiſſione non hæſitauit Abraham diffidentia, ſic enim Paulus loquitur, ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere. Et ad Galatas inquit Paulus: Abrahæ dictę ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Sic etiam Petrus hoc in loco ait: Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris: neque hoc ſatis eſt, ſed & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit dominus Deus noſter: hoc eſt, hęc promiſſio non tantùm ad Iudęos, ſed etiam ad Gentiles pertinet, & ad omnes in vniuerſum, quoſcunque dignatus fuerit cognitione filij ſui. Non enim eſt volentis & currentis, ſed Dei miſerentis. Hoc negotium, ſcilicet promiſſionem de Chriſto, non ad Iudęos ſolùm, ſed etiam ad gentes pertinere, frequentiſſimè tractabitur in progreſſu huius hiſtorię, ſicut & in Paulinis Epiſt. vnde & hoc loco illud miſſum faciemus. *Aliis etiam verbis pluribus teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione iſta praua.* Ex his apparet Lucas præcipuas tantum partes concionis Petri huc retuliſſe. Vnde non benè argumentantur qui à non ſcriptis argumenta ſumunt, dicentes: Hoc non eſt ſcriptum expreſsè in diuinis literis, ergo nihil eſt, contemnendum eſt, obſeruandum non eſt. Multa enim prędicauerunt & inſtituerunt Apoſtoli & Apoſtolici viri viuo ſermone apud Eccleſias, quæ non ſunt expreſsè deſcripta in ſacris Bibliis, ſed quorum nobis teſtimonia dant illorum proximi ſucceſſores. Hinc Apoſtolus Paulus in Epiſto. adhortatur fideles, vt non ſolùm obſeruare velint quę per Epiſtolas, ſed etiam

Roma. 4.

Galat. 3.

2. Theſſa. 2.

quę viuo ſermone illis pręceperat. Obſeruationes igitur & conſuetudines Eccleſiæ, quarum veteres meminerunt, obſeruandæ ſunt, etiamſi non expreſsè perſcripta ſint in ſacris literis: hoc verò vnicum conſiderandum eſt, ne illæ Apoſtolorum ſcriptis contrariæ ſint. Sed de his aliâs. In hanc verò digreſſionem me perduxit Lucas, dum inquit: Petrus autem multis aliis verbis teſtificatus eſt & exhortabatur eos. Non enim eſt dubium quin illos admonuerit quomodo verè pœnitere debeant, & qui ſint fructus digni pœnitentia: quis item fructus baptiſmi, ad quem etiam illos hortabatur: item quis verus ſit vſus donorum Dei, & cætera fortè quæ ad hanc rem pertinent, quæ omnia ſingulatim Lucas aſſcribere noluit. In exhortatione autem dixit Petrus ad auditores ſuos: Saluamini à generatione iſta praua. Idem mihi videtur hîc Petrus dicere quod alibi Chriſtus: Cauete à falſis Prophetis. Et: Cauete à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Neque enim apud me dubium eſt, quin Scribæ & Phariſæi non dubitarint concionem Petri calumniari tanquam hominis idiotæ, & prædicantis illum eſſe Dei filium, quem certò conſtabat in crucè mortem obiiſſe. Exhortatur itaque diuus Petrus illos, ne velint Phariſæos & impios doctores audire, ſed potiùs ipſi benè & ſaniora monenti obtemperare: ſic enim fore, vt falſis doctoribus perditis boni diſcipuli ſeruentur. Petrus hic prudentis medici genium nobis refert. poſtquam enim docuit quid amplectendum fidelibus, ſtatim etiam addit quid fugiendum. Sic Chriſtus Matth.7. poſtquam in præcedentibus diligenter docuit de ſalutari doctrina, id eſt, de præcipuis Chriſtianæ doctrinæ capitibus, ſubdit poſteà cautionem de cauendis peſtiferis doctoribus. Et ſanè rectiſſima eſt hæc forma docendi vulgus, primum docere eos recta. & poſteà præmonere de non rectis. Vocat autem Petrus hoc loci prauam generationem eos, qui contra conſcientiam ſuam & Chriſtum, & huius Euangelium perſequuntur. Sic Ioannes Baptiſta illos vocat Genimina viperarum. Et Chriſtus, Generationem prauam & adulteram. Neceſſe eſt enim vt maligni doctores ſimplicioribus depingãtur, ne ſcilicet iſti ab illis incauti ſeducãtur. Sed hæc hactenus: nã de his rebus dicẽdi ſępiſſimè nobis dabitur oc-

Quorum Petrus Iudæos admonuerit.

Matth.7.

Luca 12.

Mali doctores notandi vt caueantur.

Matth.3.

Matth.12.

caſio. *Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* Hic eſt primus iactus retis, quo piſcator hominum traxit copioſam multitudinem. Dominus enim dederat incrementum ſemini verbi ſui, quod miniſterio diſcipulorum ſuorum diſſeminarat ad ſaluandum populum ſuum. Nihil difficultatis eſt in his Lucæ verbis, vnde non eſt neceſſe vt hîc multa verba prodigamus. Qui receperunt ſermonem Petri, hoc eſt, qui ſermonibus Petri, crediderunt, baptizati ſunt, & acceſſerunt nouæ illæ Chriſti Eccleſiæ tria millia hominum. Et hîc obſeruandum eſt Lucam compendio vſum in conſcribendo hanc hiſtoriam. Iam enim tantum meminit baptiſmi tacitã pœnitentia. Qui receperunt, inquit, ſermonem Petri, baptizati ſunt. Atqui Petrus interrogatus quid facto opus eſſet, reſponderat: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti. Verùm non eſt dubium, quin ſolos pœnitẽtes admiſerit Petrus ad baptiſmum. Et in hoc verbo Lucæ, quod ait: Qui receperunt ſermonem Petri, omnia includuntur. Idem enim eſt ac ſi dixiſſet: Tria millia hominum ex Petri auditoribus ipſi crediderunt atque óbtemperârunt, adque declarandas mentes ſuas baptiſmum ſuſceperunt. Et in Euangelio D. Marci legimus: Qui crediderit & baptizatus *Marc. 16.* fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Quare non addit: Qui verò non crediderit & non baptizatus fuerit condemnabitur? non erat neceſſe. Cùm enim de ſenſu conſtat, quid opus eſt certare de verbis? ex prioribus ſequentia ſunt intelligenda. Nam vtrumque ad ſalutem neceſſarium eſt, ſi modò vtriuſque haberi poteſt copia. Sed hac de re dicemus copioſius in tractatu de baptiſmi Sacramẽto: iam nihil eſt quod hîc adiiciã, niſi quòd *Obſerua.* nõ immeritò deplorem ignauiam noſtram, qui tam difficiles ſumus ad recipiẽdum diuinos ſermones. In vnica Petri cõcione ter mille homines ad fidem conuerſi ſunt: nos etiãſi multas conciones audimus, tamen nihil proficimus. O vtinã in ſingulis meis concionibus vel tres homines ad meliorem mentem redirent. Sed quid faciam? in ſeminando nõ ero parcus, & bonam ſpẽ concipiam fore, vt tandem rete Euangelicum non fruſtrà iecerim. Nunc itaque videamus quos fructus noua illa fides Euangelio habita, &

donum Spiritus ſancti per fidem acceptum proferat vel protulerit in renatis. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, fractione panis, & orationibus.* Emiſſurus dominus diſcipulos ſuos prædicādi Euāgelij gratia, dixit illis: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos, docentes eos ſeruare quæcunque præcepi vobis. Quorum ſenſus eſt: Docete baptizandos Euangelicę philoſophiæ rudimenta, quibus niſi quis, adultus crediderit, fruſtrà tingitur aqua: docete baptizatos, vt iuxta doctrinā meam viuentes, ſemper ad perfectiora proficiāt. Sic D. Petrus ab initio concionis ſuæ quam audiuimus, Iudæis aperuit quid ſentiendum illis ſit de Chriſto, nimirum quòd hic ſit verus ille Meſſias, per quem conſtituit Deus ſaluare mundum. Deinde adhortatus eſt illos ad pœnitētiam. Poſtremò ad ſuſcipiendum baptiſma. Quorum verò baptizatos iam admonuerit, licèt Lucas non adnotauerit, tamen ex fidelium facto hîc liquet. Quatuor enim hîc enumerat quibus primi Chriſtiani occupati erant, perſeuerationem in doctrina communicationem, fractionem panis, & orationem, de quibus ſingulis, quantum dominus dederit, diligenter vos inſtruemus. Quod itaque dicit illos perſeueraſſe in doctrina Apoſtolorū, prima facie apparet Lucam velle teſtimonium illis dare, quod non defecerint à religione Chriſtiana: ſed hoc potius dicit, quod aſſidui fuerint in audiendo verbo Dei, vt qui cupiebant magis ac magis in cognitione Dei proficere. De communicatione quę inter nouū Chriſti populum erát, paulò pòſt dicemus: nam Lucas ipſe ſe explicabit, quid communicationis nomine intelligi velit. Sequitur Fractio panis, quo nomine doctores Catholici intelligunt venerabiliſs. Euchariſtiæ Sacramentum. Sicut enim veteres Iſraëlitæ per mare rubrum tranſlati pane cæleſti cibati ſunt ne deficerent: ita & noui Iſraëlitæ, hoc eſt, recenter baptizati fideles manna cæleſti paſcuntur, vt ſic confortati & corroborati, Satanæ cui in baptiſmo renunciarunt, audacius & maiori ſpiritu reſiſtere poſſint. Cæterum quoniam recepi me in hoc opere, vbicunque ſe commoda occaſio obtulerit, de Sacramentis Eccleſiæ differere, res ipſa iam exigit vt de cœna dominica nonnihil differā. Omnia enim explicare quæ circa hoc negotium controuertūtur, proprij & prolixiſſimi eſt ope-

Matt.16. *Acto.1.* *Exod.14.16*

ris. Cœnam autem Domini, ſiue fractionem panis voca- *De cœna*
mus ſpirituale & myſticum conuiuium, in quo Chriſti fi- *domini.*
delibus adminiſtratur verum corpus & verus ſanguis domini ſub ſpeciebus panis & vini verè ac realiter contenta. Hanc cœnam, ſicut Euangeliſtę teſtantur, Chriſtus ipſe in nouiſſima cœna inſtituit pridie ante quam moreretur, huicque ſancto conuiuio tantùm duodecim diſcipulos ſuos admiſit, non alios diſcipulos: quos tamen ſeptuaginta duos habuiſſe, ex Euangeliis certè nouimus. Quare verò Iudam proditorem admiſerit, & illos 72. non admiſerit, ille ſolus nouit, cuius iudicia occulta eſſe poſſunt, iniuſta eſſe non poſſunt. Audiamus itaque primam huius ſacratiſſimæ cœnæ, de qua agimus, inſtitutionem. Matthæi verba *Matth. 26.*
ſunt quæ continenter ſequuntur. Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meũ (addit Lucas) quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et ſicut Marcus ait: Biberunt ex eo omnes. Qui omnes? Duodecim proculdubio Apoſtoli: nam reliquorum diſcipulorum nemo huic ſacræ cœnæ interfuit. Habemus primam inſtitutionem Chriſti, quę quidẽ non ſic inſtituta eſt, vt non niſi ſemel celebrari debeat, & hoc à ſolis Apoſtolis: ſed per vniuerſam Eccleſiam ad finem vſque mundi. Nam Chriſtus dixit: Hoc facite in meam commemorationẽ. Et Paulus ſcribit: Hæc quotieſcunque feceritis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Igitur Hieroſolymitani illi ſtatim atque baptizati ſunt, & in fide Chriſtiana ab Apoſtolis edocti, cœnam hãc celebrant. Quo vero ritu, quibus cæremoniis, quáue diei hora, Lucas non expoſuit. Quæ ſi omnia expoſuiſſet ſpeciatim, iam non eſſet locus tam multis friuolis & impiis quæſtionibus circa hanc ſacratiſſimam cœnam. Hoc certiſſimum eſt, quòd ſicut Apoſtoli cœnæ Dominicæ celebrationẽ inſtituerunt Hieroſolymis, ita & Apoſtolus Paulus etiã apud Corinthios inſtituerit: quæ Pauli inſtitutio poſtea ab ipſis deprauata eſt, quo nomine etiam ſeueriſſimè ab illo obiurgati ſunt. Et ex Corinthiorum Epiſtola

apparet, cœnam domini non ſine certis ritibus & cęremoniis celebratam, quemadmodum proculdubio ab Apoſtolo, quum primum ipſos ad fidem conuerterat, inſtituta fuerat. Iam nullus Euangeliſta nobis deſcribit primam Pauli inſtitutionem, nullus Apoſtolus. Reprehenſionem quidem & correctionem legimus illius cœnæ, cui adiicit Apoſtolus: Cætera cùm venero, diſponam. Ergo diuus Paulus legitimum vſum cœnæ domini apud Corinthios præſens ſcilicet apud præſentes inſtituerat: illo verò abeunte, & aliis ciuitatibus & populis euangelizante, Corinthiacus populus inſtitutum Pauli ſic corrupit, vt in cœnæ celebratione non Chriſti, ſed Satanę potiùs inſtitutum vidiſſes. Hæc cùm nuntiata eſſent D. Paulo, miſſa Epiſtola obiurgat illos, dicens: Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt dominicā cœnam manducare, &c. Alius enim eſurit, alius verò ebrius eſt. Deinde paucis perſtringit quomodo inſtitutum illud corrigendum, quomodo abuſus qui irrepſerant in hoc ſacrum conuiuium, tollendi. Quoniam verò Epiſtolaris anguſtia non patiebatur prolixiorem diſſertationem, vel quoniam fortaſſis nō videbatur Apoſtolo conſultum, omnia illa myſteria literis committere, ſub finem addit: Cætera cùm venero diſponam. Atqui quoniam Apoſtolus deinceps ad Corinthios non venit, rurſum ex ipſius ſcriptis occultum eſt, quomodo Eccleſiæ ab illo inſtitutæ cœnam domini celebrârint. De externis ritibus & cæremoniis loquimur (qua de re nunc maximè certatur) non de ipſa ſubſtantia cœnæ. Nam hoc certiſſimè conſtat, quod cœnæ ſuæ panem & vinum adiunxerint, quodque verè crediderint, ſe corpore & ſanguine Chriſti verè & paſci & potari, ſic vt nunquam obliti fuerint verborum domini, quæ in cœna dixerat: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Et: Bibite ex eo omnes: Hic eſt enim ſanguis meus, qui pro multis effundetur. Quum igitur tam pauca de cœnæ domini celebratione habentur in ſacris literis, non ineptè, opinor, fecerimus, ſi Apoſtolorum diſcipulos, & horum proximos ſucceſſores de rebus illis interrogauerimus. Certè liquidò apparet, quando primùm acceperunt diſcipuli corpus Domini & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt vni-

uerſæ Catholicæ Eccleſiæ, quod à ieiunis ſemper accipitur? nequaquam. Placuit enim Spiritui ſancto, quemadmodum D. Auguſtinus ait, vt in honorem Sacramenti tanti in os Chriſtiani prius dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud Sacramentũ accipiendum conuenire debent: aut quod faciebant Corinthij, quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Namque Saluator quo vehementius commendaret altitudinem myſterij illius, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis, ſicut Auguſtinus admonet, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Itaque nõ ſtatim reiiciendum venit, quod expreſſis verbis in ſacris literis non habetur: ſed hoc curandum, ne quid aduerſus expreſſa verba ſacræ ſcripturæ admittatur. Multa enim Apoſtoli & Apoſtolici viri in nouiter à ſe plantatis Eccleſiis inſtituerunt, quę in illorum ſcriptis perſcripta non ſunt: id quod non nos ſoli admonemus, ſed iam olim admonuerunt veteris Eccleſiæ patres. Hæc in hoc adducta ſunt, vt docerem non ſtatim reiiciendum ordinem cœnæ noſtrę, etiamſi non per omnia reſpõdeat primæ domini cœnæ: nam ſicut dominus, etiam Apoſtoli ipſi aliter illam celebrârunt. Hoc itaque obſeruandum ac conſiderandum eſt cuius monetæ ſint, quæ nos circa celebrationem cœnæ dominicæ facimus. Si probatum fuerit illa aduerſari Dei gloriæ, Chriſtiq́ue cœnæ præiudicare, iam eſt cur meritò aboleantur: ſin probatum fuerit nihil hîc agi quod aduerſetur Chriſti inſtitutioni, meritò reiiciendi & damnandi ſunt, qui ritus Eccleſiæ impuriſſimis buccis vituperant. Iam verò omnia, quæ iuxta Eccleſiæ noſtræ Catholicæ inſtitutionem in celebratione cœnæ noſtræ dominicæ fiũt, facilè ab omnibus aduerſariorum iniuriis & calumniis defendi poſſunt. Signantur duo quæ ab Eccleſia inſtituta ſunt: non loquor de his, qui non Eccleſiæ, ſed Satanæ potius inſtitutum ſequũtur: hoc eſt, de illis qui tantum quæſtus gratia Miſſam faciũt, qui nihil ex animo hîc faciũt, qui impuris manibus hæc ſacra tractãt, de his in pręſentiarum nihil dico. Neque

Nota.

iſti tibi aliquid nocere poſſunt, cùm ſint publici Eccleſiæ miniſtri. Et quicquid circa hanc cœnam fit,non in merito fit conſecrantis ſacerdotis,ſed,vt Auguſt.ait,in verbo ſiue per verbum efficitur creatoris. Multa quidem aduerſarij noſtri reprehendunt in Miſſa, ſic tamen vt reprehenſores illi inter ſe digladientur & crudeliter certent, quid in illa vel ferendum vel reiiciendum: hinc nos magno diſputationis labore ſubleuant. De veritate corporis Chriſti in Euchariſtia, non eſt vt multa fundamus verba. Chriſtus Dei filius cùm ſit ipſiſſima veritas, non ſolet vana nomina imponere rebus. Iam ipſe dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus qui pro multis effunditur. Clara ſunt verba,híſque plus credēdum eſt quàm omnibus ſenſibus tuis, hoc quod iam ſæpe admonui. Iam Chriſtum aut Chriſti verum corpus eſſe hoſtiam pro peccatis tam viuorum qui mortuorum,quis negare poteſt? Igitur quiſquis credit in Miſſa ſiue in cœna Domini verum eſſe corpus Domini,non poteſt negare in illa eſſe veram victimam pro peccatis mundi. Iam publicę preces quæ in ſacro publico fiunt, cùm deprompta ſint ex ipſis Bibliis ſacris, quo iure culpari poſſunt? Sunt qui deteſtantur preces, in quibus vel ambiuntur merita diuorum, vel fiunt interceſſiones pro animabus fidelibus defunctorum. Sed nec illa meritò reprehendere poteſt, quiſquis intellexerit quæ ſit communio ſanctorum, quam in ſymbolo fidei noſtrę & credimus & confitemur. Inuicem pro ſe orent omnia membra,ait Auguſtinus: caput autem pro omnibus interpellet. Sed hoc ferendum non videtur quibuſdam,quòd vocamus Miſſam ſacrificium,quod fieri debeat pro ſalute viuorum atque mortuorum. Ad hoc pauciſſimis reſpondemus. Quiſquis probè expenderit Prophetiam illam Malachiæ de vnica oblatione munda, quæ temporibus Noui teſtamenti in omni loco Deo offerri debet,& ritè conſiderarit ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, non poteſt offendi voce ſacrificij. Nam ſi Miſſam ſacrificium negare perrexerint, iam non eſt quo probent ſacerdotium illud, nec dabunt nobis aliam oblationem mundam Noui teſtamenti, quæ Deo in omni loco offeratur. Quid enim obſecro impij in Miſſa facimus? Quæcunque conſecrationem præce-

Tract. 1. *in Cano. Ioan.*

Malach. 1.

Pſalm. 109.

dunt,aut Dei laudes ſunt,aut gratiarum actiones , aut publicæ preces , quibus pro incolumitate vniuerſæ Eccleſiæ precamur. Deinde quoniam certò nouimus Deum patrem nobis dediſſe ſuum filium , & hunc ſemetipſum nobis tradidiſſe,offerimus rurſum Deo patri de ſuis donis ac datis,ſicut Canon Miſſæ diſertis verbis dicit,filium ſuum, rogantes vt huius reſpectu omnibus Eccleſiæ debilibus membris velit eſſe propitius. Hoc nimirum votum eſt vniuerſæ Eccleſię:hæc ſi tu intellexeris(ideo autem iam interpretor vt intelligas) ſuffecerit tibi. Nec te moueat quã peregrina lingua hæc peraguntur. Scito quid in ſumma agat Sacerdos, nimirum hoc quod diximus,adde conſenſum tuum,deinde diligenter attendas ad precem tuam, & ſatis habebis quòd agas. Hæc pauciſſimis diſſerere libuit de publico ſacro noſtro,quod rogo nunquam patiare tibi abominabile reddi. Abuſus qui circa illud ſunt ab imperitis & leuiſſimis ſacerdotibus, tibi incommodare non poſſunt,nec integritatem illius perdere.Nec dubitamus quin proceres Eccleſiæ noſtræ Catholicæ iam tandem cogitabunt, quo omnia circa ſacratiſſimum illum cultum ritè peragantur. Supereſt iam fortè,vt nonnihil dicã de Com- *De Commu-*
munione ſub vtraque ſpecie,qua de re multi hoc infelicif- *nione ſub v-*
ſimo ſæculo infeliciter digladiantur, non tàm ab Eccleſia *traq; ſpecie.*
quàm à ſemetipſis diſſentientes. Ego certè in hac re malim fateri ignorantiam meam, quàm Eccleſiæ inſtitutum vel per ſomnium calumniari. Hoc autem non dubito penes Eccleſiam ius eſſe, vt veterem illum communicandi ritum , ſi expedire viderit, rurſum inſtituat. Scio & hoc, quòd qui ſub panis tantùm ſpecie communicat, eum non minus paſci corpore & ſanguine Chriſti, quàm illum qui vtramque ſpeciem ſumit,hoc quod aduerſarij ipſi nec negant,nec citra impudentiam negare poſſunt. Quid igitur eſt, quod pro re non admodum neceſſaria ſic belligeramus? Vín'audire inſtitutum, immò aſtutias Satanæ? In hunc finem huiuſmodi exuſcitat Tragœdias,vt dum circa res leuiculas occupamur, res maximè neceſſarias ſtulti atque imprudentes, noſtróque maximo malo negligamus. Vrgent maximè aduerſarij noſtri illud: Bibite ex eo omnes. Quòd ſi vrgerent illud, quod D,Paulus dicit: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice

bibat. Qui enim manducauerit panem, vel biberit de calice Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini, iudiciumque ſibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini. Multi multa blaterant de veteris Eccleſiæ vſu, & non vident quòd ſi hic eſſet reuocandus, multi illorum indigni haberentur, quibuſcum frater Chriſtianus communem panem mãducaret. Vrgent mandatum Chriſti, ſed hoc vnicum. Cur non & alia Chriſti mandata? Hoc eſt pręceptum meum, inquit Chriſtus, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Cur hoc præceptum negligunt? Chriſtus ait: Attendite ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate. Sed hæc ſurdis canit Chriſtus. Magnum pondus habet quod Apoſtolus de Domini cœna loquitur ad Corinthios. Bene eſt. Sed quid illud in eadem Epiſtola? Nunc

1. *Cor.* 5. autem ſcripſi vobis, ſi is qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut Idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Hæc non tam blanda ſunt atque illa, ideóque minus vrgentur. Sed hæc hactenus, & ſatis quidem pro negotio, ſi modò veritatem ex animo amatis. Nam cum eiuſmodi mihi rem eſſe perſuadeo, non cum contentioſis. Et in hãc quidem digreſſionem me deduxit Lucas, dum meminit fractionis panis, quam primi fideles celebrârunt, cuius ritus & cæremonias (ſine quibus proculdubiò factum eſt minimè) quum ignoramus, admonui ne propterea ritus Miſſæ noſtræ reiiciatis. Multa enim fieri in Eccleſia iam, quæ licèt ab Apoſtolis ipſis & Apoſtolicis viris inſtituta ſunt: tamen literis perſcripta non ſunt. Loquimur de Scripturis Canonicis. nam Apoſtolorum diſcipuli multa eius generis conſcripſerunt, & quidem diligentiſſimè: ſicut videre eſt apud Dionyſium Areopagitam Apoſtoli Pauli diſcipulum, & alios. Sed redimus tandem ad contextum. Quatuor enumerat Lucas circa quod occupati fuerunt primi apud Hieroſolymitanos Chriſtiani: quòd perſeuerauerint in doctrina Apoſtolorum, in communicatione, in fractione panis, & in orationibus. De poſtremo hoc reſtat vt nonnihil dicamus. Et rurſum quidem repetimus diligenter obſeruandum, quàm compendioſè omnia adnotarit Lucas potius quàm conſcripſerit omnia diſcipulorum Chriſti facta: ſermones & prædicationes Apoſto-

lorum,quos ſuis Neophytis fecerunt,non deſcripſit. Nec hîc conſcribit qualis fuerit illorum communio omnium rerum, quod tamen pòſt faciet: nec deſcribit ritum cœnę,ſicut diximus:iam tantum adnotat,quòd perſeuerarint in orationib. In quibus? an ſola oratione Dominica fuerunt contenti?veriſimile non eſt. Quid igitur? Iuxta quod neceſſitas poſtulabat, etiam haud dubiè ſuas inſtituebant orationes. Et habebant proculdubio publicas preces quæ quotidiè ab ipſis fiebant: hoc quod ex Paulo primùm,deinde etiam ex Tertulliano facilè coniicere poſſumus. Ille enim ad Timotheum ſcribens, Obſecro, inquit, primum omnium fieri obſecrationes,orationes, poſtulationes,gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus,& omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt,vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate: hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo. Hunc orandi ordinem & vſum in Eccleſia perpetuò ſeruatum teſtantur inter alios Chryſoſt.Ambro.& Augu. Tertullianus verò de orandi inſtituto, quod ſuo tempore Eccleſia obſeruauit, inquit: Chriſtiani ſuſpicientes in cælum manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus,denique ſine monitore,quia de pectore oramus: precãtes ſumus omnes ſemper pro omnibus Imperatoribus,vitam illis prolixam,imperium ſecurum, domum tutam,exercitus fortes,ſenatum fidelem, populum probum,orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt, &c. Et cap.39. eiuſdem libri inquit idem Tertullianus: Comitis in cœtum & aggregationem,vt ad Deum quaſi manufacta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus,pro miniſtris eorum,ac poteſtatibus,pro ſtatu ſeculi,pro rerum quiete,pro mora finis,&c. Sed hæc hactenus: quæ ſequuntur in contextu, audiamus. *Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos fiebant in Hieruſalem, & metus erat magnus in vniuerſis.* In tanta rerum mutatione homines obſtupeſcere ac timore concuti, non eſt mirum. Quis enim exſpectaſſet tam piam eloquentiam, tantámque diuinarum rerum cognitionem in idiotis Apoſtolis? quis putaſſet animos hominum tam potenter, támque citò eo conuerti,vt iam

1. Tim. 2.

In Apolo. cap. 30.

omnia & facerent & paterentur pro eo, in quem paulò ante omnem crudelitatem & tyrannidem exercuerant? His adde iam prodigia & ſigna, quæ per Apoſtolos fiebant in ciuitate Hieruſalem. Vocat autem Lucas prodigia & ſigna, omnia miracula in genere, quæ fecerunt Apoſtoli. Quæ licèt ipſe ſpeciatim hîc non enumeret: tamen ex ſequentibus quæ ſcripta ſunt, etiam illa æſtimamus. Admirabantur itaque omnes quî fieret tam repentina metamorphoſis, quòd ex auditu nouæ prædicationis de Ieſu, homines multò alij quàm antea fuerant, prodirent. Et qui prius erant auari, impoſtores, inuidi, oſores, libidinoſi, ſcortatores, ebrioſi: nunc omninò mutati efficiebantur liberales, benefici, ſancti, caſti, ſobrij, & porrò noui homines, alienámque perſonam induti. Et neceſſe quidem eſt, vt qui volunt Chriſti & vocari & eſſe diſcipuli, veterem hominem exuant cum actibus ſuis: nouum verò hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, induant. Atque his notis manifeſtabantur Chriſtiani recens renati, à quorum moribus quam alieni ſint iam qui vel Cathólici, vel Euangelici vocari gaudent, quis non videt? Hi enim non alia re ſuam fidem probare ſolent, quàm eſu carnium in 4. & 6. feriis, contemptū Miſſæ & Sacramentorum, reiecta confeſſione, & vulgatis quibuſdam concionibus: Catholici verò ſuperſtitione potiùs, & leuiculis quibuſdam rebus, quæ & ab impiiſſimis quibuſque fieri poſſunt, ſuam profeſſionem commendari volunt. Sed Apoſtolus alios fructus boni ſpiritus enumerat atq; nunc quidam proferunt, nomine magis quàm re ipſa Chriſtiani. Sed hæc aliâs. Fiebat, inquit Lucas, omni animæ timor. Quid eſt omni animę? Omni homini vult dicere. Niſi fortè animā potiorem hominis videlicet partē ponere voluit, vt admoneat ſtuporem hunc & trepidationē non fuiſſe fictam, ſed ſeriam. Nam magiſtratus Hieroſolomitanus ſic terrore perfuſus eſt, vt iam nihil omninò mali contra diſcipulos Chriſti attentare auſus fuerit, vtcunque paulò antè in dominum illorum inſanierint. Sequitur. *Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* In Euangelio Lucæ legimus: Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt

teſt meus eſſe diſcipulus. Hoc enim poſtulat Dominus à diſcipulis ſuis, vt omnē fiduciam ſuam in ipſo collocent, non in rebus terrenis, item vt nihil illi præponant, nihil præ illo ament:eſt enim Deus zelotes. Et ſicut ipſi omnia bona de illo & ſperant & accipiunt: ita debent & ipſi beneuoli & humani eſſe erga omnes, parati omnibus prodeſſe, obeſſe verò nemini. Hi fructus produnt verum Euāgelicum hominem, docentq́ue te eſſe verè fructiferam oliuam in domo Domini. Et certé nemo liberalior eſt in proximos, niſi qui fiduciam ſuam omnem in Deo poſuit. Nam qui adhuc confidit in diuitiis ſuis, non facilè de illis aliquid impartiet fratri, qui ſemper veretur ne theſauro diminuto, ipſe tandē egere cogatur. Primi itaque Domini diſcipuli, poſtquam cognouerunt ſe in communionem veniſſe omnium bonorum Chriſti: non difficilè perſuaſi ſunt, vt & ſua bona communia facerent reliquis ſuis confratribus. Et hoc eſt quod Lucas hîc dicit: Omnes, inquit, erant pariter, aut potiùs erant vnanimes, idem ſapiebant, pacem inter ſe habebant, alteri alteros ex animo amabant. Quod etiam aperto & euidenti argumento teſtatum faciebant. Habebant enim omnia communia. Quid hoc?ne ſomnies hîc Platonicam Rempublicam. Abſit. Si enim verba Lucæ non perpenderimus ſanè, ſequeretur & illos etiam vxores, & neſcio quid non communicaſſe, ſequeretur deinde confuſio omnium Rerumpublicarum, & daretur maxima licentia impiis ſæuiendi in pios. Quid igitur vult Lucas nobis ſignificare, dicendo: Erant illis omnia communia? nihil aliud quam quòd inter nouos illos Chriſtianos maxima fuit charitas: tanta nimirum, vt ſinguli ſingulis inſeruiebant, nec patiebatur quis quenquam egere, ſed diuidebatur vnicuique quantum opus fuerat. Certè ex verbis Lucæ, ſi modò ritè expendas, apparet ac planè liquet, quòd communio iſta nihil aliud fuerit, quàm voluntaria communicatio, ſiue diuiſio. Nam vendebant ait: ergo propria erant quæ vendebant. Quis enim probus aliena vendiderit? Diuidebant præterea: ergo rerum domini erāt, nec ita cōmunes erant opes, vt quiſque quod liberet, raperet. Proinde non traditur hoc exemplo confuſio rerum & Reip. vel legum de emptione & venditione, de locationę & mutuo negle-

ctus:ſed charitas & miſericordia docetur, nempe vt amicos nobis paremus de iniquo Mammona, ne pecunias vel luxu cōcoquamus, vel ſtulti philoſophi Cratetis more abiiciamus:ſed in pauperes diſpẽſemus, vt in cælis copioſum theſaurum inueniamus. Sed quid multis verbis opus eſt? Si Anabaptiſtæ omninò contenderint, nullum poſſe, vel deberi inter verè Chriſtianos cenſeri, niſi qui omnia bona ſua in commune dederit, nihilq́ue proprij habuerit: multę Chriſti & Apoſtolorum ſententiæ euacuabuntur. Chriſtus in Euangelio dicit: Mutuum dantes, nihil inde ſperantes. Iam vbi omnia ſunt communia, non eſt opus vt mutuo alter det alteri, quandoquidem æquè ſunt pauperis, atque diuitis. Quòd ſi Chriſtianus mutuo dat alteri, conſequitur ipſum plus poſſidere quàm eum cui dat mutuo. Si plus habet, non ſunt omnia communia, ſed ſinguli ꝗſuum eſt poſſident. Nam & in quarto cap. Actorū ſic audiemus ſcriptū eſſe: Multitudinis credentiū erat cor vnū & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuū eſſe dicebat ſed erãt illis omnia cōmunia. Manebat ergo quiſq; Dominus eius rei quam poſſidebat, nec cogebatur eam deſerere vel aliis dare, niſi quantum ſpontè volebat. Hoc

Acto.5. verba Petri ad Ananiam clarè indicant. dicit enim: Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? quare ergo poſuiſti in corde tuo hanc rem? Ex quo cōſequitur factum hoc naſcentis Eccleſiæ non legem fuiſſe generalem, ſed liberalem quandam beneficentiam, & animi beneuoli & hilaris promptitudinem ex charitate, quæ tum ardebat, ſubnatam. Si iſta rerum cōmunicatio, quam Anabaptiſtæ fingunt, faceret verè Chriſtianos, vt ſine illa Chriſtianus eſſe nemo poſſet, quomodo Chriſtiani erunt Romani, Corinthij, Macedones, omnes denique qui ad Chriſti fidem per prædicationem Pauli cōuerſi ſunt? Nam illis manebant ſuæ facultates & poſſeſſiones, ex quibus tantum conferebant pauperibus, quantum ipſi volebant, & quantum Chriſti ſpiritus ſuggerebat. Sic enim legimus

Roman.15. in ea quæ ad Romanos eſt Epiſtola: Nunc igitur proficiſcar in Hieruſalem miniſtrare ſanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaïa collationem aliquam facere in pauperes ſanctos, qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis, &

1.Cor.15. debitores ſunt eorum, &c. Et in Corinthiis ſcribit: De col-

lectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quòd ei benè placuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Et in altera ad Corinthios admonet, vt vnuſquiſque pauperibus reponat, prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex neceſſitate. Hilarem enim datorem, inquit, diligit Deus. 2. *Cor.* 8.
Vides hic nihil fieri iuxta ſententiam Anabaptiſtarum: ſed ſinguli ex ſuis poſſeſſionibus quantum ſibi placuerit tribuunt. Et Timotheum admonet, vt diuitibus præcipiat non omnia bona ſua relinquere, ſed facilè communicare, &c. Iam ſi fuerunt diuites inter nouos Chriſtianos, nimirum & pauperes fuerunt. Si diuites & pauperes fuerunt, non fuerunt omnia in omnibus Eccleſiis communia. Proinde nihil eſt, quòd Catabaptiſtæ hac rerum naſcentis Eccleſiæ communicatione, omnes Chriſtianos poſſeſſionibus & facultatibus ſuis exuant & depellant aut rerum ſuarum vſu interdicant, aut eum qui ſua poſſidet à Chriſto ſeparent, & Chriſtiano nomine indignum faciant. Nec aliquid facit pro Catabaptiſtarum opinione, quod Chriſtus in Euangelio cuidam dicit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus. Nam ſi hoc conſilium ad omnes Chriſtianos pertineret in vniuerſum, quæ ſequeretur abſurditas? Ad quos enim deuenient alios Chriſtianorum vniuerſæ opes, niſi ad Ethnicos & incredulos? Nam qui volet Chriſtianus eſſe, vendet omnia quæ habet, & dabit pauperibus. Interim non poterit opes ſuas aliis erogare, quam Ethnicis pauperibus. Si enim quidquam Chriſtiano dederit, cogetur hic protinus alteri dare, ne quid habeat aut poſſideat proprij, donec ad manus perueniat Ethnici. Hinc iam pendebunt ab Ethnicis Chriſtiani, ab illis mendicabunt, quod ad vitam ſuſtinendam alendámue familiam opus fuerit. Sed res ipſa clamat, hanc impiam Anabaptiſtarum opinionem ex diametro pugnare contra vniuerſam ſcripturam ſacram. Sed quid dicam? Catabaptiſtæ volunt omnia habere communia: & nos qui Chriſtiani ſumus & ab illorum prauis opinionibus abhorremus, pauperibus quaſi nihil elargimur, volumus omnia habere propria, nec alicui de noſtris quidquam commu-

1. *Tim.* 6.

nicare. laboratur ergo vtrinque in extremis. Quid igitur? Nemo te cogit vt omnibus rebus tuis renuncies, & ſic nudus nudum ſequare Chriſtum: ſed hoc iubet te Chriſti ſpiritus in Canonicis literis, vt pauperibus ex bonis tuis liberaliter ſubuenias, velisque potiùs omnibus temporalibus bonis carere, quā vnico Chriſti fauore. Sed ad contextum tandem reuertimur. Quod Lucas ait primarios Chriſtianos vendidiſſe poſſeſſiones & ſubſtantias ſuas, hoc eſt, fundos, prata, iugera & vineta, aurum item & argentum, diuiſiſſeque ſingulis prout cuique opus erat: nihil aliud voluit ſignificare, niſi Chriſtianum ſic animatum fuiſſe in Chriſtianum, vt ſinguli ſingulorum curam habuerint, alteri alteris ſubuenerint, ac non ſecus quam membra vnius eiuſdemque corporis pro ſe inuicem ſolicita fuerint. *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Meritò perdurant in orationibus, qui multas orandi cauſſas habent, non tam ſuo quàm aliorum nomine. Perdurant in verbi etiam prædicatione. Priuata neceſſitas vrgebat, vt pro incremento fidei, & bonorum morum apud Deum piis precibus inſiſterent, item ne circumuenirentur à Satana, &c. Charitas verò fraterna cogebat, vt alter pro altero ſupplicaret, quo tandem propagaretur regnum Chriſti, & in omnibus Dei nomen ſanctificaretur. Orabant autem & conuerſabantur in templo, non ſolùm ne venirent in ſuſpicionem malignæ conſpirationis: ſed etiam vt ſuo exemplo alios ad ſui imitationem prouocarent. Si hîc expendere volueris verba Lucæ, inuenies ſingula ſuam, & magnam quidem habere Emphaſim. Quòd enim dicit illos quotidie conuerſatos in templo, docet conſtantiam,
1.Theſſ.5. diligentiam & ſedulitatem non ſolùm Apoſtolorum, ſed etiam recens renatorum fidelium. Et Apoſtolus docet, vt ſine intermiſſione oremus, nimirū quia ſine intermiſſione hoſtis nos ſollicitat, iam à dextris, iam à ſiniſtris nobis inſidiatur. Nec contentus eſt Lucas dixiſſe, quotidie hoc factum ab illis, ſed addit illos perduraſſe; ſiue perſeueraſſe in templo in cultu Dei, in precationibus & verbi Dei audi-
Matth.10. tione. Non enim ſatis eſt cœpiſſe bene agere, niſi & per-

ſeueres. Qui perſeuerauerit vſque in finem, ait Chriſtus, ſaluus erit. Et Propheta inquit: Maledictus eſt qui facit opus Domini negligenter. Nec videtur ex animo bonum opus cœpiſſe, qui illud tam perfunctoriè agit, tamque citò deſinit. Et hîc multi reprehendendi eſſent illi, qui aut nunquam ingrediuntur templum, aut ſi ingrediuntur, non exſpectant finem Sacri, non exſpectant donec ſacerdos illis faciat abeundi copiam, dicens: Ite Miſſa eſt. Olim arcebantur à Sacris qui in graui aliquo fuerant deprehenſi delicto, iudicabaturque hæc grauiſſima pœna: iam maior pars Chriſtiani populi ſemetipſum excommunicat, & indignum facit, quæ ſacris fidelium interſit. Sed hæc aliàs. Addit Lucas illos primos videlicet Chriſtianos perduraſſe vnanimiter in tẽplo, quo docere vult illos non ſolùm corpore coniunctos fuiſſe, ſed etiam animo. Et Paulus docet vt orantes leuemus puras manus ad Deum ſine diſceptatione. Et Chriſtus: Si ſtabitis ad orandum, &c. nam locus notus eſt. Poſtremò quòd ſcribit illos in templo perſeueraſſe, contra illos eſt qui ſe à publico templo, à que Chriſtianorum conuentu abſtinent, malè intelligentes illud Chriſti: Tu cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio poſt te, ora patrem tuum in abſcondito, & cæt. Sequitur. Frangentes circa domos panem: quod non intelligimus de Sacramento Euchariſtiæ dictum, ſed potiùs de hoſpitalitate & munificentia, qua inter ſe vſi ſunt primitiuæ Eccleſiæ credentes. vnde Lucas ſeipſum exponens addit: Sumebant cibum cũ exultatione & ſimplicitate cordis. Nam tenuiores ditiorum alebantur liberalitate, nec quiſquam quicquã erogabat vel coactè vel verſuto animo, ſed liberè cum gaudio, & ſine oſtentatione, &c. Nam hic eſt modus verè præſtandæ Eleemoſynæ, ſcilicet, vt noſtrapte ſponte, & non verſuto animo demus, hoc eſt, vt in eleemoſyna eroganda nihil aliud cõſideremus, niſi vt Dei voluntatem faciamus, & fratrum noſtrorum inopiam ſubleuemus: hoc enim nos Chriſtus docet, docet idem Paulus. Cùm facis eleemoſynam, ait Chriſtus, noli tuba canere ante te ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat

Hiere.48. *1.Timot.2.* *Marc.11.* *Matt.6.*

ſiniſtra tua quid faciat dextra tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Hæc Chriſtus. Paulus verò Corinthiis ſcribit: Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex neceſſitatę ſcilicet, largiatur eleemoſynam. hilarem enim datorem diligit Deus. Et iterum: Si voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt, non ſecundum id quod non habet. Sed de elargiendis eleemoſynis, ſiue de liberalitate in egenos, fortè aliâs copioſius diſputabimus. Certè primitiuæ Eccleſiæ Chriſtiani vix aliud diligentius curabant, atque ne negligerentur pauperes. Hinc factum eſt quòd etiam cibos templis inferebãt, quos in celebratione cœnæ Domini pauperibus erogabant: hoc quod ex Corinthiorum Epiſtola apparet, qui tamen tum etiam viuentibus Apoſtolis, conſuetudine illa ſancta abutebantur, hoc quod in commentariis noſtris in illam vtcunque explicauimus. Et frequenter quidem conueniebant Chriſtiani tum, & conferentes cibos vnà manducabant vel in templo, ſi quod habebant, vel in priuatis ædibus, ſi quando Gentilium improbitas publicos conuentus prohibebat: conueniebant, inquam, & inuicem ſumebant cibum. quod nolim de opiparis inſtructiſ-que intelligas conuiuiis, quaſi illi ſe mutuis refocillarint cupediis, ſed quòd ditiores pauperibus communicarent, qui ſcilicet non habebant. Nullus in cœnis illis erat luxus, nulla inſolentia, ſed omnia ſic inſtituebantur, vt intelligeres nihil aliud ab illis quæri, niſi gloriam Dei, & charitatem proximi. Dum enim ſumebãt Euchariſtiam, & corpore & ſanguine Domini communicabant: ſic parati erant illorum animi, vt nõ ſolùm ſubſtantiam ſuam, ſed & corpora ſua impendiſſent pro fratrũ ſalute, vt vel ſic aliquo modo vicẽ redderent Chriſto. Hinc in illorum cœnis nõn audiebantur impuræ & laſciuę cantiones, non odioſæ fratrũ detractiones, ſed Dei laudes. Hinc eſt quod Lucas, qui Acta ſua plus minus viginti nouem annis poſt paſſum Chriſtũ ſcripſit, hoc in loco dicit: Sumebãt cibum in ſimplicitate cordis, cũ exultatione collaudãtes Deum, nimirum pro acceptis beneficiis. D. Tertullianus cœnam hanc, ſiue conuiuium hoc vocatam docet Agapen, & huius formam & modum deſcribit pulcherrimè, in hæc ni-

2. Corin. 9. *2. Corin. 8.* *Quo tẽpore Lucas Acta cõſcripſerit.*

mirum verba: Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit. Vocatur ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt: quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio iſto iuuamus, non qua penes vos (Ethnicos) paraſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis, ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi: ſed qua penes Deum maior eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſſa eſt conuiuij, reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate, quid ſit de religionis officio. Nihil vtilitatis niſi modeſtiæ admittit. Non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur, editur quantum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis vtile eſt: ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit. Inde diſceditur non in cateruas cenſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarum, ſed ad eandem curam modeſtiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint quàm diſciplinam. Et hæc quidem Tertullianus, ex quibus intelligimus quales conuentus olim celebrauerint Chriſtiani, nimirum quales filios Dei decebat. Sed hæc fortaſſis æquo prolixius: quamuis opinor nemini tædioſum eſſe audire quales fuerint progenitorum noſtrorum piæ conſuetudines, quarum poſſem adhuc plures adducere, & quarum veſtigia adhuc apud nos ſunt, ſed quidquid illud eſt, in aliud tempus & locum alium differemus. Ex conuiuiis illis veterum fortè hoc reliquum eſt quod in Cœna Domini conuenimus, & mandatum quod vocant celebramus, & quòd noſtri morem habent ſtatis diebus erogandi eleemoſynam, quam vulgò Spendam vocant, ab expendendo deducto, vt opinor, vocabulo. Ad Lucam igitur noſtrum reuertimur, qui poſtquam dixerat quibus rebus nimirum optimis primi illi Chriſtiani fuerint occupati, adiicit: Et habentes gratiam ad omnem plebem. Quis enim non amaret tam innocentes & ſanctos homines? licèt locus hîc non intelligendus ſit ſic, quaſi nemo illis fuerit infenſus.

Conuiuia veterum Chriſtianorum qualia.

In Apolog. cap. 39.

Mandat.

Spend.

Neque enim dubium eſt, quin res hæc diſplicuerit Scribis & Phariſæis vt quæ maximè. Sed maior pars hominum non poterat non probare illorum probum atque honeſtum inſtitutum. Sequitur continenter. *Dominus autem augebat, qui ſalui fierent quotidiè in idipſum.* Nihil hîc difficultatis eſt ſed doctrinæ ſatis, ſi modò quis hæc verba pro merito excuſſerit. Prædicat Petrus, ſed nihil efficit ſua prædicatione, niſi Dominus cooperetur. Diſcimus ergo hoc in loco, vt incrementum Eccleſiæ non hominum prędicationibus, ſed Deo adſcribamus: diſcimus item neceſſarium eſſe, vt rogemus Dominum pro incremento verbi ſui, maximè hoc tempore cùm videmus tam multos nedum non proficere ad Euangelij doctrinam, ſed ne aures quidem illi accommodare. Obſerua & hoc quod Dominus addit eos Eccleſiæ ſuæ quos ſaluare vult, vt intelligas neminem extra Eccleſiam ſeruari poſſe. Et ſicut Dominus populum ſuum auget, ita haud dubiè colluuiem ſuam etiam adaugere ſolet Satanas. Det Dominus vt etiam Eccleſia noſtra Catholica & Orthodoxa augeatur veris Chriſtianis, qui vita & moribus nobis referant fideles illos, de quibus hoc capite diximus: ſic enim fiet vt longè copioſiorem meſſem habebimus in die Domini, qui conſtitutus eſt à Deo rex viuorum & mortuorum. Et tantum de hoc capite.

CAPVT III.

PEtrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex vtero matris ſuæ baiulabatur, quem ponebant quotidiè ad portam templi quæ dicitur ſpecioſa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum.

Magnam & ſingularem fuiſſe inter Petrum & Ioannem familiaritatem & amicitiam, Euangelica hiſtoria maniſeſtiſſimè docet. Quum neceſſitas vrgeret parandi Paſcha, miſit Chriſtus Petrum & Ioannem vt pararent. Et in ipſa nouiſſima cœna dum affirmarent Chriſti vnum ex diſcipulis fore traditorem, nemóque auderet interrogare quis eſſet ille ſceleſtus, Petrus innuebat Ioanni vt roga-

ret ſuper illo Ieſum. Poſt mortem itèm vnà currunt ad monumentum Chriſti,viſuri num mulieres,quæ narrauerant illud vacuum eſſe,vera narraſſent. Iam poſt Domini reſurrectionem rurſus ſequitur Ioannes Petrum,vnde hic ſuam audiens paſſionem,etiam de illius conditione curioſus eſt. Sic & hoc loci Petrus & Ioannes vnà aſcendunt in templum,& hoc ad horam orationis nonam. Et aperta quidem videtur hæc hiſtoria,ſed tamen multarum & magnarum rerum nos admonere poteſt,ſi modò nihil hîc in interpretando neglexerimus, immò niſi vos negligentes auditores fueritis. Quum enim Petrus & Ioannes aſcendiſſe dicuntur in templum vt orarēt, quis noſtrûm eſt qui ſe precationibus indigere non putet? Illi iam iam acceperant Spiritum ſanctum, iam iam declarati fuerant eximij Dei amici, nihil tamen negligentius orant, nimirum cogitantes quòd poſtea Paulus dixit: Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Quid verò orauerint, quibúſue verbis, non opus habet profunda indagatione: ſiquidem ipſi teſtes reſurrectionis Chriſti, & prædicatores Euangelij,extra dubium orârunt pro felici Euāgelij ſucceſſu,pro incremento Eccleſiæ,& pro huiuſmodi rebus aliis ad propagationem regni Chriſti pertinētibus. Sic nemo noſtrûm eſt, qui non habeat iuſtas precandi cauſſas, ſi modò conſiderauerit ſe eſſe membrum eius corporis, quod adhuc in miſera hac valle peregrinatur. Sed de precandi neceſſitate aliâs copioſius. Breuiter dico. Quiſquis nulla re eget,quiſquis item ſuarum rerum certiſſimè ſecurus eſt, ille non multa,immò nulla precatione opus habet. Quid? etiamſi tu extra omnem teli eſſes iactum,nihilq́ue eſſet quod tuo nomine ſollicitus eſſes: tamen non potes citra magnum piaculum fratrum tuorum remittere curam. Sed & hoc obſeruandum eſt, quod Apoſtoli oraturi non remanſerunt in priuatis ædibus (licèt dubium non ſit,quin & priuatim orauerint) ſed aſcenderunt in templum vt inibi orarent. Anne audierunt à Chriſto: Tu autem cùm oraueris,intra in cubiculum tuum?&c. Anne per hypocriſim,& ad ambiendam vanam gloriam hoc fecerunt? Anne adhuc Iudaïzant? nihil horum cogitare debes de viris Spiritu ſancto plenis. Neque enim ſic intellexerant Chriſti verba de intrando cubiculum,quaſi in publico orare non liceat,

nec obliuioni tradiderant quod Chriſtus docuerat, iuſtitiam noſtram non eſſe ideo faciendam coram hominibus vt videantur ab eis:ſic nec Iudaïzare credendi ſunt, etiamſi cum Iudæis templum intrant oraturi. Neque enim omnia nobis prohibita ſunt in cultu Dei, quæ Iudæos obſeruaſſe certò conſtat, aliâs multa veræ religionis noſtræ explodenda forent:immò multa habuerunt Ethnici in cultu Idolorum ſuorum, quæ filij Dei non ideo in vero Dei cultu reiiciunt. Vnde friuolum, immò & impium commentum eſt illorum, qui videntes cæremonias Eccleſiæ, quibus olim vel Iudęi vel etiam Ethnici vſi ſunt, ſtatim dente Theonino proſcindunt, abominantur, atque illis idololatriæ notam inurunt. Multa fecerunt Ethnici ſuis idolis, quæ nos iuſtè facimus Deo ac Seruatori noſtro. Sec hæc hactenus. Iam negligendum non fuerit quod Lucas non ſolùm orationis locum, templum ſcilicet ſignificauit, ſed etiam horam, quam nonam diei fuiſſe dicit. Habebant enim Iudæi ſuas certas & ſtatas orandi horas, ſicut ex Daniele & aliis locis ſacræ ſcripturæ intelligimus. De Daniele enim legimus, quòd ter in die orare conſueuerit. Dauid dicit: Septies in die laudem dixi tibi. Et rurſum: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Sic & nos Chriſtiani certas & ſtatas habemus horas, in quibus ad precãdum ſolebant conuenire quibus Chriſtus cordi erat. Et oportebat quidem ſemper orare, & nunquam deficere: ſed quoniam exilium noſtrum (cuius nomine circa alia occupamur) non patitur, vel certis quibuſdam ordinatiſque temporibus conueniendum fuerat. Hinc matutinæ, hinc veſpertinæ horæ precibus conſtitutæ ſunt: atqui nos illorum nihil curamus, olim tandem ad cor reuerſuri, quando pœnitentiæ non dabitur amplius locus. Cæterùm Apoſtoli noſtri ad horam nonam, hoc eſt, ad tertiam noſtram pomeridianã ingrediuntur templum. Hoc tempore non ſolemus ingredi templum, ſed œnopolium: non precari, ſed potare. Ingrediuntur templum Apoſtoli non animi gratia, ſed vt orarent, eáque agerent ad quæ oratoria ſunt inſtituta. Et addit Lucas præ foribus templi ſediſſe mendicum quendam, quem diligenter deſcribit, nihil ſilentio præteriens quod illius miſeriam vel aliquo modo declarare poteſt. Primò enim dicit eum claudum fuiſſe ex vtero

Non omnia reiicienda quæ vel Ethnici vel Iudæi habuerunt in vſu.

Hora nona.

Neemiæ 9.
Daniel. 6.
Pſalm. 118.

Et quoniam vniuerſa Eccleſia etiam circa alia occupatur, publicos habet precatores, &c. Et hi ſicut alij publici miniſtri, ſuis priuilegiis gaudet.

matris. Naturalis ergo morbus erat, & maior arte medica: immò quadraginta annis claudicans fuerat, ſicut in progreſſu dicit, & nullus illum vnquam curauit. Scimus autem quòd curatu difficiliora ſunt, quæ ſcilicet à natiuitate alicui inſunt. Sic in Euangelio quidam deſcribitur cæcus à natiuitate, quem Chriſtus etiam ſanauit ac illuminauit, quo nomine etiam populus plurimum admiratus eſt. Addit Lucas claudum illum non leuiter claudicaſſe, ſed ſic deſtitutum fuiſſe pedum officio, vt neceſſe fuerit illum ab aliis geſtari, ſic vt per ſe non potuerit oſtiatim mendicando eleemoſynam petere. Hinc eſt quod ſequitur. Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. Attendite. ex his apparet claudum illum non ſolùm corpore, ſed & ſubſtantia & fortuna miſerum fuiſſe. Si enim aliqua pingui fuiſſet hæreditate fortunatus, non neceſſe fuerat ſic baiulari ad templi portam. Sed quare præ foribus templi ſedent mendici? dicam & breuibus. Omnes qui precationis cauſſa templum ingrediuntur, mendici Dei ſunt, & qui præ tẽpli foribus ſedent, mendici tui ſunt. Iam in Euangelio dicit Dominus: Date, & dabitur vobis. Ingreſſuri igitur templũ, prius ipſi miſericordiã faciunt cum proximo, quàm ipſi orant illam à Deo. Iudicium ſine miſericordia fiet illi, ait Iacobus, qui nõ facit miſericordiã cum proximo ſuo. Vides ex his ſicut apud nos mẽdici porticus & portas templorũ occupãt, ita olim etiã factũ apud Iudæos. quamuis mihi placeret multò magis, vt mendici qui non contagioſos habent morbos ingrederentur templa, nobiſcum orarent, & ſermones Euangelij audirent: iam porrò diuerſum fit. Qui debebant ſe alienare à conuentu populi, in huius medio ſunt: alij verò ne reſpiciunt quidem ſemel in templum. Sed reuertamur ad mendicum noſtrum, viſuri qualem accipiat eleemoſynam. *Is cùm vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis.* Aperta ſunt hæc, quia hiſtorica, & ideo nulla expoſitione indigent: eſt tamen in his quod obſeruatione digniſſimum putamus. Quòd enim mendicus eleemoſynam ro-

Ioan. 9.

Quare mendici præ foribus templi.

Luc. 6.

Iacob. 2.

Mendicus nihil magnificè ſentit de Apoſtolis. gat à Petro & Ioanne, duo intelligimus. Primum quòd mendicus ille nihil præclarius ſenſerit de his duobus piſcatoribus, quàm de aliis vulgaribus hominibus: neque rogauit ab illis ſanitatem, ſed vulgarem eleemoſynam, qualem haud dubiè à multis iam acceperat. Secundum quod obſeruatione dignum putauimus eſt, quòd mendicus ille rogat eleemoſynam, non conuiciis & maledictis efflagitat, ſicut iam vulgus mendicorum ſolet. Sed audiúntne Apoſtoli mendicum? vtique. Petrus enim cum Ioanne intuens in eum. Non dedignantur in illum intueri, nec dedignantur alloquio. Intuentur illius miſeriam & valetudinem infelicem, & alloquuntur dicentes: Reſpice in nos. Hanc humanitatem multi hoc ſęculo non exhibent erga pauperes & mendicos. Sunt enim qui ſimul atque illis obuius fuerit mendicus, vel auertunt oculos & aures, vel aliorſum declinant, ne cogantur ſcilicet illi aliquid impartire. Sed quid ſibi vult quod dicit Petrus, Reſpice in nos? Non eſt aliquid arrogantiæ hîc in Petro, ſed quoniam per ſpiritum Dei intelligit tempus eſſe edendi miraculum aliquod quod Chriſti gloriã promoueat, iubet in ſemetipſos mendicum reſpicere, non alia nimirum ratione, niſi vt intelligat mendicus hîc nihil fortùitò fieri, ſed omnia procurantibus Apoſtolis. Et hoc humilitatis eſt, quòd Petrus non dicit, Reſpice in me, quaſi ipſe ſolus aliquid magnificè præſtari aut velit aut poſſit: ſed adiungit ſibi Ioannem, Reſpice, inquit, in nos. Neque enim tenebatur Petrus eo faſtu quo quidam nunc miſerè captiui tenentur, ſcilicet vt omnem laudem beneficiorum ſibi arrogẽt, etiamſi minimam horum partem ipſi fecerint, negligentes in hoc omnem modeſtiam, ſibíque magnum conciliantes contemptum. Dum enim ex hac arroganti oſtentatione commendari & extolli aliíſque præferri ambiunt, fit vt à longè pluribus & vehementiùs irrideantur. Sed hac de re non ita multò pòſt plura dicemus. *Petrus autem dixit. Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Certè mendicus ſperabat ſe vel aurum vel argentum ab Apoſtolis accepturum, quoniam non dubitabat illos vel tantum habere, quantum ſolent homines mendicis impartire. Nec eſt

Apoſtolorum humanitas erga mendicum.

Petri humilitas.

dubium quin ſanitatem ab illis poſtulaſſet, ſi perſuaſum habuiſſet Apoſtolis tantum fuiſſe poteſtatis. Atqui Petrus neque argentum neque aurum habebat, & ſi hoc vel illud habuiſſet, nihil fuerat collatum eo quod mendico dedit. Quod habeo, inquit, tibi do. Quid habes ô Petre? tantum habeo, inquit, vt poſſim tibi dare ſanitatem, quam tibi à quadraginta annis nemo hominum dare potuit. In nomine igitur Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula, hoc eſt, ſis ſanus & incolumis, & qui iam per multos annos portatus es quò fortè alij voluerunt, iam liber ambula quò tu vis. Quid hic dicemus fratres chariſſimi? nequaquam vana fuerunt verba Petri, hoc quod ſtatim audiemus. An non res admiratione digna maximè hoc ſeculo, Petrum tantum Apoſtolum non tantum habere vel auri vel argenti, vt vel ſtipem dare poſſit mendico? ſed longè plus habuit, hoc nimirum quòd neque auro aut argēto vel venit vel emitur. Ab huius Petri exemplo longè multúmque abſunt, qui hodie gloriantur ſe ſucceſſiſſe in locum Petri & Apoſtolorum, neque poſſunt verè dicere, argentum & aurum non habeo, quum toti in hoc ſint vt illis nihil deſit, neque etiam hoc poſſunt dare, quod Petrus dedit. Quantum enim in diuitiis illis accedit, tantum virtutibus illorum decedit, non quòd aurum & argentum poſſidere malum ſit, ſed quòd illis abuti, hoc quod iam fit, peſſimum ſit. Nunc multi, inquit diuus Hieronymus, licèt ſermone taceant, opere loquuntur: Fidem & miſericordiam non habeo, quod autem habeo argentum & aurum non tibi do. Et diuus Bernardus ad Eugenium ſcribens ait: Non locus eſt ocio, vbi ſedula vrget ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Nam quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſtolus? Quod habeo, hoc tibi do. Quid illud? vnum ſcio, non eſt aurum, non eſt argentum cùm ipſe dicat: Argentum & aurum non eſt mihi. Si habere contingat, vtere non pro libitu, ſed pro tempore, ſic eris vtens illis, quaſi non vtens. Ipſa quidem, quod ad animi bonum ſpectat, nec bona ſunt nec mala: vſus tamen horum bonus, abuſio mala, ſollicitudo peior, quæſtus turpior. Hæc ille. Sed nolumus hoc in loco verboſi eſſe, quum deſint quorum intereſt hac de re admoneri. Auaritia in omni Chriſtiano deteſtanda eſt: in clericis verò multo maxi-

Ad Euſtochium.

Libro 2.

ambulantem & laudantem Deum. Cognoſcebant autem eum quod ipſe erat qui ad eleemoſynam ſedebat ad Specioſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore & extaſi in eo quod contigerat illi. Cùm teneret autem Petrum & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes. Omnia hæc plana ſunt, nec aliqua interpretatione indigent: ſolùm enim indicant hæc verba Lucæ, quæ ex claudi ſanatione conſequuta ſint, nimirum magna admiratio & ingens ſtupor populi. Et erat quidem res admiratione digniſſima, hominem ab vtero matris claudum tam citò ſanare. ſic autem neceſſe eſt rem intelligas, ſicut illi intellexerunt. Primò enim conſiderabant claudum, cogitantes miſeram illius & diuturnam valetudinem, tantam videlicet, vt neceſſe haberet ab aliis circungeſtari, &c. Nouerant item quòd hactenus nemo illum ſanare potuerit: iam verò vident illum ſanatum, non ſolùm non claudicantem, ſed recto & iuſto greſſu ambulantem, immò & exilientem, vt nemo de illius incolumitate quicquam dubitare poſſet. Secundo oculos figunt in Apoſtolos, quos profeſſione non medicos, ſed piſcatores eſſe nouerant. Quis verò non admiraretur homines piſcatores poſſe curare morbos, quos curare etiam peritiſſimi medici non poſſunt? ſic enim populus iudicabat, nihil adhuc cogitans de Chriſto aut huius immenſa virtute. Adde quod qui claudus fuerat, ſemper inhærebat lateri Apoſtolorum, magnificè hos vulgò commendans, & enarrans quanta ſibi per Apoſtolorum miniſterium Deus fecerat. *Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?* Iam alteram concionem Petri audiemus, cui pro ſuſcepta gratia interpretandæ operam noſtram libenter locabimus. Sic ergo inquit Lucas. Videns autem Petrus: Quid vidit Petrus? populum accurrentem & magna frequentia confluentem, admirantémque tam ingens miraculum à plebeis, vt ipſi putabant, piſcatoribus factum. Atqui Petrus non ignorans conditionem ſuam, non vult vt ſibi adſcribatur laus quæ Deo debebatur, ideóque illam à ſe atque à Ioanne remouet, & in Chriſtum transferre iubet. Hæc enim eſt modeſtia & humilitas piorum hominum, vt

Vide Chryſoſto. homil. 28. in Geneſim.

quidquid ſunt ac poſſunt, non ſuis meritis aut virtuti, ſed potiùs Deo adſcribi velint: hoc quod tam in Veteri quàm Nouo teſtamento videre licet. Daniel cùm interpretaturus eſſet Nabuchodonozori regi ſomnium, etiam non vult ſibi tantum ſapientiæ adſcribi, ſed hanc gloriam à ſe

Daniel. 2. remouet, inquiens: Mihi non in ſapientia, quæ eſt in me plus quàm in cunctis viuentibus, ſacramentum hoc reuelatum eſt, ſed vt regi interpretatio manifeſta fieret. Et

Gene. 40. Ioſeph in ſimili argumento: Nunquid non Dei eſt interpretatio? ſed hæc ſuffecerint. Nam Chriſtianis notum eſt, quàm malè audiat apud Deum & homines arrogantia. Audiamus itaque Petrum loquentem. Maiore enim ſermonis fiducia referta eſt hæc oratio quàm ſuperior, non quòd Petrus in priore ſibi timuerit, ſed quoniam homines illi irriſores ac ſubſannatores, & concitatores riſus ad tantam orationem non fuiſſent idonei. Viri Iſraelitæ, inquit, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? res non admodum mira eſt, ô Iudæi, ſi modò illam rectè cognoueritis. Nam Deo nihil eſt impoſſibile, & qui hominem quum non ſit, creare poteſt, poteſt vtique & creatum ſanitati reſtituere. Adde quòd plura ſigna antequam Chriſtus pateretur à Chriſto facta ſunt. Nos enim intueri non debetis, nobis non debetur huius miraculi gloria: quia neque noſtra virtute, neque noſtra pietate fecimus, vt hic qui per multos annos claudus fuit, iam valeat ambulare. Non ſumus tam probi ac ſancti, vt putemus Deum ob merita noſtra hunc ſanaſſe, nec ea vel tanta eſt noſtra poteſtas, vt propria poteſtate, & ex nobiſipſis alicui tale quid præſtare poſſimus. Obſeruandum hîc non ſtatim eſſe pios ac Dei amicos per quos miracula fiunt. hæc enim non ſemper à piis fiunt, ſed etiam ab impiis, qua

Pſal. 71. de re alibi dicemus. Deus eſt de quo legimus quia faciat mirabilia ſolus, hoc eſt, própria virtute: alij verò ſiue boni ſiue mali ſint, quidquid miraculorum operantur, aliena virtute operantur, vnde non iſtis, ſed Deo primaria laus

Vide Augu. de ciuitate Dei, lib. 22. ca. 9. & 10. debetur. Iam verò quòd Petrus dicit ſe non propria pietate vel virtute hîc aliquid operatum, non ſic intelligendum eſt, quaſi Deus non etiam ſubinde propter merita piorum aliquid admirandum operetur (nam diuerſum

vbique

vbique teſtantur tam diuinæ quàm humanæ literæ) ſed in hoc inſtituit Petrus concionem ſuam, vt populum à ſui admiratione ad fidem Chriſti conuertat. Vnde etiam addit. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati iudicante illo dimitti.* Satis Iudaïcè hîc loquitur Petrus, dum Deum vocat Deum Abraham, & Deum Iſaac, &c. Nam his nominibus appellabant Iudæi Deum ſuum, & Deus ipſe hoc nomine ſe vocari voluit. Sic enim in veteri teſtamento loquitur Dominus ad Moyſen: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, &c. Sic ergo conſueta appellatione vocat eum iam Petrus, hoc quod in ſequentibus temporibus Apoſtoli raró fecerunt, ſed vocant patrẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Petrus autem hoc loci non temerè nec fortùitò Deum Patriarcharum vocat, ſed eius facti ſuam rationem, & quidem magnam habet, non ſolùm vt illorum beneuolentiam captet dum Iudæos Iudaïcè alloquitur: ſed etiam vt illis in memoriam reducat promiſſiones patribus factas. *Quare Deũ vocat Deum Patriarcharum?* Nam Deus cum illis tribus Patriarchis fœdus iniit, ſe multiplicaturum ſemen eorum, ſe Deum fore poſteritatis eorum, & ſe è ſemine ipſorum Chriſtum, in quo omnes gentes forent benedicendæ, daturum: & eam etiam ob cauſſam Deus illorum vocari voluit, vt, videlicet, ſemper in recenti memoria haberent promiſſiones illas magnificas atque præclaras. Dicit ergo Petrus: Quòd ille qui tot annis claudus fuerat, iam factus eſt membrorum ſuorum potens, noſtra virtute, aut pietate factum non eſt: ſed ſi vultis rem penitiùs intelligere, apertius eloquar. Deus Abraham &c. glorificauit filium ſuum Ieſum hoc miraculo, hoc eſt, miraculo hoc factum eſt vt intelligatis quanti faciat Deus patrum noſtrorum filium ſuum. Quem filium? Ieſum: de quo filio Dei, de quo Ieſu loqueris ô Petre? De eo ipſo, inquit, loquor, quem vos tradidiſtis nimirum captiuum in manus gentium, & negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Cùm enim Pilatus ioco magis quàm ſerio Ieſum tanquam Iudæorum Meſſiam oſtẽtaret, & iudicaret eum potiùs vt innocentem & innoxium hominem abſoluendum quàm condemnandum: illi Iudæi præfractè ac con-

ſtanter negabant eum, dicentes: Non habemus regem niſi Cæſarem. Atque ita multò iniquiores, multóque ſceleratiores Pilato Ethnico facti ſunt. Illi enim non accuſatum, nihílque mali facientem in vincula coniecerunt, præſidi iudicandum obtulerunt: & dum Præſes eum abſoluit, innocentem proclamat, illi nihilo mitiores facti nec præſidis ſententia, nec Chriſti innocētia. Bone Deus, ſi quis noſtrûm ſic inueheretur in ſceleratos homines, quid audiret? non bene acciperetur, & pro concionatore conuiciator vocaretur. Verùm hæc non curat Petrus, ſed crimen Iudæorum quantum poteſt exaggerat primum, vt ſcilicet ſic illos ad pœnitentiam adducat. Vlcus tangendum eſt, aliàs ſanari non poteſt. Addit Petrus præmiſſis. *Vos autem ſanctum & iuſtum negaſtis, & petiiſtis virum homicidam donari vobis: auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus.*

Vide obſecro quanta vehementia inuehatur in Iudæos, & quanta prudentia illis inſinuet Chriſtum, quomodo item peccatum illorum aggrauet. Vocat Ieſum Nazarenum primò filium Dei, deinde iuſtum & ſanctum, & addit quòd Iudæi illum abnegauerint. Non, inquit, expoſuiſtis vel reliquiſtis eum, ſed ait negaſtis. Cùm enim Pilatus illum vellet dare Iudæis liberum, noluerunt illum dimitti. Et hoc quidem per ſe magnum eſt peccatum, ſed Iudæi peccato addiderunt peccatum. Quod? Petiiſtis, inquit Petrus, virum homicidam donari vobis. Vide quot crimina enumeret. Quem Deus glorificauit, illi tradiderunt: quem Pilatus abſoluit, illi negauerunt, huícque latronem prætulerunt. Barrabam hominem ſeditioſum & latronem curauerunt dimitti: Chriſtum verò Dei filium in crucem egerunt, & vt Petrus ait, principem & auctorem vitæ interfecerunt. Sed quid ait Scriptura? Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum. Vtrunque peccatum fecerunt Iudæi, ſed fruſtrà. non enim periit, quem illi perditum volebant. Deus enim ſuſcitauit illum à mortuis, inquit Petrus, cuius nos omnes teſtes ſumus. Obſeruandum hoc loci, quòd Petrus Chriſtum vocat auctorem ſiue principem vitæ, non quidem ſolum huius temporalis, ſed potiùs æternæ. Ipſe enim dixit: Ego ſum via, veritas, & vita. Et iterum: Sicut pa-

Prouer.17.

Ioan.5.

ter habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo. Et ibidem: Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei,& qui audierint viuent. Et rurſum ad Lazari ſororem: Ego, inquit, ſum reſurrectio & vita. His verbis olim ſic animati ſunt ſancti martyres, vt libentiſſimè pro Chriſto mortem oppeterent. Hæc nobis in omnibus tribulationibus noſtris conſolationi eſſe debebant, quia certò ſcimus vitam & incolumitatem noſtram non in hominum, ſed in Dei poteſtate ſitam. Et in rebus fortunatis nemo plus æquo extollatur, nemo ſibi longos annos polliceatur. Chriſtus enim auctor & princeps vitæ eſt:ad huius nutum & viuimus & morimur. Sed videamus ſequentia. *Et in fide nominis eius, hunc quem vos videtis & noſtis, confirmauit nomen eius: & fides quæ per eum eſt,dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.*

Iam accedit propius ad cauſſam, ſcilicet vt oſtendat vnde claudo illi contigerat ſanitas. Potuiſſet quidem verè dicere, & paucis. Nos noſtra virtute vel pietate non curauimus claudum hunc,ſed Ieſus Nazarenus quem vos crucifixiſtis: ſed voluit multa circuitione vti,vt facilius inueniret fidem. vnde vocauit filium Dei, teſtatur à Deo glorificatum, dicit illum etiam à Pilato innocentiæ teſtimonium reportaſſe,vocat virum iuſtum & ſanctum,item auctorem vitæ. Atqui non eſt mirum talem tanta operari: eſſet verò res admiratione digniſſima, ſi homo piſcator qualis tum apparebat Petrus, tantum miraculum deſignaſſet.Proinde etiam Petrus iubet collationem primùm fieri perſonarum, Chriſti ſcilicet & ipſius Petri. Deinde, quæ iam diximus, adiecit quòd ſcilicet in nomine Ieſu Chriſti mendicus ille integritatem membrorum ſuorum acceperit. Verba autem ſic habent: In fide nominis eius hunc quem videtis & noſtis, confirmauit nomen eius, hoc eſt, nomen Ieſu Chriſti, id eſt, poteſtas Chriſti, aut potiùs Chriſtus ipſe confirmauit ac incolumen fecit claudum illum quem noſtis,quia ab vtero matris claudus fuerat, & videtis quia iam ſanus eſt. Ideo autem ſanatus eſt miniſterio noſtro, quia credidimus in nomen Ieſu Chriſti. Et fides quæ per eum eſt, hoc eſt, quia ipſe dedit nobis vt in illum crederemus, nam fides Dei donum eſt, &

quia illi credidimus : mendicus ſiue claudus integram ſanitatem accepit, non quidem à nobis, ſed per nos, & hoc in conſpectu omnium veſtrum. Quòd ſi quis hîc intelligat etiam claudum in Chriſtum crediſſe ideóque ſanatum eſſe, nihil impiè credet. Sed potior ſenſus videtur, quod fide Apoſtolorum ſanatus fuerit, ſicut & paralyticus ille in Euangelio quem etiam Chriſtus propter alienam fidem ſanaſſe legitur. Sequitur continenter.

Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.

Niſi Petrus hæc ſequentia adderet, poſſent Iudæi deſperare, vt qui audirent ſe tantum ſcelus admiſiſſe in filium Dei, quod ſcilicet non ſolùm illi latronem prætulerint, ſed etiam hoc ſaluo illum in crucem egerint: ſed nouit Petrus verum modum prædicandi pœnitentiam. Neceſſe eſt enim vt homo primùm ducatur in cognitionem peccatorum, vt ſcilicet magnitudine horum conſiderata, incipiat timore concuti: deinde fiducia remiſſionis illi proponenda, qua motus rurſum fiduciam concipiat fore, vt ſibi reconcilietur Deus, cuius miſericordiæ non eſt numerus. Igitur poſtquam Petrus peccata illorum ſatis exaggeraſſet, gloriámque Ieſu Chriſti magno verborum circuitu depinxiſſet: incipit mitigari illorum peccata, ſicut & in ſuperioribus etiam fecerat. Appellat autem eos fratres, vt intelligant illum nihil ex inuidia loqui. Et nunc ſcio, inquit, fratres, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. Quomodo per ignorantiam occiderunt Iudæi Chriſtum? certè Chriſtus dicit: Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, & ſi non feciſſem opera inter illos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato. Rurſum Chriſtus in cruce pro perſecutoribus ſuis orans, dicit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Quid igitur dicemus? non poteſt ſibi contradicere Scriptura, ſed poteſt fieri vt nos illam non intelligamus. Sed nos breuiſſimis reſpondemus Domini noſtri, crucifixores non cognouiſſe certò Chriſtum eſſe filium Dei: obſtabat enim illis infirmitas humana, vt non intelligerent diuinitatem in carne Chriſti latentem. Si enim certò cognouiſſent Chriſtum eſſe Dei filium, nequaquam Dominum gloriæ cru-

cifixiſſent. Quis enim auderet ſciens manus iniicere in Dei filium? Igitur quod non agnouerunt Chriſtum Dei eſſe filium, nonnihil excuſationis habent, ſed quòd hominem innocentem occiderunt, excuſari nullo pacto poteſt: licet & illi minus peccauerunt, qui à principibus ſeducti Chriſtum non filium Dei, ſed hominem blaſphemum putauerunt, &c. Sed quid multis hîc immoramur? Petrus hoc in loco dicit Iudæos tam ſummates quàm infimates per ignorantiam Chriſtum occidiſſe: quibus verbis nequaquam voluit illos ab omni peccato vindicare, ſed potius oſtendere illis faciliùs patere viam ad remiſſionem peccatorum, quum ignoranter peccauerint, quàm ſi ex mera malitia peccaſſent. Ignorantia itaque non omninò tollit peccatum, ſed mitigat pœnam peccati. Ignorantia enim aut eſt pœna peccati, aut peccatum, aut vtrunq;. Pœna peccati eſt, quia in primo peccato primi hominis intellectus noſter obtenebratus eſt. Peccati etiam pœna eſt, quando cognitæ veritati obſtrepentes poſtea meremur excæcari. Sic enim dicit Paulus: Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, &c. Et in Romanis de Gentium philoſophis dicit: Quia cùm cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, &c. In eiuſmodi itaque hominibus ignorantia non ſolùm peccatum eſt, ſed & præteriti peccati pœna. Nemo itaque ſe putet ideo impunè peccare, ſi ignoranter peccat. Si enim ignorantia peccatum excuſaret, nequaquam iuſſiſſet Dominus, vt pro peccato ignorantiæ vitulus in holocauſtum offerretur: & Chriſtus nequaquam in cruce rogaſſet pro illis, qui ipſum ignoranter crucifixerant. Adde quòd ille multò grauius peccat, qui cùm poſſet ad veritatem venire, non facit, ſed prudens & ſciens in ignorantia permanet. Verùm nos his poſthabitis, ad interruptum Petri ſermonem accedamus.

An ignorãtia per omnia excuſet.

2. Theſſ. 2.

Roma. 1.

Leuit. 4.
3. Eſdr. 9.

Vbi venia datur, manifeſtũ eſt eſſe peccatum. Aug. quæſt. ſuper Leuit. cap. 68.

Deus autem qui prænuntiauit per os omnium Prophetarum ſuorum pati Chriſtum ſuum, impleuit ſic.

Iudæi quidem & Gentiles morte affecerunt Chriſtum, ſed ignorabant quàm pretioſa foret mors Chriſti in conſpectu patris cæleſtis. Atqui pater cæleſtis iam olim con-

ſtituerat filium ſuum dare in mortem: nec latuerat illum fore, vt ab illis in mortem ageretur, quibus ingentia beneficia præcipuè feciſſet, & quibus præcipuè promiſſus fuiſſet. Et quia hæc futura præſcierat, ideo per Prophetas ſuos prædici voluit. Igitur quidquid circa paſſionem & mortem Domini factum eſt, nec neſciente nec repugnante Deo factum eſt, ſed omnia illo præſciente & volente: quemadmodum & in ſuperiori concione Petri auditum eſt. Neque enim Iudæi ideo tradiderunt Chriſtum in mortem, vt huius morte redimeretur vniuerſus mundus à Satana, & abſolueretur ab omnibus peccatis, reconciliaretúrque Deo: non hoc cogitauerunt Iudæi, ſed per inuidiam tradiderunt ipſum in mortem, hoc quod nec Pilatum latere potuit. Vnde quidquid boni nobis ex morte Chriſti prouenit, non Iudæis, ſed Deo acceptum ferimus, vt qui ex peſſimo hominum malo ſcit perficere bonum optimum. Neque tamen ideo excuſandi ſunt Iudæi, quaſi Deus mendax fuiſſet in promiſſionibus ſuis, niſi illi facti fuiſſent traditores Chriſti. Neq; enim Iudæi ideo tradiderunt Chriſtum, quia hoc futurum pręſcierat Deus: ſed ideo præſciuit Deus, quia certò futurum erat, vt Iudæi tale facinus facerent. Hoc enim certò ſtatuēdum eſt, quòd Deus neminem cogit ad peccandum: præuidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo nō vindicet iuſtus, quę fieri nō cogit pręſcius? Sicut enim nemo memoria ſua cogit facta eſſe quæ prętereūt: ſic Deus præſcientia ſua non cogit faciēda quę futura ſunt. Et ſicut homo quædā quę facit meminit, nec tamē omnia quę meminit, facit: ita Deus omnia quorum ipſe auctor eſt præſcit nec tamen omnium quæ præſcit auctor eſt: quorum autem auctor malus non eſt, iuſtus eſt vltor. Præſciuit itaque Deus Iudæos fore proditores Chriſti, non tamen coëgit vt tales fierent. Sic olim quoniam præſciebat, etiam prædicebat fore vt ſemen Abrahæ peregrinaretur quadringentis annis in terra aliena: neque tamen coëgit filios Iacob, vt fratrem ſuum Ioſeph Iſmaëlitis venderent, quorum proditione factum, vt Ioſeph poſteà Saluator mundi, maximè
Gen.15. verò Ægypti vocaretur. Dictum erat Abrahæ: Scito prænoſcēs quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient ſeruituti, & affligent quadringen-

tis annis, &c.ſed quo medio hoc factum eſt? Dum fames in poſterioribus annis occupaſſet vniuerſam terram, mittebat Iacob pueros ſuos in Ægyptum vt compararent fructus: Ioſeph verò qui totius Ægypti præpoſitus fuerat audiens patrem ſuum Iacob adhuc eſſe in viuis, vocauit eum cum vniuerſa familia ſua in Ægyptum ad ſe. Quòd ſi Ioſeph non veniſſet in Ægyptum, quo medio perueniſſet eò tota familia? Et ſi non vendidiſſent filij Iacob fratrem ſuum ipſorum Ioſeph, quomodo hic veniſſet in Ægyptum? & ſic prædictio domini euanuiſſet ſcilicet. Ergo tyrannidem & fratricidium filiorum Iacob, non filiis, ſed Deo adſcribemus? nequaquam. Quomodo enim abſol- *Gene.50.* uemus illos à peccato, qui hoc vltro agnoſcunt? Obſecro, inquiunt, vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus, vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Audis quòd culpam in ſemetipſos, non in Deum deriuant. Sed quid Ioſeph ad hæc? Nolite timere, inquit, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Quid? anne voluit dominus Deus, vt fratres proderent fratrem? Non hoc dicit. Sed quid? Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſaluos faceret multos populos, &c. Malum itaque fratrum noluit Deus, ſed illud vertere in bonum multorum populorum voluit. Et huic voluntati bonæ nemo reſiſtere potuit: ſic Iudæorum proditionem noluit (quoniam non eſt Deus iniquitatem volens) ſed mortem Chriſti in ſalutem fidelium vertere voluit, ſeque hoc facturum per os omnium prophetarum prædixit, atque ſic impleuit. Et hæc quidem hactenus, prolixius forſan quàm piis neceſſarium fuerit: at hoc datum eſt curioſis Dei conſiliorum ſcrutatoribus. Sequitur. *Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, &c.* Si innocentes ſunt Iudæi, & neceſſariò impleuerunt vaticinia prophetarum, quid opus eſt pœnitentia? Atqui cùm Petrus illos ad pœnitentiam hortatur, ſatis apparet, quod licèt non exactè nouerint Chriſtum quem occiderunt, tamen innocentes ſiue immunes non ſunt: Pœnitemini, inquit Petrus, & cõuertimini, vt deleantur veſtra peccata. Grauiter, inquit, deliquiſtis, multa enormiáque ſunt peccata veſtra quæ in

Chriſtum commiſiſtis, & niſi illa deleta fuerint, æternum peribitis. Quòd ſi me audieritis, docebo quomodo peccatorum veſtrorum remiſſam inueniatis. Quomodo? Pœnitemini & conuertimini, hoc eſt, pudeat pœniteátque vos commiſſorum, & nouam vitam inſtituite: Chriſtum antea negaſtis, iam vos totos illi conſecrate: Chriſtum tanquam grauiſſimum peccatorem crucifixiſtis, iam in eum tanquam peccatorem vnicum condonatorem credite, ſic enim fiet vt deleantur peccata veſtra. Magnam hæc Petri verba conſolationem vniuerſis peccatoribus præbere debent, ſi modò ſalutem ſitiunt. Si enim Chriſti crucifixoribus peccatorum venia promittitur, ſi pœnitentiam agent: quis quantumuis magnus peccator deſperét? Sed vt nunc res ſe habent, non eſt neceſſe vt multis vobis cõmendem Dei miſericordiam, quum longè plures iam pereant præſumptione quàm deſperatione. Sic enim iam multi perſuaſum habent ſibi deberi vitam æternam quomodocunque tandem viuant. at Deus non irridetur. Miſericors eſt, & ideo pœnitentibus ignoſcit: iuſtus eſt, & ideo non pœnitentibus non parcit. Et ad vtrunque vigilauit pro nobis miſericordia Dei, quemadmodum Auguſtinus ait, ne deſperando augeamus peccata, propoſitus eſt pœnitentiæ portus: rurſus ne ſperando augeamus, datus eſt dies mortis incertus. Sed quoniam in ſuperioribus prolixè de pœnitentia diſſeruimus, iam ſuper hoc negotio longiores eſſe nolumus. Sed roget aliquis hîc: Quid eſt quòd hîc nulla mẽtio fit baptiſmi? cùm in ſuperiori concione Petrus dixerit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine domini Ieſu, &c. Hic verò tantum pœnitentiæ fit mentio. Tu verò cogites velim Lucam non omnia ordine quo facta ſunt ſcripſiſſe, ſed præcipua tantum capita, & hæc ſummatim, & ex præcedentibus voluit nos ſequentia intelligere. Adde quòd Iudæi non alia re magis declarabant ſe pœnitentia tangi admiſſi criminis in Chriſtum, niſi quum ſe baptiſmo tingi patiebantur: hoc quod etiam in Euãgeliſtis noſtris non ſemel tantum admonuimus. Petrus itaque poſtquàm dixiſſet, Pœnitentiam agite, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, continenter addit, *Vt cùm tempora venerint refrigerij à conſpectu domini, & miſerit eum qui præ-*

Galat. 6.

Quinquaginta Homiliarum ho. 27.

dicatus eſt vobis Ieſum Chriſtum, quem oportet quidem cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſæculo Prophetarum. Manca eſt hæc oratio, vt quæ completam ſententiam non habeat: ſubintelligendum autem eſt, Iudæos ad extremum diem benè habituros, ſi modò iam pœnitentiam egerint, & à vitiis ad virtutes, à Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum conuerſi fuerint. Sed nos incompleta ſententia non poteſt remorari, quin intelligamus multa abſtruſa hîc Petrum docere, quæ & nos enucleabimus quantum dominus dederit: rem verò ſuis numeris exponemus, vt expoſitio ad intelligendum facilis ſit. Primò itaque dicit ventura eſſe tempora refrigerij, & hæc à conſpectu domini, nimirum Ieſu Chriſti, hoc eſt, tum tandem ventura illa tempora refrigerij, quando rurſum apparebit Chriſtus, nimirum ad extremi iudicij tempus. Hoc enim tempus iudicij extremi, aut potiùs quòd iudicio extremo incipiet, dicitur tempus refrigerij, quippe quod huius vitæ tempus non ſit niſi tempus calamitatis, & vt Dauid vocat, vallis lachrymarum. *Pſal. 83.* Nec aliud in hoc mundo, quoad venerit tempus extremi iudicij exſpectaueris quàm afflictiones, aduerſitates, cruces & mortes: & quanquam interdum nonnulla felicitatis ſpes affulgeat, tamen nihil eſt in rebus humanis firmum, nihil ſtabile, nihil conſtans. Dies peregrinationis noſtræ, quemadmodum Iacob ait, *Gene. 47.* ſunt parui & mali. Et Paulus ait: Quæ videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna ſunt. *2. Corint. 4.* Scimus autem quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in *2. Corint. 5.* hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram quæ de cælo eſt ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus exſpoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Et ad Romanos inquit: Nam exſpectatio creaturæ reuelationem *Roma. 8.* filiorum Dei exſpectat. vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens. Non eſt igitur vt aliquis putet vel ſperet, ſe certò hîc poſſe refrigerari, vt nihil ſit moleſtiæ reliquum: ſed poſt diem extremum iudicij ſequentur tan-

dem tempora refrigerij, apparente rurſum domino in ea forma qua in cælos aſcendit. Tunc enim implebitur quod
Eſa. 25. dominus per Eſaiam dixit: Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra,
Apocal. 7. quia dominus locutus eſt. Et in Apocalypſi legimus. Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos Sol, neque vllus æſtus, quoniam Agnus qui in medio throni eſt reget illos, & deducet eos ad fontes vitæ aquarum, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eo-
Apocal. 21. rum. Et iterum: Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt. Huc etiam facit quòd dominus in Luca ad diſcipulos ſuos dicit: His autem fieri incipientibus (loquitur autem de ſignis quæ proximè præcedent aduentum ipſius) leuate capita veſtra. ecce enim appropinquat redemptio veſtra. Ex his, opinor, ſatis intelligis, quæ Petrus vocârit tempora refrigerij: ex quibus etiam tibi demonſtratum eſt, quid tibi de hoc mundo promittere poſſis. Sic autem vtitor præſenti loco. Non omnibus gratus erit Chriſti aduentus, nec omnibus tempora refrigerij, ſed tantùm illis qui iuxta Petri admonitionem pœnitentiam agent: reliquis longè alia, nimirum perpetua tormenta parata ſunt. Secundò docet hîc Petrus quòd dominus noſter Ieſus Chriſtus ad iudicandum venturus eſt: quoniam pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Et pater ipſum mittet ad iudicium, inquit Petrus. Hîc ergo confirmatur articulus fidei noſtræ, qua credimus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum rediturum ad iudicandum viuos & mortuos. Iuxta enim Symbolum fidei noſtræ quod Apoſtolicum nominamus, poſtquam cõfitemur Chriſtum Ieſum iam ſedere in dextera Dei patris, ſtatim addimus. *Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.* Et hunc articulum Matthæo Euangeliſtæ attribuunt, quaſi ab illo compoſitus fuerit. Quis autem eſt ille qui venturus eſt? ánne iam olim venit Chriſtus? venit quidem in plenitudine temporum, exiuit à patre, venit in hunc mundum, & iterum relinquens mun-

dum rediit ad patrem, quem tamen iuxta diuinam naturam nunquam reliquerat. Scriptura itaque nobis duos Chriſti aduentus deſcribit. Alterum quo deſcendens de cælis humilis venit, vt per mortem & ſanguinem ſuum captiuos redimeret, perditos repararet ac ſeruaret: alterum vero quo veniet conuenientiſſimo tempore ac die, quem nobis ignotum eſſe voluit, in gloria patris iudicaturus viuos & mortuos. Quos ambos aduentus in ſcripturis cauté diſtinguere neceſſarium eſt. Rediturus autem eſt in ea forma qua aſcendit, atteſtantibus idipſum quum aſcenderet, angelis, ac dicentibus: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Humana igitur ſpecie veniet conſpicuus, ſed iam immortalitatis gloria refulgens. Veniet enim in virtute multa, & ſedebit in ſolio maieſtatis ſuæ ſecum habens exercitum angelorum, & congregabuntur ante eum omnes gẽtes, ſeparabítque eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Iudicabit autem viuos & mortuos, tam pios quàm impios, ac feret ſententiam & de viuis qui tum adhuc ſupererunt in aduentu illius, & de mortuis, nimirum omnibus quotquot ab Adam vſque in eum diem defuncti ſunt, tum ſubitò reuicturis, quemadmodum diuus Paulus ait: Quòd nos qui viuimus non præueniemus eos qui dormierũt. Oportet enim nos omnes ſiſti ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis ſui, prout geſſit ſiue bona ſiue mala. Cæterùm hoc iudicium non humano more, ſed in momento punctóque temporis geretur, & tamen veriſſimè geretur. Neque enim opus eſt moroſa diſcuſſione, quando patebunt omnium cordium omnia arcana, quando ſua quemque damnabit conſcientia, ſicut Apoſtolus ait. Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum, ac inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus aut defendentibus in die, quum iudicabit Deus occulta hominum. Non erit tunc opus chirographis, inquit Chryſoſto. non argumentis, non teſtibus: omnia enim hæc in ipſo iudice ſunt, ipſe teſtis, ipſe argumentorum radix, ipſe iudex, omnia nuda, omnia ſunt clara in oculis eius: non diues, non pauper, non ſeruus, non liber ibi aliquis videbitur, *Hom. 57. in Matthæum.*

ſed his laruis contritis, operum ſolummodo erit ſcrutatio. Huc facit quod Chriſtus dicit: Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt: Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Ocioſas illas quæſtiones à multis de hac re motas, aliis relinquamus diſcutiendas: nos articulo hoc fidei noſtræ tum probè vtemur, quando inde meliores red dimur. Memorare, inquit. Scriptura, nouiſſima tua, & in æternum nõ peccabis. Sed reuertamur ad verba Petri, qui poſtquam dixerat Deum nobis miſſurum, qui nobis prædicatus fuit Ieſum Chriſtum, addit. *Quem oportet quidem cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium.*

Ioan.5.

Hoc eſt, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, ante extremum iudicium in ea forma qua aſſumptus eſt non apparebit, ſed interim cælum tenet ad dexteram patris ſedens, donec tempus illud aduenerit in quo omnia reſtituenda ſunt, in quo caſus Angelorum reparabitur, in quo numerus electorum implebitur, in quo ſinguli iuxta merita ſua accipient. Nam dum mundus hîc manet vanitati ſubiectus, nihil manet ſuo loco, ſed omnia inuertuntur & præpoſterè ſuccedunt. Impij enim bellè viuunt, feliciter agunt, & quò peiores ſunt, vt iam prouerbio iactatur, eò fortunatiores ſunt, laudatur enim peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur: contrà pij omnibus afflictionibus obruuntur, omnibus maledictionibus afficiuntur, & quò magis pij ſunt, eò infeliciores ſunt. at perpetuò non erit ſic. Deus enim diem conſtituit, quo omnia illa quæ lege ſua ordinauit, & per Prophetas prędicta ſunt ita reſtiturus, reformaturus, & compoſiturus eſt, vt immutabilia perpetuò conſtent: & pij quidem æterno gaudio, impij verò æterno ſupplicio afficiantur. Sed fortè rogas, quando tandem veniet dies illa? quo vſque patietur tandem Deus ſic pios conculcari, impios verò triumphare? Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, inquit Chriſtus, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: ſed interim vigilate & orate, quia qua hora non putatis, filius hominis

Quare hoc fiat, docet Auguſtinus Homi. 220. de tempore, & lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 8. & 9. & ſerm. de temp. 245.

veniet. Sed rogas, quando veniet dies illa? veniet certò quandocunque tandem veniet. Exſpecta Dominum, & viriliter age,& confortetur cor tuum. Nunquid tanta reſtant tempora,quanta peracta ſunt?Intende ab Adam vſq; ad hodiernum diem,inquit Auguſtinus,quot ſæcula euoluta ſint, & iam non ſunt, pauci dies remanent quodammodo. Sic enim dicendum eſt quod remanet in comparatione tranſactorum ſæculorum. Non eſt igitur quòd dicas,quando erit nouiſſimus dies? Generi quidem humano longè erit:vnicuique verò hominum prope erit, quia nouiſſimus dies eſt cuiuſque dies mortis. Et hanc ſimiliter nobis voluit eſſe incertam, vt ſemper putantes proximè futuram certam illam eſſe, ſemper in acie ſtaremus, ſemper parati eſſemus hinc exire. Cæterùm addit Petrus quòd hæc quæ hactenus diſſeruit, *Deus locutus eſt per os ſanctorum ſuorum à ſæculo Prophetarum.* Et verum eſt quod dicit Petrus,nam omnia quæ hactenus dixit de Chriſto,abundè in Propheticis libris prædicta ſunt, ſed Iudæi quoniam tẽporalibus excæcati ſunt, ſpiritualia videre non poſſunt. Nos autem, Deo ſint gratiæ, ex Prophetarũ oraculis ſcimus regnũ Chriſti non eſſe de hoc mundo,ſcimus Deum fideles ſuos non perpetuò paſſuros ſic in hoc exilio affligi:ideoq; cum Diuo Paulo exſpectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ,&c. Certè & de iudicio extremo multa ſit mentio in omnibus Prophetarum libris,& de Chriſti ſpirituali,perpetuo tamẽ regno, & de reſtitutione omnium tempore nouiſſimo:pollicitus eſt enim Deus terram nouam, & cælum nouum. Sed nos his poſthabitis audiamus Petrũ Scripturam veterem producentem. *Moyſes quidem dixit: Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris tanquam me,ipſum audietis, iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis. Erit autem vt omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Locus quem hîc Diuus Petrus allegat,eſt Deut.18. Poſtquam enim Moyſes populum admonuiſſet multis, ne aliquando vellent communicare idololatriæ Gentium,ad quarum terram illos Dominus perducturus eſſet, ſtatim adiecit: Prophetam de gente tua,& de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit,tibi Do-

Ser. de tẽp. 49. & Sermon. 96.

Phil. 3.

Exod.20. minus Deus tuus,ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Oreb,quando concio congregata eſt atque dixiſti: Vltra non audiam vocem domini Dei mei,& ignem hunc maximum amplius non videbo ne moriar.Et ait dominus mihi:Bene omnia ſunt locuti.Prophetã ſuſcitabo eis, &c. Propheta hic de quo Moſes dicit non alius eſt quam Ieſus Chriſtus dominus noſter,Deus & homo,omniũque Prophetarũ dominus, vtcunque tergiuerſentur Iudæi. Atqui Moſes non ignorans quòd Iudæi non omnes ſuſcepturi eſſent Chriſtũ, propterea adiecit pœnã non credentium, inquiens:Omnis anima quę non audierit Propheiã illum, exterminabitur de plebe.Et profectò, ſicut hodierna dies teſtatur,Iudæi continuò poſtquã illum Prophetã,hoc eſt, Chriſtum non acceperunt, nec ſanctis illius verbis paruerunt,extremum pertulerunt interitum. Sed age videamus oraculũ illud Moſis,num in alium præter Chriſtum competat.Prophetam,inquit, ſuſcitabit vobis dominus Deus veſter de fratribus veſtris tanquam me.Num igitur ex iis qui poſt Moſem extiterunt Prophetæ,Eſaias exempli gratia,aut Hieremias,aut Ezechiel,aut Daniel, aut alius quiſpiam de cæteris Duodecim Prophetis legum auctori Moſi conferendus extitit? nequaquã,ſed ex illis tandem : quis vnquam ſimilia effecit?nuſquam poteris dicere.Sed quiſq; illorum à primo vſque ad nouiſſimum quoſcunque inſtituebant ac docebant, ad ipſum Moſen remittebant, atque in hoc populum reprehendebant, quòd Moſi legem non ſeruaſſet,ſed cõtra illam feciſſet,neque illum ad quicquam aliud hortabantur, niſi ad ea firmiter tenenda quæ in lege poſita ſunt. Nullum igitur horũ illi ſimilem dixeris.atqui Moſes de vno duntaxat certè ac definitè loquitur.Et ſic de hoc Propheta etiam populus Iudęorũ tempore nati Chriſti intellexerunt.Vnde Legati Pontificum ad Ioannem dicebant,Prophetáne ille es tu?Et populus de Chriſto : Hic eſt verè Propheta,qui vẽturus eſt in mundũ. Chriſtus itaque Saluator noſter Propheta ille eſt, quem dominus in veteri teſtamento populo per Moſen pollicitus eſt : hoc quod multis argumentis probare non foret difficile.Multam ſiquidẽ conuenientiam habuit Chriſtus ad Moſen, ſi vtriuſque & dicta & facta contuleris, quid Moſes ſcilicet Iudæos docuerit,qui bus miraculis doctrinæ ſuæ auctori-

Euſebius de demõ. Euãg. lib.3. cap.2.

Ioan.1.
Ioan.6.

tatem conciliârit, & quomodo quídue Chriſtus & gentes & Iudæos tam per ſe quàm per ſuos diſcipulos docuerit, quibus item miraculis ſuam doctrinam mundo & probabilem & acceptam fecerit. Hæc, inquam, ſi in vniuerſum cõtuleris, facilè iudicabis de quo dixerit Moſes ad Iudęos: Prophetam ſuſcitabit vobis dominus Deus tanquam me, & eum ex fratribus tuis. Quis autem ignorat Chriſtũ ex Iudæis natũ? Hinc in Pſalmis dicit: Narrabô nomen tuum fratribus meis. Et in Euangelio: Vade ad fratres meos, & dic eis, quia vado ad Patrem. Hinc Paulus dicit, quòd Chriſtus non confundatur uos fratres vocare. Sed quid opus eſt multis argumentis? Iudæi ſua diſperſione teſtantur verè prophetiam hanc Moſis de Chriſto intelligendam. Licèt enim Iudæi omnes alios Prophetas perſecuti fuerint (ſicut ipſis in ſequentibus D. Stephanus exprobrabit) tamen nunquam tam graues dederunt pœnas atque nunc, quum Chriſtum Ieſum Prophetarum Dominum occiderunt. Conatus eſt olim Fauſtus Manichæus hanc Moſis prophetiam contra Chriſtum interpretari, ſed fruſtrà: qua de re D. Auguſtinus copioſè contra Fauſtum lib. 16. ca. 15. & ſequentibus. Friuolũ item eſt quod Iudæi prophetiam hanc à Petro productam de Ioſue interpretantur, quum Scriptura ipſa dicat: Non ſurrexit vltra Propheta in Iſraël, ſicut Moyſes, &c. Sequẽtia igitur videamus. *Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti ſunt, etiam annuntiauerunt dies iſtos.* Huc pertinet quod Chriſtus Iudæis dicit: Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Et Lucas teſtatur Chriſtum incepiſſe à Moſe, & interpretatũ eſſe diſcipulis ſuis, quęcunque ſcripta ſunt de ipſo in omnibus Prophetis. Et idẽ Chriſtus ſic locutus eſt diſcipulis ſuis: Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis & Prophetis & Pſalmis de me. Et ſubiicit Lucas. Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerẽt ſcripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat pati Chriſtũ, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiã & remiſſionem peccatorũ in omnes gẽtes, &c. Huc etiã referri debent omnes Scripturę, quæ Euãgeliſtæ & Apoſtoli producũt ex veteri Teſtamẽto pro cõfirmanda Euãgelij doctrina. nihil enim in nouo

Pſalm. 21. *Heb. 2.* *Ioan. 20.* *Hebr. 2.* *Deut. 34.* *Ioan. 5.* *Luca 24.*

Teſtamento fit,quod nō in veteri vel typis præfiguratum, vel apertis Prophetarum oraculis prædictum fuerit. Non igitur neceſſum putamus ex omnibus Prophetis huc adducere, quæ pro Euangelij noſtri confirmatione facere certum ſit. Certè omnes Prophetæ à temporibus Samuelis vſque ad hæc noſtra ſæcula quoties prædicârunt de benedictione quam Deus daturum ſe per ſemen Abrahæ promiſit, quoties promiſſionem Dauidi factam repetierunt,toties ea tacitè ſignificârunt,quæ his temporibus per Ieſum Chriſtum impleta ſunt.Sequitur. *Vos eſtis filij Prophetarum & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad Patres noſtros dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Iam rurſum Iudæos vocat ad bonam ſpem, ne ſcilicet deſperent, tanquam qui nō poſſint amplius ad peccatorum venire remiſſam. Grauis enim & neutiquam cōtemnenda eſt ſententia, quam Petrus ex Moſis libro produxerat,dicens: Et omnis anima quæ non audierit Prophetam illum:exterminabitur de plebe.Atqui tantum abeſt vt Iudęi,ad quos loquebatur Petrus,Prophetam illum, hoc eſt, Chriſtum audierint, vt etiam in crucem egerint. Quid igitur aliud cogitandum, niſi Iudæos in vniuerſum damnandos? verùm D. Petrus longè plauſibiliora hîc loquitur,& tamē veriſſima:Vos,inquit,eſtis filij Prophetarū & teſtamenti ꝙ diſpoſuit Deus,&c.hoc eſt dicere:Vos Iſraëlitę diffiteri nō poteſtis,neq; enim vos latet quod Prophetę prędixerūt de Meſſia,teſtatiq; ſint Deū cōpleturū quæ Abrahæ patriarchæ noſtro prædixerat. Noſtis item quod pactū Deus cum Abrahamo pepigerit,nimirū quòd in ſemine huius benedicendæ ſint omnes gentes.Pactum igitur illud non ad ſolum Abraham, neque ad ſolos Prophetas pertinet,ſed etiam ad vos,qui eſtis filij,hoc eſt,hæredes Prophetarū & teſtamēti. Quidquid enim illis promiſſum eſt, hoc iam vobis exhibetur, nimirū benedictio, hoc eſt,peccatorum remiſſio,ſanctificatio,& vita æterna. Nolite itaque deſpondere animos,ſed confidite,certò credentes vos fore participes omnium quæ Deus patribus pollicitus eſt.Huc pertinet quod Paulus in Romanis dicit Iſraëlitarum eſſe adoptionem filiorum, & gloriam, & teſtamentum,& legiſlationem, & obſequium, & promiſſa: quorum ſunt patres, inquit, & hi ex quibus eſt Chriſtus ſecundum

Aug. vide de Ciui.dei lib.17.ca.1.

Roman.9.

ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſęcula. Scribit dein non excidiſſe verbum Dei, hoc eſt, Deum pactis ſtaturum, ac bene dicturum omnes, qui fidem Abrahæ ſequentur. Et capite vndecimo loquitur *Galat.3.* Paulus de teſtamento ex Propheta Eſaia: Veniet, inquit, *Eſa.59.* ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem à Iacob, & hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum. Addit Lucas. *Vobis primum ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis, vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua.* Senſus eſt. Abrahæ quidem dictum eſt, quod in ſemine ſiue per ſemen eius, qui eſt Chriſtus, benedicentur omnes familiæ terræ, vt non poſſit de ſolis Iudæis intelligi promiſſio, quaſi hæc ad ſolos Iudæos pertineat, híque ſoli ſint ſaluandi: ſed hoc priuilegium habetis vos Iudæi, quòd primùm miſit Deus filium ſuum ad vos, patri Abrahæ promiſſus eſt ex Iudæa virgine, & in vobis natus eſt & conuerſatus, prædicationem eius audiſtis, miracula eius vidiſtis. Adde quod etiam nos Apoſtolos ad vos primùm miſit, vt benedictionis promiſſæ quæ eſt in remiſſione peccatorum, in ſanctificatione, & in poſſeſſione regni cælorum ſita, vos primi fieretis participes: quod quidem fiet ſi vnuſquiſque veſtrûm ſeſe conuerterit à nequitia ſua. Tria igitur hîc Petrus dicit quæ obſeruanda ſunt. Primùm quòd Deus pro miſericordia ſua Iudæis quantumuis impiis filium ſuum miſit, voluítque illos ante alios omnes ſalutis facere participes. Secundò miſit filium *Ioan.5.* non vt perderet, ſed vt ſaluaret. non enim miſit Deus filium ſuum in hunc mundum vt iudicet mundum, ſed vt mundus ſaluetur per ipſum. Tertium eſt ne quis ſe vana ſpe lactet, ſed ſciat ſe tunc fieri benedictionis promiſſæ participem, ſi quando conuerterit ſe ab impietate ac nequitia ſua: qua de re etiam Paulus ad Titum ſcribit, Chri- *Titum 2.* ſtum nos erudiiſſe, vt abnegantes omnem impietatem & ſęcularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſęculo. Et hactenùs quidem explicuimus concionem Petri quantum dominus dedit: det idem dominus vt & nos à nequitia noſtra auerſi benedictionis pollicitæ fiamus participes, atque è numero filiorum teſtamenti non deficiamus. Amen.

CAPVT IIII.

LOquentibus autem illis ad populum, ſuperuenerunt Sacerdotes, & Magiſtratus templi, & Sadducæi dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis, & iniecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam vſque in craſtinum: erat autem iam veſpera. Nihil noui hîc accidit bonis Apoſtolis Petro & Ioanni, nihil præter opinionem. Nam Chriſtus hoc ipſum illis iam olim prædixerat, Mementote, inquiēs, ſermonis mei, quia non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si patrem familiâs vocauerunt Beelzebub, quantò magis domeſticos eius? Et apud Marcum: Videte autem voſmetipſos, inquit. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapulabitis, & ante præſides & reges ſtabitis propter me in teſtimonium illis. Et apud Ioannem: Abſque ſynagogis facient vos, & venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Hęc & ſimilia quum iam olim prædixerat Chriſtus diſcipulis ſuis, non eſt dubium quin animos ſuos ad tantas perſecutiones præparârint, vt dum ingruerent, fortibus & infractis animis illas ſufferrent, quod etiam factum eſt, hoc quod paulò pòſt audiemus. Sed ad contextum. Loquentibus illis, Apoſtolis videlicet ad populum, hoc eſt, dum Petrus concionem haberet ad populum quam in præcedenti capite audiuimus, ſuperuenerunt Sacerdotes & Magiſtratus templi, & Sadducæi. Quínam ſunt iſti? de Sacerdotibus non eſt dubium qui ſint, quum toties illorum mentio fiat in Euangeliis. Sed quis eſt iſte Magiſtratus templi, ſiue vt Chryſoſtomus legit, dux militum templi? Apparet cuipiam templi curam tutelámque fuiſſe commiſſam, qui ſub ſignis ſuis certam haberet militum manum, quæ & templum & quæ ad hoc pertinebant tueretur, & turbas ſi quæ orirentur, diſiiceret. Ex hoc hominum numero Iudas traditurus dominum in manus Iudæorum, cohortem acceperat. Iam de Sadducæis paulò pòſt dicemus: iâm igitur verba Lucæ diligentiùs expendamus. Dicit ſacer-

dotes & Magiſtratum templi & Sadducæos ſuperueniſſe prædicantibus Apoſtolis. Quid hoc? apparet certè principes hos viros, & qui debebant primi intereſſe ſacris, fuiſſe nouiſſimos, quod exemplum vtinam & noſtri Sacerdotes & Magiſtratus non imitarentur. Secundò dicit Lucas, quòd malè habuerit ipſos, quòd Apoſtoli docuerint populum. hoc eſt, peccatum peccato adiicere. An non ſufficit ad condemnationem animæ tuæ, quòd tu verbum Dei non audis, niſi & illud etiam aliis inuideas & prædicatoribus ſuccenſeas? Quòd ſi tu tanta eruditione & ſapientia polles, vt admonitore opus non habeas, ſine tamen alios & rudiores data felicitate frui. Quid porrò docebant Apoſtoli? Docebant, inquit, non ſeducebant populum, & annunciabant in Ieſu reſurrectionem ex mortuis, hoc eſt, non ſolum docebant Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe ex mortuis, ſed etiam quòd virtute Chriſti omnes eſſent reſurrecturi. Venit hora, inquit Chriſtus, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Et diuus Paulus in Corinthiis ſcribit: Si Chriſtus prædicatur quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quòd mortuorum reſurrectio non ſit? Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitię dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sed hac de re alibi copioſius: iam rogat quiſpiam, quid talis & de tali re prædicatio incommodare potuerit Sacerdotibus vel Sadducæis? vno verbo dicam. Quòd Chriſtus prædicatur à mortuis reſurrexiſſe, contra Magiſtratum & Sacerdotes eſt, qui perſuadere cupiebant populo illum non reſurrexiſſe à mortuis, ſed ab Apoſtolis noctu è monumento furtim ſublatum. Quum itaque Apoſtoli prædicant Chriſti veram reſurrectionem, certè mendacij arguunt Sacerdotes & Magiſtratum: immò non ſolùm mendacij, ſed & impietatis arguunt, dum ſcilicet prædicant eum tanquam Dei viuentis filium à mortuis reſurrexiſſe, quem illi tanquam latronem in crucem adegerant. Quòd verò Sadducæos malè habuit prædicatio Apoſtolica de reſurrectione Chriſti, in cauſſa fuit quòd illi generalem etiam mortuorum reſurrectionem negabant, ſicut in ſequentibus huius libri audiemus. Iam ſi conſtiterit Chriſtum verum

hominem à mortuis reuixiſſe, quomodo ſtabit doctrina Sadducæorum, qui negant quenquam reſurrecturum? nam ſi Chriſtus reſurrexit, non dubium eſt quin & alij reſurgere poſſint. Igitur quum Apoſtoli apertiſſimè & Sacerdotibus, & Magiſtratui, & Sadducæis contradicerent, reſurrectioníque Chriſti teſtimonium redderent, quid fit? iniecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam vſque in craſtinum: erat enim veſpera. Quare addit fuiſſe tum veſperam? Voluit forſan Lucas hîc oſtendere quàm diligentes fuerint Apoſtoli in verbi Dei miniſterio, cùm prædicationem vſque in noctem etiam produxerint. Nos, ſi dominico die vel ſemihorulam verbo Dei audiendo operam dedimus, putamus nos pẽſum noſtrum egregiè perſoluiſſe, nec putamus commodum tempus eſſe veſperarum diuino cultui perſoluendo. Fortè & hoc indicare voluit Lucas deſcriptione temporis, quod longè alia tentaſſent illi contra Apoſtolos, niſi nox obſtitiſſet. Arguit & hoc crudelitatem illorum, quòd innocentes Apoſtolos nondum audita cauſſa in carcerẽ coniiciunt. Sed quid profecerint ſua crudelitate ac tyrannide, paulò pòſt audiemus. Poſſet quis hîc excuſare Magiſtratus & Sacerdotes, quaſi non iniuria manus iniecerint in Apoſtolos, homines ſcilicet idiotas & à Sacerdotij functione alienos, neque enim licet cuique pro libitu ſuo concionari, etiamſi nihil mali concionetur. Oportet enim vt concionatores prius vocentur & eligantur, antequam verbi miniſterium vſurpare contendant. Verum eſt, Apoſtoli à Sacerdotibus & Magiſtratibus huius mũdi ad munus concionatorium vocati non fuerant, ſed à Chriſto qui imperium habet in cælo & in terra, hic ſi quem miſerit, legitimè Sacerdotio fungetur. Apoſtoli etiam multis & variis miraculis vocationem ſuam declarârunt, vt nemo horum exemplo non miſſus concionari pergat, hoc prætextu videlicet, quòd licèt ab hominibus miſſus non ſit, tamen vocationem ſuam ex Deo habeat. Si à Deo vocatus, fac vocationem tuam probabilẽ facias, ſicut Moyſes, ſicut Aaron, ſicut alij Prophetæ, & ſicut Apoſtoli noſtri de quibus iam loquimur. Sed hæc ſuffecerint: ad contextum reuertamur. *Multi autem eorum qui audierunt verbum, crediderunt, & factus eſt numerus virorum quinque*

193

millia. Rectè quidam dixit, è ſanguine occiſorum Chriſtianorum naſci Chriſtianos. Tyrannis enim interdum occaſio eſt, vt multi ad fidei veritatem perueniant. Ecce enim Apoſtoli Petrus & Ioannes rapiuntur & in carcerem coniiciuntur: ſed qui concionem audierãt, propterea non deficiunt à Chriſtiana religione. Factus eſt enim numerus credentium virorum circiter quinque millia. Quare addit virorum? vt intelligamus mulieres & pueros, iuxta veteris legis cõſuetudinem nõ numerari. Tu autem hîc rem diligenter conſideres velim. Multi, inquit, eorum qui audierunt verbum, crediderunt. fides enim, iuxta Paulum, ex auditu eſt: auditus autem per verbum Chriſti. Quòd ſi iſti ſub veſperãm non ingreſſi fuiſſent concionem Apoſtolorum, quomodo perueniſſent ad fidem? In œnopoliis, aut in theatro nihil audiſſent de Chriſto vnde ædificati fuiſſent: at dum templum ingrediuntur, audiunt verbum Dei, indéque ædificantur, & incorporantur Chriſto. Et tu ſi occaſiones pietatis non fugeris, ſat occaſionis habebis, vnde proficias de virtute in virtutem. Sequitur.

Factum eſt autem in craſtinum vt congregarentur Principes eorum & Seniores & Scribæ in Hieruſalem, & Annas princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali. Et ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc? Videmus hîc quòd Principibus Hieroſolymorum non viſa ſit res leuiſſima, vt ſinerent Apoſtoli vt prædicarent, poſſet quiſpiam dicere: Quid eſt quòd ſibi metuant à paucis obſcuris & indoctis, hominis damnati & crucifixi diſcipulis? Sed Principes illi rem aliter examinant, vt quorum conſcientia ſeipſos accuſabat iniuſtiſſimi homicidij, & qui timebant, ne vulgò perſuaderetur Chriſtum iniuſtè & per inuidiam ab illis in crucem actum. hinc omnia ſic inſtituunt, quaſi omnia iure, nihil temerè agere velint. Tu porrò vide faſtum mundi cum humilitate Chriſti collatum. Congregantur in craſtinum principes Iudæorum, & Seniores, & Scribæ in Hieruſalem, & Annas princeps ſacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali: breuiter quotquot præeminebant in Hieruſalem, ſine

poteſtate, ſine dignitate, ſine nobilitate, ſine eruditione conueniebant. Contra quos? contra duos piſcatores, Petrum & Ioannem. Sic enim inquit Lucas: Et ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc? Putant fortè Apoſtolos conſpectis tot proceribus non auſuros vel contrà mutire. Et quid erat obſecro neceſſe, vt multis rogarent? quare non rogauerant in templo, antequam vinctos conieciſſent in carcerem? & poterant quidem hoc audire in templo ab ipſo Petro, dum facti ſui rationem redderet populo. Atqui, ſicut ſuprà diximus, capita illa non ingrediebantur templum, ſed ex ſeruis ſuis accipiebant, quæ in templis gerebantur. Et ſerui plerunque in hoc ſunt, vt dominis annuncient non quæ vera ſunt, ſed quibus delectari nouerunt dominos ſuos. Certè hoc concilium per omnia nobis refert illud in quo dominus noſter Ieſus Chriſtus iniuſtè condemnatus fuit, quem etiam primùm interrogationibus quibuſdam irretire cupiebant. atqui non eſt conſilium, non eſt ſapientia, non eſt prudentia contra dominum. Adnotauit Chryſoſtomus quòd hic Annas princeps Sacerdotum dicitur, quum in paſſionis dominicæ hiſtoria Caiphas ſummus ſacerdos fuerit: hoc quod legi Dei aduerſabatur plurimum. Nam & Egeſippus dicit temporibus Chriſti, ſummi ſacerdotij ius interiiſſe, aut auaritia interceptum, aut potiorum inſolentia, qui licere quod vellent ius putabant. A principio enim Aaron ſummus ſacerdos fuit, qui ad filios ſuos ex voluntate Dei vnctione legitima tranſmiſit ſacerdotij prærogatiuam, à quibus per ordinem ſucceſſionis conſtituti ſunt principatum ſacerdotij gerentes: vnde patrio more conualuit neminem fieri principem ſacerdotum, niſi qui eſſet ex ſanguine Aaron, cui primò ius iſtiuſmodi ſacerdotij delatum eſt. Alterius autem generis viro, nec regi quidem licebat ſuccedere. Poſteaquam verò Iudæa regio Romanis facta eſt tributaria, & Romani Præſides ſuos poſuerunt in Iudæam, tum cœperunt & Romani, & horum vicarij (vt qui erant auariſſimi, & legum Dei prorſus ignari) Sacerdotij dignitatem primam non iis deſignare quos commendabat vel pietas, eruditióque

Lib. 2. cap. 12.

in lege patria atque virtus, vel generis ſucceſſio & ordinatio Dei, ſed iis qui vel opulentiſſimi plurimum numeraſſent, vel Romanorum partes ſequentes plus habebant fauoris. Proinde nihil ſupererat in toto ſacerdotum ordine integri, nulla erat legitima ordinatio, nihil fiebat à ſacerdotibus quod lex poſtulabat: corrupta erant omnia, venalia erant omnia, precio & fauore conſtabant omnia. Et per talia media Cayphas & Annas etiã peruenerunt ad ſummi ſacerdotij faſtigium, quod etiam, vt apparet, alternatis vicibus obibant, & quod illos mouit ſacerdotium ambire, idipſum dum ſacerdotium habebant, ſequebantur. Diuitias & honores quærebant, propter illa etiam nihil intentatũ relinquebant. Det Dominus ne paria exempla in Eccleſiam noſtram vnquam irrepſerint. Quum igitur concio Petri qua Chriſtum populo commendabat, ſacerdotibus intolerabilis videretur (nam qui Chriſti doctrinam ſequuntur, diuitias & honores huius mundi non magnifaciunt) produxerunt Apoſtolos ad Senatum vt cauſſam dicerent. Iam quomodo Petrus Apologiam ſuam inſtituerit audiemus. Statuerunt enim eos in medio, videlicet, ne quid de reſponſis horum illos ſubterfugeret.

Tunc Petrus repletus Spiritu ſancto, dixit ad eos: Principes populi & Seniores, ſi nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt? Duo interrogant Principes illi ab Apoſtolis: qua virtute hoc fecerint, & in cuius nomine hoc fecerint. Primum eſt quomodo potuerint: ſecũdum an etiam licuerit. Nam ſunt aliqua quæ quidem poſſes facere, ſed quæ tibi non licet facere: vnde non ſolùm videndum eſt quid quantúmue poſſis, ſed etiam quid te deceat. Sunt forté aliqui inter vos, qui quod ad eruditionẽ attinet, iã poſſent forſan cõcionari & piè & doctè: ſed quoniã ad hoc vocati nõ ſunt, neceſſe eſt vt ſint auditores & nõ doctores. Sic forſan ſunt in hoc vero numero, qui cauſſas inter cõciues ꝓbè diſcutere poſſent, fortè non ineptius quã qui ex magiſtratu ſunt: ſed tibi nõ licet, ꝙ aliis poteſtate accepta licet. Ita iam dicimus Apoſtolos noſtros interrogari qua virtute hoc miraculũ fecerint, hoc eſt, quib⁹ artibus, quibus mediis, an magica quadã operatione vel aliter, &c. Deinde cuius nomine, cuius iuſſu hoc fecerint, quid fecerint non exprimunt. inuident enim mi-

ſellis piſcatoribus tantum honorem. Adde quod factum illud Apoſtolorum eiuſmodi eſt, vt ſtatim atque nominatum eſt, continuò & Apoſtolorum innocentiam, & principum tyrannidem arguat. Sed præſtat audire D. Petrum ſibimetipſi patrocinantem: verùm quid efficiet piſcator idiota contra tam doctum collegium? nihil eſt quod Petri nomine timeas. habet enim patronum optimum, qui licèt non conſpiciatur externis oculis, tamen reipſa ſentitur: ſpiritum ſanctum dico. quo repletus Petrus eſſe prædicatur. Hoc enim eſt quod Chriſtus Apoſtolis ſuis dixerat: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Dicit itaque Petrus ad eos, idiota ad doctos, contemptus ad elatos, pauper ad diuites, diſcipulus Chriſti (nam & hoc addere lubet) ad miniſtros Satanæ: Principes populi & ſeniores, inquit, ſi nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, &c. Nihil loquitur hîc Petrus per adulationem, neque tamen defraudat magiſtratus ſuo honore. Et magnam quidem emphaſim habet quod dicit: Nos hodie diiudicamur examinamur & protrahimur in iudicium, eò quòd homini infirmo benefecerimus, quaſi dicat, magiſtratus non debebat terrori eſſe benè merentibus, ſed malè agentibus. adeò vt hactenùs conſueuerint examinari facinoroſi: nunc eò res rediit, vt innoxij, immò benefici examinentur propter beneficia. Omninò oportebat nos propter talia coronari, & vt benefactores promulgari: nunc autem iudicamur, quia benefecimus homini infirmo, non potenti, non diuiti, non nobili, quamuis quis hoc inuidiſſet? Cæterum ſi omninò ſcire vultis, cuius virtute aut poteſtate hunc ſaluum fecimus, *Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quòd in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.* Magna grauitate ſermones Diui Petri referti ſunt. Nihil vobis occultabimus, quandoquidem eius facti rationem à nobis poſtulatis, nec vobis tantùm hæc volumus eſſe nota, ſed omni plebi Iſraël. Quòd hic, qui iam per quadraginta annos claudicauit, iam coram vobis aſtat ſanus, hoc acceptum ferat Ieſu Chriſto Nazareno: huic, inquã, quẽ vos crucifixiſtis, huic quẽ Deus ſuſcitauit à mortuis. In huius ſiquidẽ nomine, huius virtute ſanus factus

95

eſt hic, quem per quadraginta annos ſanare nemo potuit. Apparet ex verbis Petri quòd primores populi etiam claudum illum in Senatum vocauerint, ſicut olim cæcum natum, vt quocunque modo poſſent, miraculum hoc occultaretur, vel gloria huius Chriſto non adſcriberetur. Quomodo putas ſonuerunt hæc Petri verba in auribus Principum: Vos Ieſum Chriſtum Nazarenum crucifixiſtis? Et Deus Ieſum Chriſtnm Nazarenum ſuſcitauit à mortuis: quem vos occiditis, Deus viuum habere vult, quem vos calumniamini, per hunc Deus miracula operatur? Noſtis ô principes populi, noſtis Ieſum Nazarenum. Hic eſt Chriſtus, hoc eſt, Meſſias vobis iam olim promiſſus: hunc Meſſiam veſtrum crucifixiſtis, ſed reuixit: non furati ſumus corpus illius, ſed Deus ſuſcitauit illum. *Hic eſt lapis qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in aliquo alio ſalus.* Inconuenientia videntur eſſe Deum filium ſuum ſic ſinere humiliari vſque ad crucē, & deindè à mortuis reſuſcitare: ſed hoc iam olim Propheta dixit nouiſſimis iſtis temporibus futurum. Ad hoc probandum pertinent hęc verba Petri. Eſt autem locus quem Petrus adducit apud Dauidem Pſalmo CXVII. & eius multus eſt vſus in ſacris literis noui Teſtamenti. Chriſtus ipſe apud Matthæum iubet Scribas & Phariſæos locum illum conſulere. Tota verò vis Pſalmi eſt, vt intelligamus Chriſtum quidem ab hominibus illis primum reprobandum, qui tamen illum maximè ſuſpicere debebat: poſtea tamen Chriſtum in ſummam gloriam euehendū. Vult itaque Apoſtolus dicere: An non legiſtis quid ſcriptura habet de quodam lapide qui ab ædificantibus reiectus primum fuit, deinde autem electus in lapidem angularem? Lapis Chriſtus eſt, quem Daniel vaticinatur ſine manibus de monte abſciſſum: hunc vos reieciſtis, & in crucem egiſtis. Vos enim ædificatores & coloni eſtis, quibus ſtructura Eccleſiæ commiſſa eſt. Atque quoniam Chriſtum reieciſtis, Deus ipſum excitauit à mortuis, eóque prouexit, vt iam non ſit in aliquo alio ſalus. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Vos Scribę & Phariſęi Chriſtum ex omnium piorum numero ſecluditis, nec boni viri appellatione dignum iudicatis: immò, & blaſphemū & Dei aduerſarium appellatis, tantum

abeſt vt illum cælo dignum iudicetis: at ego dico vobis, quod nihil aliud ſub cęlo nominari poſſit, in quo ſalus noſtra conſiſtat præter Chriſtum. Nemo enim venit ad patrem niſi per filium, & ipſe Chriſtus via, veritas, & vita eſt, & qui laborant & onerati ſunt, ſi refocillari cupiunt, neceſſe eſt ad Chriſtum concedant. Ipſe enim eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia, in ipſum pacificans per ſanguinē crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt. *Coloſſ. 1.* Precioſiſſima hæc eſt ſententia, & omnibus Chriſtianis magnifacienda, quod ſcilicet nemini extra Chriſtum vnquam patuit vel patebit aditus ad regnum cælorum. Per quem enim ſaluatus eſt primus homo, per illum etiam ſaluari debent, quotquot ſalutis futuri ſunt participes. Et ſaluandorum vna eſt & eadem fides tam in veteri quàm in nouo teſtamēto, niſi quod illi crediderunt venturum, quē nos iam veniſſe credimus. Et quod illorum Sacramenta præfigurabant, hoc noſtra reipſa conferunt: qua de re alibi fuſiùs diximus. Sic autem ſaluantur quicunque ſaluantur, non ſola fide ſicut aliqui autumant, ſed etiam obſeruatione mandatorum eius, quæ tamen citra fidem nihil eſt, nihilque ad ſalutē prodeſt. Abel primus iuſtus ac martyr fidem quidem habuit in futurum Chriſtum, ſed illius virtutes ſcriptura non tacuit. Abrahæ fides plurimū commendatur à Paulo, ſed illius bona opera nō ſilentur à Diuo Iacobo. Hęc propter illos dicimus, qui ſic ſolent argumentari: Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus (intellige præter Chriſtum) in quo oporteat nos ſaluos fieri: ergo ſacrificium miſſæ, eleemoſyne, charitas, cultus diuorum, & reliqua humana opera nōn ſaluant. Qualis eſt hæc illatio: Per vnicum Chriſtum nobis confertur ſalus, ergo cętera nihil faciunt ad ſalutem? ergo & Deum patrem, & Spiritum ſanctum excludemus à negotio ſalutis noſtræ? Si vnicus & ſolus Chriſtus omnia abſoluit, ergo nec tua fides quidquam facit ad ſalutem tibi parandam? non ita eſt, ô boni, non ita eſt. Per Chriſtum illi tantum ſeruantur, qui quæ ipſis præſcribit ex animo amplectuntur: atqui Chriſtus non ſolam fidem, ſed & alia pieta-

tis exercitia pręſcribit. Nec Petrus ſuam cōcionem in hoc inſtituit,vt doceret Chriſtū ſolùm nos ſaluos facere:ſed vt oſtēderet nihil præter & extra Chriſtū nos poſſe ſaluos facere. Pœnitētia bona,fides bona,eleemoſina bona,ieiuniū bonū,ſed non niſi in Chriſto fiant. Iudæi ſperabāt ſe conſecuturos ſalutem etiāſi nō amplecterētur Chriſti doctrinā:verùm ſi Petro credimus,fruſtrà hoc ſperabant, quum Chriſtus oſtiū ſit ouium , & ſolū per Chriſtū perueniatur ad patrē.In ſequentibus verò audiemus omninò cōtrarias Iudæorū doctrinas,eorū ſcilicet qui putabāt Chriſtū quidem eſſe amplectendū ei qui cuperet ſalutē , ſed Chriſtū, hoc eſt,Chriſti doctrinā nō ſufficere ad ſalutē, niſi illi adiungeretur & Moſis doctrina.Sed hac de re ſuo loco dicemus.Cæterùm quid opus eſt hoc in loco prolixa diſputatione refellere illorū prauas opiniones qui ſic Chriſtum prædicant,vt quę Chriſtus ipſe docuit porrò repudient?an non audimus quid Petrus poſtularit ab illis qui volebant ſaluari?Pœnitentiā,inquiebat,agite,& cōuertimini,& baptizetur vnuſquiſque veſtrū in nomine domini Ieſu Chriſti in remiſſionē peccatorū, & accipietis donū Spiritus S. Sed pergamus. *Videntes autem Petri conſtantiam & Ioannis, comperto quod homines eſſent ſine literis & Idiotæ, admirabātur, & cognoſcebant eos quoniam cum Ieſu fuerant,hominem quoque videntes ſtantem cum eis qui curatus fuerat,nihil poterant contradicere.* Dum olim emitteret Deus Hieremiam ad rebelles illos Iudæos , dicebat illi. Tu ergo accinge lumbos tuos, *Hierem.1* & ſurge & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi, ne formides à facie eorum,nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam,& in colūnam ferream,& in murum æreum ſuper omnem terrā Regibus Iuda principibus eius & ſacerdotibus, & omni populo terræ, & bellabūt aduerſum te & nō præualebūt,quia ego tecum ſum,ait dominus vt liberē te. Et dum Chriſtus emitteret diſcipulos ſuos,inter alia dicebat eis:Dabo vobis os & ſapiētiam,cui omnes aduerſarij veſtri non poterūt reſiſtere.Hoc quam verū ſit,Lucas noſter nobis iam ſufficientiſſimè demonſtrat.Tam cōſtanter enim diſputat Petrus ac patrocinatur Chriſto , vt principes illi admirari quidem poſſunt de illius diſputatione,ſed hanc refellere non poſſunt : & tanto magis admirantur,

quanto minus putaſſent tantum ſcientiæ, & conſtantiæ eſſe in hominibus eius modi plebeis. Euangelium teſtatur Iudæos etiam olim admiratos ſuper doctrina Chriſti, non ſolum quando adhuc puer duodecim annorum cum illis diſputabat in templo Hieroſolymitano. ſed etiam poſtea quum iam vir factus in templo docebat. Vnde huic, inquiebant, tanta doctrina? & quomodo hic literas ſcit, quum non didicerit? pari modo iam Chriſti contingit Apoſtolis. Nemo illos tanti hactenus fecerat, vt poſſent vel auderent congredi cum doctiſſimis Iudæorum. Multi eius ſunt audacię aut temeritatis potiùs. vt etiamſi ipſi ſint ignauiſſimi & illiteratiſſimi, tamen audeant in literarum certamen vocare etiam doctiſſimum quenque. Sunt rurſum etiam qui magnæ ſunt eruditionis, qui in doctorum conuentu vix auſint mutire. Sunt enim diuerſa & varia Dei dona, & alius hoc, alius verò aliud donum ex Deo habet: in noſtris verò Apoſtolis multum eſt, quod etiam doctiſſimos Iudæos in admirationem ducat. Magna in ipſis eſt ſacrarum literarum eruditio, & quod ex ſacris habent, magna fortitudine & conſtantia audent proferre. adeſt in præſentia quem vnico quaſi verbulo ſanârunt, & ſuis membris reſtituerunt. ſicque omnia & agunt & loquuntur, vt nemo illos alicuius vanitatis arguere poſſit. Et quinam ſunt? ſunt homines ſine literis & idiotæ: vnde illis igitur tanta eruditio, tanta fortitudo, vnde virtus faciendi miracula? Fuerunt, inquit, cum Ieſu Nazareno, ergo ab hoc ipſo habent, quidquid ſunt & habent. Quid igitur faciunt Iudæorum proceres non valentes Apoſtolos Chriſti refellere? ânne ſe in ipſorum diſcipulatum tradunt? nequaquam. Sed quid? *Iuſſerunt autem eos foras extra concilium ſecedere, & conferebant adinuicem, dicentes: Quid faciemus hominibus iſtis? quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos, omnibus habitantibus Hieruſalem manifeſtum eſt, & non poſſumus negare: ſed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli homini. Et vocantes eos, denunciauerunt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Ieſu.* Quare iubent Apoſtolos ſecedere? haud dubiè non alio nomine, niſi vt illi liberiùs ſuper hoc negotio conſultare poſſint, & ne Apoſtoli impia illorum audire poſſint conſilia. Sed quid opus eſt multis conſul-

tationibus?ſola pœnitentia,& fide,& obedientia opus fuerat,non longis & friuolis conſultationibus. Sed vide quã perplexi ſint quàm imprudentes, quã deſtituti omni conſilio. Quid faciemus,inquiũt,hominibus iſtis? Olim dũ ad Iudęorũ proceres referebatur miraculũ illud celeberrimũ, quando Chriſtus reſuſcitauerat Lazarum , etiam cogebãt conſilium, quo coacto dicebant : Quid facimus?quia hic homo ſigna facit,ſi dimittimus eum ſic,omnes credent in eum. Non aliter etiam hoc in loco conſultant . Quid faciemus hominibus iſtis ? Quid? remunerandíne ſunt magnis donis,ánne afficiendi magnis contumeliis ? Quid faciemus hominibus iſtis ? non multa diuinatione opus eſt, interrogate Apoſtolos,& confeſtim dicent vobis quid vos facere oporteat. Dicent vobis id quod aliis qui ſaluari cupiunt : Pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu . Quid enim aliud præſcribendum eſt eis , qui ipſa veritate compulſi & conuicti non habent quod contradicant , & qui ipſi vltro fatentur Apoſtolorum integritatem ? ſed rurſum diſcutiamus ſingulas partes prælecti textus . Proceres iudæorum iubent Apoſtolos extra conſilium ſecedere , hoc per ſe impium non eſſet , niſi aliud malum interceſſiſſet. Nam ita habet conciliorum ratio , vt illi quorum cauſſa agitur , non audiant ſententiarum collationem.Si enim audirent,fortè malam conciperent inuidiæ ſuſpicionem de illis quos ſibi aduerſari audirent : verùm aliquem indicta cauſſa condemnare, etiam apud Ethnicos grande piaculum æſtimatum eſt. Et probus ille: Nunquid lex noſtra iudicat hominem,niſi prius audierit ab ipſo & cognouerit quid faciat ? Addit, Conferebant ad inuicem. Et hoc laudabile eſt , vt in conferendis ſententijs ac cõſilijs alter alterum audiat:ſic enim fiet vt imprudentium non probè expenſa conſilia emendentur, & prudentium ad executionem veniant . Vnde etiam decet vnumquemque in Senatu ſuo liberè quæ ſentiat eloqui , nullius perſonæ habita ratione. Fit enim interdum vt puer Daniel animaduertat ea, quæ ſeniores illi non cogitant : ſed hac de re aliàs. Sequitur . Quid faciemus hominibus iſtis?Apparet hæc verba per contemptum dicta eſſe. Quare enim non dicunt: Quid ſtatuendum eſt ſuper viris iſtis magnificis,qui tam diſertè quæ Religionis

Ioan.11.

Ioan.7.

Dan.13.

ſunt,exponunt, qui miraculum tam ingens operati ſunt? nihil poſſumus cælare,ſignum quod fecerunt, notum factum eſt omnibus. Quid igitur longa deliberatione opus eſt? & præſtat apertum eſſe, quàm occultum: ſed audiamus conſilium. Et comminando comminemur eis ne vltra loquantur in nomine hoc vlli homini. Hoc eſt conſilium, rogas an hoc executi ſint?vtique vocantes enim eos denunciauerunt eis, ne omninò non ſolùm loquerentur, in nomine Ieſu, ſed de hoc ne hiſcerent quidem. O imprudentes conſiliarij, fruſtrà hæc mandatis. Nam veri ſerui Dei non verentur minas hominum: ſed qui ideo loquuntur vt hominum gratiam ſibi concilient,iidem tacere ſolent vt hominum minas effugiant. Et Dominus Apoſtolis dixerat: Nolite timere eos qui occidunt corpus,animam autem occidere non poſſunt,&c. Sed pergamus.]

Chryſoſt. annotauit hîc Chriſto Dei nomen attribui.

Petrus verò & Ioannes reſpõdentes dixerunt ad eos: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate: non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.

Egregia hæc eſt Apoſtolorum ſententia,& ab omnibus hominibus, maximè verò Chriſtianis conſideranda,nimirum quòd Deus potiùs audiendus eſt, quàm homines,intellige ſi homines aliquid contra Deum ſtatuere vellent. Sed rem apertius eloquemur. Non eſt dubium quin creator ſemper ac perpetuò omnibus creaturis præferendus ſit, & illius gloria omnium gloriis anteponenda. Iam etiam non eſt dubium, quin & creaturis ſuis debeatur honor,ſuáque reuerentia & obedientia. Sic in decalogo duæ ſunt tabulæ: in priori quid Deo, in ſecunda quid hominibus debeamus, exponitur. Quia verò Deus maior eſt homine, præcepta prioris tabulæ maiora ſunt, & ideo etiam præferenda præceptis ſecundæ tabulæ. Quum igitur iam aliquid præcipiat Deus quod homo prohibeat, quis non videt Deo potiùs eſſe obtemperandum quam homini? Igitur hominum præcepta perpetuò conferenda ſunt ad præcepta Dei,vt ſi cum his conueniunt, compleantur: ſin minus, porrò reſpuantur. Si autem homines idẽ mandant quod Deus, iam propter Deum mandatum implendum venit,non propter homines. Sed hac de re forſan copioſius dicemus in caput ſequens: iam expendamus verba Apoſtolorum. Vos,inquiunt, iudicate an in conſpectu Dei

iuſtum ſit vos potiùs audire quàm Deum. Denunciaſtis nobis, volunt dicere, ne vltra loqueremur de Chriſto: at quam iuſtè illud denunciaueritis quis non videt? Deus iubet vt Chriſti verba & facta populis vniuerſis deprædicemus: vos autem diris minis ne illud faciamus prohibetis? Vtri iam obediendum? vter contemnendus? Deus ne, an nos putidi homines? Sed quid opus eſt multis verbis? quid neceſſe eſt prolixiùs conſultari? Vos iudicate & eloquimini quid vobis videatur ſuper hac re. Ipſæ conſcientiæ veſtræ teſtantur Deo potiùs eſſe obtemperandum quam vobis. Quum igitur Deus iuſſerit nos Euangelium Dei prædicare, non patiemur nos vllis minis ab inſtituto noſtro retardari. Non hîc quærimus quid hominibus benè conſultum videatur, ſed quid Deo: ergo non poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Quid viderunt? quid audierunt? Chriſti incarnationem, in terris peregrinationem, miraculorum operationem, legis & prophetarum veram expoſitionem, & paſſionem: denique reſurrectionem, in cælos aſſumptionem, & Spiritus ſancti miſſionem, atque reliqua quæ à Chriſto in mandatis acceperant. Obſeruandum hîc diligenter quòd Apoſtoli dicunt & docent probè iudicandum & expendendum eſſe, quid in conſpectu Dei iuſtum ſit. Eò enim omnia hominum conſilia dirigenda ſunt: non ſatis eſt iudicare quid è Rep. ſit, ſed ante omnia conſiderandum ne quid gloriæ Dei, ne quid Chriſtianæ charitati præiudicet conſilium tuum. *Nota.*

At illi comminantes dimiſerunt eos, non inuenientes quomodo punirent eos propter populum: quia omnes glorificabant Deum in eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius 40. homo in quo factum fuerat ſignum iſtud ſanitatis. Idem faciebant Chriſto. Sæpiſſimè enim Chriſtum libenter interemiſſent, verùm timebant plebem, quia illum pro Propheta habebat. Et cùm nouiſſimè certò cõſtituiſſent Chriſtum de medio tollendum, dicebant: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. Et cùm Lazarus reſuſcitatus multos mouebat vt in Chriſtum crederent, conſilium capiebant ſummi ſacerdotes etiam Lazarum interficere, quia ſicut Ioannes teſtatur, multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum: ſic hoc in loco nihil aliud verentur Principes Iudæorum, niſi quod miracu- *Ioan. 12.*

lo hoc manifeſtato, plures credituri ſint in Chriſtum. Prohibent ergo Apoſtolis, addentes etiam minas, ne aliquid poſthac loquerentur de Chriſto. Sed quare non occidunt eos, vt tuti ſint poſthac ab illorum inſultationibus? quia non inueniebant, inquit Lucas, quomodo punirent illos. Non deerat animus, aderat malitia, ſed deerat occaſio, quę ſola malitiæ opus eſt. Timebant enim plebem, non timebant Deum, cuius filium paulò antè crucifixerant. Populum timent, qui ſcilicet fortè ſæuiiſſet in primores, ſi Apoſtolos occidere paraſſent. populus enim non calumniabatur, ſed magnifaciebat miraculum illud. Quis enim non admiraretur hominem qui per quadraginta annos claudus fuerat, vnico quaſi verbo à priuatis & nulla ſæculi huius dignitate claris ſanatum? Igitur audientes populum magnis laudibus miraculum illud euehere, non audebant aliqua pœna afficere eos, per quos miraculum fuerat factum: vnde ſi iuxta hominum iudicium loqui volumus, nihil remorabatur primorum maliciam, quo minus videlicet Apoſtolos interficerent, niſi timor plebis cuius ſcilicet timebant ſeditionem: verum ſi iuxta veritatem ipſam loqui voluerimus, ille impiorum reprimebat conatus, qui etiam Apoſtolorum crines in numerato habet. Neque enim volebat Apoſtolos ſuos ab initio prædicationis ſuæ morti tradi, ſed voluit vt prius multis in locis iacto verbi Dei ſemine, poſteà tandem ſanguinis effuſione Euangelium Chriſti obſignarent. *Dimiſſi autem venerunt ad ſuos, & annunciauerunt eis quanta ad eos principes ſacerdotum & Seniores dixiſſent.* Nunquàm tam ſeuerè ac crudeliter patitur Dominus ſuos affligi, quin ſemper triſtibus læta, infelicibus felicia admiſceat, neque patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus ſuſtinere. Si enim piorum tribulationes nulla interrumperet conſolatio, poſſent impij iudicare ipſam pietatem Deo eſſe exoſam: ſi autem pij ſemper in hoc ſæculo ſuam haberent proſperitatem, viderentur illi propter hanc omnia facere. Sed iuuat ſuper hac re audire diuũ Auguſtinũ lib.1.de ciuita. dei cap.8. Placuit diuinæ prouidentiæ, inquit, præparare in poſterum bona iuſtis quibus non fruentur iniuſti, & mala impiis quibus non excruciabuntur boni. Iſta verò temporalia bona & mala vtriſque voluit eſſe communia, vt nec bona

Et lib.4. cap.33.

cupidiùs

cupidiús appetantur quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerunque afficiũtur. Intereſt autem plurimũ qualis ſit vſus vel earum rerum quæ proſperæ, vel earum quæ dicuntur aduerſæ. Nam bonus bonis temporalibus nec extollitur, nec malis frangitur: malus autem ideo huiuſcemodi malis punitur, quia felicitate corrumpitur. oſtendit tamen Deus ſæpè etiam in his diſtribuendis euidentius operationem ſuam. Nam ſi nunc omne peccatum manifeſta plecteret pœna, nihil vltimo iudicio reſeruari putaretur: ruríum ſi nullum peccatum nunc puniret apertè diuinitas, nulla eſſe prouidentia diuina crederetur. Similiter in rebus ſecundis, ſi nõ eas Deus quibuſdam petentibus euidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus: itemq; ſi eas omnibus petentibus daret, nõ niſi propter talia prçmia ſeruiendum illi eſſe arbitrarentur, nec pios nos faceret talis ſeruitus, ſed potiùs cupidos & auaros. Hactenus Auguſt. doctè, piè, ac prudenter. Hæc autem ideo hoc loci diſſerere voluimus, quia videmus ſanctis Apoſtolis noſtris non omninò deeſſe conſolationem. Magna quippe conſolatio eſt, ſi quis habet fidos & beneuolos amicos in quorũ ſinus liceat tutò deponere, quidquid te vel moleſtat, vel delectat. Vnde Apoſtoli à cõcilio demiſſi ſtatim ad ſuos concedunt, eiſque omnia que contigerant annũciant, hoc quod Apoſtolis ad conſolationem, reliquis autem ad ædificationem proculdubio faciebat. Hoc enim facto docebantur qua fortitudine veritati patrocinãdum ſit, & quàm nihil poſſit humana prudentia contra Dei conſilia. Sed ad contextum. *Qui cum audiſſent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine tu qui feciſti cælum & terrã, mare & omnia que in eis ſunt, qui Spiritu ſancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & Principes conuenerũt in vnum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Vbi diſcipuli Chriſti fuerint, vel quot illorum fuerint, & an omnes vnà congregati fuerint, ex Luca intelligere iam non poſſumus, licèt non dubitemus illos vt plurimum fuiſſe ſemper congregatos. Sed hæc ſiue ſciamus, ſiue ignoremus parũ refert: hoc verò ad eruditionem noſtram facere debet, quod videamus illos Deo gra-

tias agere communibus votis pro liberatione duorum Apoſtolorum petri & Ioannis. Et meritò hoc nomine Deo gratias agunt. niſi enim Deus principum furorem cohibuiſſet, nequaquam impuniti euaſiſſent Apoſtoli illorum ſanguinolentas manus. Qui cum audiſſent, inquit, videlicet quid in templo, quid in carcere, quid itèm in concilio cum Apoſtolis actum fuerat, leuauerunt vocẽ ſuam vnanimiter, & qui cum flentibus fleuerant, cum gaudentibus iam gaudent. Hoc enim membrorum natura & charitas habet, vt malè habente vno aliquo membro reliqua triſtentur, ſicut hoc ipſum alibi declarat Diuus Apoſtolus. Neque enim pij hominis eſt proximi ſalutẽ nihili facere, nedum de illius incolumitate triſtari, vel de illius infelicitate in ſinu gaudere. Tu iã vide quam piè & quã Theologicè omnia loquantur idiotæ illi: Domine qui feciſti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Hæc deſumpta ſunt ex Pſalm. 134. In ſuperioribus ab initio ferè huius libri, dum in locũ proditoris Iudæ alius ſubſtituendus fuerat Apoſtolus, illi autem ignorarent quem dominus iudicaret tãta functione aptum, ſic ordiuntur orationem ſuam: Tu domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, &c. Tum enim opus erat vt declararet Deus ſe eſſe illum qui ſciret quid eſſet in homine, & qui ſolus ſcrutaretur renes & corda: iam verò quoniam Apoſtoli virtute ac fortitudine opus habent aduerſus Principum conſilia, prudentiam, & vim, itèm & ad operandum miracula, potentiam Dei extollunt, huius cõſideratione magis animantur, non dubitantes quin nemo poſſit reſiſtere ei quem conſtat cæli, & terrę, & maris tam conſeruatorem quàm conditorem eſſe. Quod verò dicũt, Qui ſpiritu ſancto per os Dauid Patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti, non ſic intelligenda ſunt, ac ſi fortuitò à bonis Chriſti diſcipulis dicta ſint (ſicut nos & precari & pſallere ſolemus) ſed cũ magna attentione, & attentiſſima examinatione. Dauid enim à ſemetipſo locutus non eſt, neque vt illa loqueretur ab homine edoctus eſt, ſed Spiritus ſanctus per os Dauid locutus eſt: vnde Prophetiæ illius nullo modo fallere poſſunt, & tutiſſimè illis innitimur. Iã quod Patrem ſuum vocãt Dauid, haud dubiè reſpiciunt ad promiſſiones Dauidi & ſemini eius factas: quòd verò Dauidi

vocant puerum vel ſeruum Dei, etiam facit ad maiorem fiduciam,& vt prophetiæ maius pondus habeant. Vocant etiam Dauid ſeruum ſiue puerum Dei, quod ille ſemper Deo curæ fuerit, & ab illo quaſi filij loco habitus, taceo quò Dauid etiam typus Chriſti fuerit. Sed quid tandem dixit Spiritus ſanctus per os Dauid: Quare fremuerunt gentes,& populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ,& Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius? Deſumpta ſunt hæc iuxta ſupputationem noſtram ex pſal. 2. Eſt autem totius Pſalmi tale argumentum. Chriſtum in terris conuerſantem nobiſcum, inſatiabili odio Principes Iudæorum ad mortem vſque non deſtiterunt perſequi, quemadmodum Euangelica omnis patefacit hiſtoria. Quem deindè in cælos aſſumptum, inque patris dextera regnantem, & crudeliùs & numeroſiùs gentium principes,& totius orbis præfecti addiderunt oppugnare: non ita quidam in ſemetipſo, ſed in nomine & membris eius, ita vt Chriſti nomen ac regnum de terra prorſus delere arbitrarentur atque conarentur. Hos ergo vtróſque Propheta in ſpiritu præuidens quod futurum erat, ſæua obiurgatione increpat, temeritatiſque ac vanitatis arguit eorum audaciam deteſtans, & Dei iudicium aduerſus eorum malitiam venturum proponens. Deinde ſub perſona Chriſti, quem introducit de ſeipſo loquentem, de regno eius & principatu ſuper Eccleſiam & omnem populum ſidelem, de æterna ipſius à Patre proceſſione, de accepto à Patre dominio ſuper omnes gẽtes, déque poteſtate iudiciaria, qua iuſti quidem remunerantur, peruerſi autem conteruntur, veritatẽ omnẽ patefacit. Poſt quæ (ſub perſona Chriſti loquentis interpoſita) ipſe ad exhortationẽ ſe cõuertẽs, monet eos ad pœnitentiã ſeſe cõferre,& Chriſtianæ ſe diſciplinæ ſubmittere, vt venturã valeant terribilẽ iram effugere. Sed audiamus cætũ illũ ſanctũ exponentẽ pſalmi illius priorẽ partẽ. *Cõuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctũ tuum puerũ Ieſum quẽ vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cũ gentibus & populus Iſrael facere, quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Satis aperta eſt hæc accommodatio Pſalmi ad principes, ſeniores, ſcribas, ſacerdotes: & ſic omnes hoſtes, qui in vrbe Hieroſolyma conuenerunt, egerunt contra Chriſtum,

Nota ſunt enim hęc ex hiſtoria Dominicę paſſionis, quomodo ſcilicet Herodes Chriſtum illuſerit, Pilatus crucifigendum adiudicauerit, gentes flagellauerint, ac ſpineam coronam capiti eius impoſuerint, populus verò Iſraël hæc omnia procurauerit. Probè autem hîc conſideranda & expendenda ſunt fidelium verba, quum haud dubiè Spiritus ſanctus illa per eos locutus ſit. Vocant enim primò Ieſum ſanctum puerum, immò filium Dei: ſic enim loquitur & interpretatur D. Hilarius in Pſalm. 2. ſcribens. Eſt igitur hîc apertum teſtimonium deitatis Ieſu Chriſti Domini noſtri contra omnes omnium ætatum hæreſes. Secundò dicit Ieſum à Deo vnctum, hoc eſt, illum eſſe verũ regem & ſacerdotem, adeoque Meſſiam ipſum patribus iam olim in veteri lege promiſſum. Huc pertinet quod Chriſtus de ſemetipſo apud Lucam in Iudæorum ſchola dicit: Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxit me, pauperibus euangelizare miſit me, &c. Et in Pſalmo ad Chriſtum dicitur: Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Qualis hæc fuerit vnctio qua Chriſtus Dei filius ac Seruator noſter vnctus ſit, vltra humanum captum eſt, & credi quidem poteſt, pro merito autem exprimi non poteſt. Quòd enim Chriſtus à Deo vnctus dicitur, nihil aliud ſignificat niſi Deum eſſe de deo, & vt Eccleſia canit, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, & cæt. Neque enim putandum eſt Dei filium Seruatorem noſtrum ideo vocari Chriſtum, quod vnguento aliquo externo & artificioſo vnctus fuerit (hoc enim dictu & creditu abſurdum eſſet) ſed ideo quia ab æterno à Deo patre genitus eſt, modo quidem ineffabili, ſed Deo non impoſſibili, ita vt Paulus dicat ipſam diuinitatem in Chriſto corporaliter habitare: In ipſo, inquit, inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, &c. ac ſi diceret: In aliis ſanctis & electis Dei habitat etiam Deus ſed ſpiritualiter, quia mouet & agitat, agitque & gubernat, ſed in Chriſto corporaliter habitat, hoc eſt, ſic eſt in eo vt ſit eadem perſona cum homine Chriſto: ſic eſt in Chriſto diuinitas, vt quidquid nos eius diuinitatis vel iam habemus, vel habituri ſumus, per Chriſtum nobis contingat. Huc referri debet quod in Euangelio Ioannis legi-

Luca 4. *Eſaia 61.* *Pſalm. 44.* *Hebr. 1.* *Coloſſ. 2.* *Ioan. 1.*

mus: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, plenum gratiæ & veritatis. Et ſtatim: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Et in eodem Euangelio loquitur Ioannes de Chriſto, quod huic Deus non ad menſuram dederit Spiritum ſanctum. Dictum eſt autem figura prouerbiali, Dat ad menſuram, pro eo quod eſt, dat parcè & mediocriter. Qui enim largiter & effuſè dat, non metitur quod dat aut numerat, ſed cumulatim profundit. Ioannes Baptiſta ad menſuram accepit ſpiritum, ſicut & reliqui ſancti: vnde nequaquam poteſt Chriſto comparari, tantum abeſt vt æquiparari queat. Vnctus eſt enim Ieſus Spiritu ſancto, ſiue oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, hoc eſt, vltra & ſupra conſortes ſuos, vt parem nunquam ſit habiturus. Sed breuiter hanc rem expediemus. Chriſtus iuxta diuinitatem, ſiue diuinam ſuam naturam ab æterno vnctus & ſanctus fuit, nimirum vnus cum patre & Sancto ſpiritu Deus (Spiritus enim ſanctus patris & filij ſpiritus perpetuò exiſtit): ſecundum verò humanitatem ſuam ſtatim in ipſo conceptus, initio vnctus & ſanctificatus eſt, vt quem intemerata virgo Maria de Spiritu ſancto concepit. Quòd ſi ſimpliciter rem expedire voles, prima illa Eccleſia totam ſalutis noſtræ adminiſtrationem per Chriſtum operatam vocauit vnctionem. Sed iam ſequentia videamus. Conuenerunt, inquiunt, Herodes & Pilatus cum gentibus & populis Iſraël facere, quæ manus tua & conſiliũ tuum decreuerũt fieri. Non dicunt Pilatum & Herodem cum compluribus ſuis feciſſe quæ ipſi decreuerãt, ſed quæ Deus decreuerit. Quantum enim in Pilato & Herode, & Gentibus, & Iudæis ſitum fuerat, volebant & conabantur & Chriſtum & huius nomen de terris tollere, ſed quia manus & conſilium Dei prohibebant, fruſtrati ſunt conatus illorum. Deus enim decreuerat per mortem filij ſui redimere genus humanum, hoc quod neque Herodes neque Pilatus, immò neque totus mundus prohibere potuit, vtcũque omnes neruos ſuos eo intenderit. voluntati enim Dei quis reſiſtet? Quòd igitur per mortem Chriſti nos redempti ſumus, non eſt quòd Pilato vel herodi, vel Iudęis, vel Gẽtibus gratias agamus, qui hoc non habuerunt in votis, ſed Deo qui malitiam illorum in noſtrum bonum vertit. Rurſus hîc admonendi

Ioan. 3.

eſtis, ne homines excuſare volentes, Deũ iniuſtitiæ accuſetis. Scio hos eſſe Satanæ conatus, vt hominibus peccatorũ excuſationẽ perſuadeat, Deũ autẽ iniuſtitiæ arguat. quod enim in paradyſo ſemel fecit, hoc nunquã facere ceſſat. Et omninò pręposterè iã agũt multi homines, q bona ſi quę operãtur ſibimetipſis, mala vero quę operãtur, Deo aſcribũt, quũ omninò diuerſum facere debebãt. Hinc olim Caiani illi hæretici, qui etiã Iudã, tanquam eũ qui cõſilij Dei promotor fuerit, beatificabant, ſed impiè & iniuſtè. Non enim tradidit Iudas Chriſtum ideo, vt nobis crederet in ſalutem, ſed per ignorantiam & æmulationem, & auaritiam, & Dei abnegationem. Nam tametſi ſcriptura dicat, vt Epiphanius ſcribit abſurditates in extremis diebus per nos perficiendas: non tamen omninò aliquis ex nobis qui iniqua facimus, excuſationem inuenerit, ſcripturæ teſtimonium producens vaticinantis hæc futura eſſe. Non enim quia dixit ſcriptura facimus, ſed quia facturi eramus, ſcriptura prædixit propter Dei prænotionem. &c. *Et nunc Domine reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna, & prodigia fieri per nomen ſanctũ filij tui Ieſu.* Senſus eſt, ita tandem futurum, vt liberè & intrepidè loquantur verbum Dei ad populum, ſi ille porrigat manum & adiuuet loquentes addita virtute ſignorũ. Tu, inquiũt, qui iam iam filium excitaſti, & ad dexteram tuam exaltaſti, iſtorum quoque minas infringe, & præſta vt & veritas vincat, & ſerui veritatis tuæ cum dicendi libertate, tum agendi potentia ſpectabiles efficiantur. Sed more noſtro rurſum ab initio excutiamus ſingula. Nunc, inquiunt, ô Dñe, vide minas eorum. Tu dominus noſter es, ad te ergo confugimus: tu dominus es, tuũ negociũ agitur, nos ſerui tui ſumus. & ſicut nõ niſi ea quę iubes facere debemus: ita nihil niſi tu adiuueris implere ac perficere valemus. Aſpice itaq;, ô Dñe, in minas eorũ, magiſtratus ſcilicet, ſacerdotũ, & reliquorũ capitum, qui diris cõminationibus nos ab Euãgelij prædicatione prohibere contendunt. Tantę illorũ ſunt minæ, vt niſi tu nobis dederis fortitudinẽ, nemo noſtrũ poſthac vel de te hiſcere audebit. Nũc itaq; dũ nobis tam crudelia minitantur, & dũ iuſſis tuis ex animo parere accingimur, da nobis ſeruis tuis cũ omni fiducia loqui ver-

Lib. 1. tom. 3. cap. 38. pag. 131.

bum tuum. Vides quid Apoſtoli hoc loci petant? non ambiunt humanas dignitates, non carnales poteſtates aut magiſtratus, non gloriam popularem: ſed quid? vt valeant loqui verbum Dei, non vana Iudæorum vel Gentilium ſomnia, & illud valeant loqui citra trepidationem cum magna fiducia ac liberrimè. Vtrunque donum Dei eſt, & loqui verbum Dei, hoc eſt, nullos errores, nullas hæreſes, nulláque hominum figmenta, & illud cum magna fiducia loqui poſſe. Vnde & Paulus ad Epheſios ſcribens inter alia dicit: Et ad hoc ipſum vigilantes in omni inſtantia & obſecratione pro omnibus ſanctis & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere myſterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipſo audeam proût oportet me loqui. Deindè rogant vt Deus velit extendere manum ſuam, hoſt eſt, exerere poteſtatem ſuam ad facienda ſigna & prodigia, & hoc per nomen filij ſui Ieſu. Vtriſque enim offendebantur Iudæorum proceres, & prædicatione Euangelij, & patratione miraculorum. Atqui Apoſtoli mira virtute opus habebant ad probandum vocationem ſuam ex Deo eſſe. Iudæi enim ſigna quærunt: qua de re etiam in ſuperioribus diximus. Adde quòd miracula quæ fiebant ab Apoſtolis in nomine Ieſu, multam auctoritatem, magnámque fidem conciliabant prædicationi Apoſtolorum. Non enim difficile eſt creditu eum eſſe filium Dei, in cuius nominis appellatione tanta vis, vt etiam mortuos per illud reuocare poſſis. Tu vel hoc vnicum hîc diſce, vt magni facias verbi miniſterium, pro cuius profectu tanto, ſeriò Chriſti fideles rogârunt. Sed his abſolutis quid exorarint Apoſtolici viri quærendum eſt. *Epheſ. 6.*

Et quum oraſſent, motus eſt locus in quo erant congregati. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Solet aliquando Deus voluntatem ſuam externis quibuſdam ſignis patefacere, vt fideles confirmentur, & infideles ad fidem conuertantur. Quid enim hîc tremor loci aliud ſignificat niſi voluntatem Dei? Quam voluntatem Dei? quòd exaudierit illos orantes, velitque eis dare cum fiducia loqui verbum Dei. Declarat item tantam eſſe ſuam potentiam, vt non ſolùm homines, ſed & vniuerſam terram concutere, immò & funditùs ſi velit,

2. *Paral.7.* perdere poſſit. Sic quondam Salomone in templi dedicatione orante, etiam ſigno externo declarauit Deus ſe exaudiſſe orationem Salomonis. deſcendit enim ignis de cęlo, & deuorauit holocauſta & victimas, & maieſtas domini impleuit domum. Sic Daniele pro populo ſuo deprecante, venit angelus Gabriel, & ſua reuelatione teſtatus eſt precationem Danielis exauditam eſſe. Hoc loco autem docemur piorum preces perpetuò à Deo exaudiri, ſic vt ſi etiam non dat quod volumus, det tamen quod malumus. Sic enim loquitur Auguſt. Exauditæ itaque ſunt preces fidelium ſic, vt repleti ſint Spiritu ſancto, & locuti ſint verbum Dei cum magna fiducia. Sed dicat hîc aliquis: Quid hoc? nónne in die Pentecoſtes acceperunt Spiritum ſanctum? Quid igitur ait Lucas, ipſos nunc eſſe ſpiritu repletos? num interim poſt diem Pẽtecoſtes Spiritu ſancto caruerunt? nequaquam: Sed tunc dicuntur ſancti Spiritu ſancto repleri, quando ſe maximè in hominibus vis Spiritus ſancti exerit, ſic vt hoc ipſum non ſolùm qui eo aguntur, ſed etiam alij intelligant, certóque iudicare poſſint quidquid agitur, diuinitùs non humanitùs fieri. Adde quòd Spiritus ſanctus aliquãdo videtur ſe ſubtrahere, facítq; vt homines ſibi videantur quaſi omni auxilio deſtituti: ſic tandem fit vt dum magno deſiderio à piis poſtulatur, rurſus gratiæ ſuæ ſplendorem immittat. Sic hoc in loco, & hoc tempore non eſt dubium, quin fideles illi Hieroſolymis captis duobus primoribus Apoſtolis in magna anxietate fuerint, apud ſemetipſos perpendentes quàm difficile ſit Euangelium prædicari & prorogari, reluctantibus omnibus viris principibus. Sed adeſt ſpiritus conſolator, & reddit ipſis animos, addítque fiduciam, vt contempta hominum potentia, de ſolo Dei patrimonio ſint ſecuri. Hæc autem nos non ſic audiemus, quaſi ad nos nihil pertineãt, ſed potiùs hæc omnia vertamus in vſum noſtrum. Quum enim videmus nobis non omnia ex voto ſuccedere, ſciamus Dei hanc eſſe conſuetudinem, vt aliquãdo ſinat ſuos intelligere, quid quãtúmue poſſint ab illo deſtituti. Deindè agnoſcentes noſtram infirmitatem rectà ad Deum cõfugiamus, ab illo poſtulantes cum magna fiducia, quatenus nobis impartire velit Spiritum illum Paracletum, qui nos conſolari pergat in omni tribulatione noſtra.

Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poßidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. His nihil aliud ſignificat Lucas, niſi fraternam & verè Chriſtianam charitatem apud illos neophytos obtinuiſſe, vt inter eos nullius inuidiæ veſtigium appareret. Diuus meus Auguſtinus hunc locũ pulcherrimè enarrat Sermone de verbis Apoſtoli 25. ſic inquiens: Legimus in libro qui Apoſtolorum actibus aſſcribitur, tantam ſub memoratis viris deuotionem plebis fuiſſe, ita populi Chriſtiani floruiſſe primitias, vt poſt acceptã fidem nemo domum propriam ſibi defenderet, & nemo ſuum aliquid vendicaret: ſed iure fraternitatis eſſent illis cuncta communia, ſcilicet vt qui eodem conſortio religionis tenebantur, eodẽ conſortio fruerentur & vitæ, hoc eſt, vt quibus erat vna fides, eſſet vna ſubſtantia, quibus erat communis Chriſtus, communis eſſet & ſumptus. Nefas enim putabant religioſi viri eum ſibi participẽ non aſſcire in ſubſtãtia, qui particeps erat in gratia: atq; ideo charitate fraternitatis omnibus communiter vtebantur, &c. Sed examinemus verba Lucę. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, hoc eſt, in omnibus concordabant, in nullo diſſentiebant, erat eis vna fides, vna ſpes, eadémq; charitas. Ecce quam bonum, ait Pſaltes, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Et ad hanc vnitatem exhortatur nos alibi Paulus, dicens: De cætero fratres gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idipſum ſapite, pacẽ habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. Sed vnde nobis hęc & tanta felicitas? audi rurſum Pſalmographum: Deus in loco ſãcto ſuo, inquit, Deus inhabitare facit vnius moris in domo, hoc eſt, Deus in loco ſancto & tranquillo habitat, nec quiſquam illum vel moleſtare vel deturbare poteſt, & idem ipſe per gratiam ſuam donat, & facit vt qui aliâs inter ſe per omnia diſcordarẽt, in bona pace viuant. In hunc ſenſum multi ſunt Scripturarum loci, qui teſtantur Deum eſſe pacis & tranquillitatis auctorem & largitorem. Vnde D Paulus ad Romanos ſcribẽs, hiſce verbis imprecatur illis pacem & concordiam: Deus autem patiẽtiæ & ſolatij, inquit, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Pſalm.132. *1. Cor.13.* *Pſal.67.* *Rom.15.*

Vtinam ô mihi chariſſimi, hæc ex animo perpenderemus, quid ſcilicet ſit: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna in Domino. Quid enim eſt quòd omnes Chriſtiani vocamur, omnes eandem ſalutem ſperamus: eadem oratione vtimur, de eiſdem Sacramentis participamus, & tamen nulla eſt inter nos concordia nec corporalium, nec ſpiritualium rerum? Singuli ſuas habẽt ſingulas fides, alter ab altero in præcipuis fidei articulis diſſentit, odiis & inuidiis oppleta ſunt omnia: vt iam non poſſimus dicere multorum credentium vnum eſſe cor & animã, ſed paucorum credentium, ſi modò tales credentium appellatione digni ſunt, eſſe diuerſa corda, diuerſos animos, & multiplicatam aut potiùs nullam fidem. Sed quid efficiã querulando? iam ſæpius admoniti eſtis & à magiſtratu veſtro & à me ſępiſſimè, vt ſi non ſemper, vel ſtatuta hora ad ſonitum cãpanę illius componeretis vos ad precationem pro pace Eccleſiæ impetranda: verùm eò vſq; quorundam progreſſa eſt malitia, vt ipſi non ſolùm non precentur, ſed etiam alios precantes impio cõtemptu irrideant. det Dominus vt in tempore reſipiſcamus. Addit Lucas noſter. Nec quiſq; eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, hoc eſt, ſicut ipſi agnoſcebant quòd ſibiipſis Deus ſeſe totum dediſſet: ita & illi quidquid erant & habebant, fratrum commodis conſecrabant. Sic impartiebant ſuas res confratribus, ac ſi horum & non illorum eſſent. mundus hic tales Euangelicos non habet. Sunt enim qui etiam aliena vi occupant, tantum abeſt vt ſua aliis impartire animos inducant: immò vulgatiſſimũ eſt inter eos qui iam Chriſtiano nomine maximè cenſeri volunt, vt ſua temporalia bona arcis includẽtes per fas atq; nefas alienis

1.Ioan.3. inhient opibus. Sed quid ait Ioannes? Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrẽ ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Verùm hac de re in ſequẽtibus plura. Sequitur. *Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, & gratia magna erat in omnib. illis: neq; enim quiſquam egẽs erat inter illos.* Aperta ſunt hæc, niſi fortè aliquem moueat, quare dicantur teſtimonium dare tantum reſurrectioni Chriſti. Sed hac de re etiam in ſuperioribus nos dixiſſe meminimus. Totum ne-

gocium Chriſti hoc in loco reſurrectionis Domini nomine ſignificatur: nec aliquid magis occultare ſtudebant primores illi Iudæorum, atq; quòd Chriſtus à mortuis reſurrexiſſet. Hoc enim conceſſo quidquid reliquum de Chriſto magnificè prædicatur, facillimè etiam creditur. Quid enim impoſſibile illi, qui ſuaptè virtute à mortuis reſurgere potuit? nec aliud de Chriſto dici tùm potuit, quod difficiliùs & Apoſtolis & reliquo populo perſuaderi potuit, atque quod verè corpore & animo à mortuis reſurrexiſſet. Lucas itaq; hoc loco dicit, quòd D. Apoſtoli teſtimonium perhibuerint reſurrectioni Chriſti, & hoc virtute magna: quod non ſolùm de miraculorum operatione, ſed etiam animi alacritate & fortitudine dictum eſſe intelligimus. In precatione ſua in hæc verba precati fuerant: Da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbũ tuum. dedit ergo Dominus, & diſcipuli acceperũt quod orabant: erat enim magna gratia in omnibus illis. Nõ ſolùm Apoſtoli, ſed & reliqui Chriſtiani Euangelium Chriſti magno ſpiritu profitebantur, & admirandis ſignis illi fidem cõciliabant. Quid ſi hîc gratiæ nomine miſericordiam, beneficentiam & humanitatem intelligamus? vt ſit ſenſus magnam humanitatem in illis omnibus fuiſſe, ita vt alter alterius onera, iuxta Pauli doctrinam, libenter portauerit, alter ex animo alteri benefecerit: & ſic pulchrè ſequitur. neq; enim quiſquã egẽs erat inter illos. Sic enim diuites ſuas diuitias communicabant, vt etiam illi qui alioqui tenuioris fortunę erant, tamen nulla re indigebant: & credibile eſt hoc. Vbi enim ditiores facilè tribuunt de ſuis, & egeni etiam paucis ſunt contenti, ibi nulla poteſt egeſtas aut inopia eſſe: at vbi pauperes nulla re ſatiari volunt, & ditiores more ſuo tenaciores æquo eſſe volũt, ibi neceſſe eſt vt nunquam non in magna inopia viuamus. Sed ad contextum.

Quotquot enim poſſeſſores domorum ac agrorum erant, vendentes afferebant precia eorũ quæ vendebant, & ponebãt ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis prout cuiq; opus erat.

Hac de re etiam in ſuperioribus diſputatum eſt. Tu itaq; rurſum negocium hoc diligenter expendas velim. Quòd enim aliqui hîc vendunt domos & poſſeſſiones ſuas, non ex aliquo præcepto faciunt, nemo enim hoc illis iuſſerat: ſed ſola dilectione fraterna moti illud ipſum faciebant,

Vendebant, inquit, domos, vendebant & agros, & acceptam pro illis pecuniam ponebant ante pedes Apoſtolorum, hoc eſt, in poteſtatem Apoſtolorum dabant, vt iſti pecuniarum illarum diuiſores eſſent. Et diuidebant quidem illi, Apoſtoli videlicet, acceptam pecuniam in vſus fidelium, prout cuique opus erat. Quid igitur hinc diſcimus? ánne quòd nemo Chriſtianus ſit vel dici poſſit, niſi qui omnem ſubſtantiam ſuam in vſus pauperum diſtribuerit, & emendicato pane vixerit? nequaquam hoc conuinces ex aliquo ſacræ ſcripturæ loco: ſed hoc videmus quanta fuerit charitas inter Chriſtianos primitiuæ Eccleſiæ, & diſcimus vt horum exemplo fratribus indigentibus libēter de noſtris facultatibus impartiamus. Et ſi gloria Dei, vel Eccleſiæ profectus poſtulauerit, docemur etiam omnia quæ poſſidemus fratribus, immò & impiorum malitiæ relinquere. Cæterùm quòd Anabaptiſtæ hodie dicunt non eſſe hominem Chriſtianum eum qui propriam habeat ſubſtantiam, nouum non eſt: nam tales maligni ſerpentis ſibilos iam olim & audiuit & refutauit Eccleſia ſancta atque Catholica. Illius ſiquidem malitioſæ opinionis ante multos annorum cētenarios fuerunt Manichæi, ad quos ſic ſcribit diuus meus Auguſtinus: Quid calumniamini quòd fideles ac iam baptiſmate renouati procreare filios & agros ac domos, pecuniámque vllam poſſidere non debeant? deinde ex Paulo docet fidelibus illa omnia conceſſa fuiſſe ab Apoſtolo. Quin & diuus Auguſtinus de hæreſibus ad Quod vult Deum, recenſet inter alios hæreſes Apoſtolicos, quibus aſſcribit quòd omnes temporalium rerum poſſeſſores vita æterna excludunt. Meminit horum etiam alibi Epiphanius Conſtantiæ Cypri epiſcopus, Tom. 1. lib. 2. cap. 61. Sed quoniam ſuper hac re in ſuperioribus multa diximus, & in ſequentibus rurſum nobis eius rei mentio facienda eſt, his quæ diximus contenti, ad ſequentia contextus progrediamur. *Ioſeph autē qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, quod eſt interpretatum filius conſolationis, Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit precium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.* Quoniam Lucas dixerat Chriſtianos vendidiſſe ſubſtantias ſuas, ne quis confictum arbitretur, hominem magni nominis producit,

De moribus Eccleſiæ Catholicæ contra Manich. lib. 1. ca. 35. cap. 40.

quem etiam multis nominibus nobis commendat. Neque enim vile quid æſtimes quod Apoſtoli illi immutarunt nomen, & tam honeſto nomine illum decorarunt vt vocaretur Barnabas, quod Lucas ipſe interpretatur idem eſſe quod filius conſolationis. Ex vtroque certè teſtamento apparet, quod etiam Deus ipſe amicis ſuis immutarit nomina, vt Abrahæ, Iacob: in nouo verò Simonem vocat Petrum, filios verò Zebedæi Boanerges, hoc eſt, filios tonitrui, quæ omnia quam vim habeant,& quid portendant, non eſt huius vel loci vel operis ad viuum diſcutere. Sic & Apoſtoli, quod hîc Lucas teſtatur, immutauerunt Ioſepho ſuum nomen, vt poſteà vocaretur Barnabas, hoc eſt, filius conſolationis. Sed vnde illi hoc & tam auguſtum nomen? ex Luca non liquet: vnde nobis vetitum non eſt, varias & multas eius rei diſquirere ſiue occaſiones ſiue cauſſas. Nam ſi fortè Ioſeph à Deo multum conſolationis accepit, non immeritò id nominis habet. Nam & alibi virum dolorum legimus, qui multa paſſus eſt, & filium perditionis, qui perditioni deſtinatus eſt: ſic filij iræ, qui Dei iram meruiſſent, ſic filij tenebrarum, ſic filij lucis alibi appellantur. Secundò quoniam fortè peculiarem gratiam habuit alios conſolationibus efficacibus conſolari, id nominis accepit. Tertiò, quòd mihi propiùs ad hoc inſtitutum pertinere videtur, hinc illud nomen Barnabæ inditum, quod etiam venditione propriæ ſubſtantiæ inopiam aliorum ſubleuare non dubitauerit. Sed hac de re plus ſatis. Poſſem hîc inuchi, & quidem meritò in eos, qui vel ex odio vel per contemptum ſolent aliis vana imponere nomina, quæ aliquando peſſimarum rerum varias & multas occaſiones dare ſolent. Arguendi etiam ſunt ij qui ſua propria nomina occultantes, noua ſibimetipſis confingunt, quorum occaſione haud dubiè multis imponunt. Nec eorum hîc obliuiſci poſſumus, qui baptizandis paruulis malunt veterum Iudæorum, quàm Chriſti martyrum nomina imponere: tantum nimirum conceperunt odium aduerſus Eccleſiam Chriſti. Sed hæc hactenus. Cæterùm quod Lucas noſter Barnabam vocat Leuitam, non obiter tantum conſiderandum eſt, ſed hinc coniiciendum, quod non tãtum ex plebeiorum, ſed etiam ex Sacerdotũ ordine mul-

ti ad Chriſtianiſmum aſpirarunt. Hic itaque Barnabas cùm haberet proprium agrum, & hoc pro voluntate ſua vti poſſet, vendidit illum, & attulit precium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum, nimirum propter hoc, vt ipſi ex precio diſtribuerent egenis quantum cuique opus eſſet. Ex hoc diſcimus vt bona noſtra temporalia, quæ nobis Deus liberaliſſimè conceſſit, libenter cum fratribus noſtris communicemus, & ſi quando pauperum cura nobis commiſſa eſt, illos ex animo & fideliter curemus. Sic

Ioan.3. enim loquitur diuus Ioannes: Si quis habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum egere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo eſt charitas Dei in illo?

Lucas 16. Et Chriſtus ait: Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt, & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt. Si ergo in iniquo Mammona fideles non fuiſtis, quod verum eſt, quis credet vobis? etſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis? Verum quoniam hac de re ſępiſſimè nobis dicendum eſt, hîc pręſenti capiti ſit impoſita finis.

CAPVT V.

VIr autem quidam nomine Ananias cum Saphira vxore ſua vendidit agrum, & fraudauit de precio agri conſcia vxore ſua, & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit. Veræ ac ſanctæ pietati nunquam non ſeſe immiſcere conatur nefaria hypocriſis, & Satanæ miniſtri perpetuò volunt Simij eſſe miniſtrorum Dei. Ab initio hoc incepit, & in finem vſque mundi ſic perdurabit. Abel veræ pietatis, Cain verò impię hypocriſis ſimulachrum gerit. Vterque offert, ſed alter tantum Deo placet. Placet Abel Deo, Cain diſplicet. Ille potiora offert, hic nihil tale, ſed forſan deteriora. Sed audiamus hiſtoriam, pulchram quidem, ſed horrore pleniſſimam, hoc quod quæ ſtatim ſeqũentur, declarabunt. Ananias quidam erat (haud dubiè Hieroſolymis) & coniugem habebat nomine Saphiram, hic vendidit agrum. Quare hoc? quia viderat idipſum multos alios Chriſtianos facere. Et fraudauit de precio agri, hoc eſt, partem ſibi pe-

cuniarum ſepoſuit. Quare hoc facit? quæris quare hoc? *Quare Ananias ſic facere voluerit.*
non quia tale quid ab aliis Chriſtianis fieri cognouerat, ſed quia Satanas tale conſilium dederat, hoc quod ex ſequentibus manifeſtum fiet. Duo autem ſunt peſſima vitia quæ hic Ananiæ cor obſederunt: ambitio nimirum,& infidelitas ſiue auaritia. Nam cùm animaduertiſſet inter Chriſtianos laudabile, glorioſum, & celebre haberi ſua bona in commune conferre, & videbat Barnabam, cuius proximè meminimus, hac potiſſimum ratione tam præclarum cognomen aſſecutum eſſe,atque ab omnibus piis ob beneficentiam ſuam mirum in modum commendari, affectabat & ipſe cum vxore ſua honores & laudes, & cupiebant vtrique non minores aut illiberaliores haberi. Itaque facultates ſuas vendunt, & allatam partem aliquam precij Apoſtolis diſtribuendam exhibent, vt & ipſi cognomen aliquod beneficentiæ ſuæ monumentum ab Apoſtolis, & glorioſam nominis ſui famam inter alios Chriſtianos ſortirentur. Quare verò partem ſeponunt? *Ambitio.*
quia non credebant Chriſti negocium quod tūc ab Apoſtolis tractabatur, diù inter tot minas Pontificum, & perſecutiones principum perdurare poſſe: nec credebant, etiamſi Chriſtianiſmus procederet, bene dictionem domini tam efficacem eſſe,vt paucis opibus innumeram populi multitudinem nutrire queat. Proindè communicato inter ſe conſilio ipſe Ananias cum vxore ſua Saphira, ſeponunt clam aliquid de precio facultatum ſuarum, vt ſi vel ſecta deficeret, vel collatæ in commune opes abſumerentur, haberent ipſi vnde viuerent, quantumcunque tādem alij egerent vel eſurirent. Habes ergo iam conſilium Ananiæ & Saphiræ, quòd illis non Spiritus ſanctus, ſed ſpiritus malignus indiderat: non ſic faciebant reliqui Chriſtiani, ſed longè alia ratione incedebant. Venditis enim agris vel domibus, conferebant precia diuenditarum ſuarum poſſeſſionum in commune,non ſui compendij aut gloriæ humanæ gratia, ſed ex mera & ſimplici fide in Chriſtum atque charitate in proximum: ſiquidem credebant Chriſtum eſſe verum illum Meſſiam, qui ſibi ſtudentes & adhęrentes Chriſtianos nunquam deſtitueret. Primum quęrite regnum Dei, ait Chriſtus, & iuſtitiam eius, & hæc omnia, quę ſcilicet ad corporis ſuſten- *Auaritia.*

tationem pertinent, adiicientur vobis. Sed non extra choream hic à quibuſdam talis mouetur quæſtio: ergóne nihil opum aut precij reponere licet? Cur igitur Ioſeph in Ægypto repoſuit frumenta? cur Chriſtus marſupium Iudæ commiſit, vt in illo reponerentur quę Apoſtolis donabantur? Reſpondet ille, & piè & doctè, repoſitionem rerum ſuapte natura nec eſſe malam nec bonam, ſed iudicari ex animo reponentis. Si enim animus fuerit pius ac fidelis, repoſitio erit pia. ſic repoſuit Ioſeph frumenta, ſic Chriſtus nummos: ſi verò animus infidelis & auarus fuerit, repoſitio erit impia. Exemplum habes Exodi 16. Nam aliis quidem diebus, ſi quid de Manna vſque in alterum diem reponebatur, computreſcebat, & vermibus ſcatebat: ſi quid autem ſexta die ſeu in paraſceue reponebatur, integrum manebat. Quid hæc ſibi vult variatio? nimirum ſignificatum eſt eam repoſitionem, quæ fit ex infidelitate & auaritia contra verbum Dei, fruſtraneam eſſe & impiam: eam autem quæ fit ex fideli induſtria, eſſe profuturam. Breuiter qui ſic reponit vt magis confidat in diuitiis quàm in Deo, & qui ſic reponit, vt proximi commodum inuertat, vterque impius apud Deum iudicatur. Et fit plerunque, vt qui toti ſtudent accumulandis opibus, nullam ex ſua impia prouidentia capiant vtilitatem. Huc pertinent multa ſcripturæ loca: nos pauca adducemus: Alij diuidunt propria & ditiores fiunt, alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Et ibidem: Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem ſuper caput vendétium. Haberem hîc commodam occaſionem inuehendi in crudeles illos vſurarios, quorum malitia & inſatiabilis auaritia in cauſſa eſt, quò minus Dei donis commodè vti poſſimus: ſed nolumus extra choream, vt aiunt, ſaltare. Audiuimus conſilium Ananiæ & Saphiræ: iam quam feliciter eis ceſſerit audiamus. *Dixit autem Petrus ad Ananiam: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te ſpiritui ſancto, & fraudare de precio agri? nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Audis quàm ſerioſè Petrus Ananiam increpet, quàm ſeuerè arguat? interrogatiunculæ enim eiuſmodi magnam vehementiam teſtantur. Sed diſcu-

An liceat victualia reponere in futurum.

Gene, 41.

Ioan. 12.

Prouer. 11.

diſcutiamus ſingulas partes. Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto,& fraudare de precio agri? Audis Spiritum veritatis, audis & ſpiritum mendacij. de vtroque teſtatur Euangelium, quia Satanas mendax eſt,& pater mendacij: Spiritus verò ſanctus, ſpiritus veritatis eſt, ergo Satanas tentauit cor, ſiue vt alij legunt, impleuit cor Ananiæ, hoc eſt, inſpirauit, ſuaſit, non coëgit Ananiam Satanas. Suadere enim poteſt, compellere vel vi adigere vt malis conſentiamus non poteſt. Quid verò perſuaſit Satanas Ananiæ? vt mentiretur Spiritui ſancto, hoc eſt, vt decipere conaretur Spiritum ſanctum. Spiritum ſanctum? vtique non alium. Nam Spiritus ſanctus perpetuus Eccleſiæ cuſtos & dux eſt, à quo illa & regitur & defenditur: vnde quiſquis Eccleſiæ iniuriam facit vel calumniam, non in homines mortales, ſed in Deum immortalem peccat. Sed quódnam eſt mendacium illud? Et fraudare, inquit, de precio agri? hoc eſt, tibi partem aliquã reſeruare, nec tamen eius velle accuſari? Fraus enim & mendacium eſt dum aliter loqueris, & aliter facis vel cogitas. Et tantæ abominationis res eſt omne vitium, vt etiam qui illud perpetrant, tamen eius nolint inſimulari. Si Ananias certò perſuaſum habuiſſet in corde ſuo ſe non peccare, etiamſi reſeruaret ſibi partem aliquam accepti precij, nequaquam occultaſſet: ſed Satanas qui perſuaſerat Ananiæ, vt hanc fraudem faceret, etiam perſuaſit, vt nefas illud conaretur occultare. Et talis certè mos & genius eſt Satanæ, vt dum hominem ad peccati alicuius perpetrationem inducere conatur, non aperiat peccati malum, ſed hoc ipſum omnibus modis cęlare ſtudet: inducto verò & victo homine ſtatim peccatum exaggerat,& quãtum damni in ſe habeat oſtendit, vt homo incipiat vel peccatum negarę, vel propter admiſſum deſperare. Vnde diligenter hoc in loco (ſicut etiam vbique) verba D. Petri expendenda ſunt. Satanæ opus eſt tentare & in peccatum inducere homines: eiuſdem opus eſt hominem eò inducere, vt peccatum non agnoſcat. Si enim agnoſceret, & de illo pœniteret homo, iam facilè poſſet ad indulgentiãm peruenire. Exempla vbique in Scripturis obuiam tibi veniunt eius rei de qua loquimur, vt non ſit neceſſe nos circa hũc locum verboſiores eſſe. Adam, Eua, Iudas tibi n

Satanas ſuadet, nõ cogit.

Quomodo mentitus ſit Spiritui ſancto Ananias.

Nota.

ſunt:vnde rectè in oratione Dominica orare iubemur, dicentes. *Et ne nos inducas in tentationem.* Significat autem hîc tentari ſiue in tentationem induci, non ſolùm non tẽtari (nam nemo ſine tentatione viuit in hoc mundo) ſed tentationibus penitùs immergi, aſſentiri, ac à tentatione ſuperari. Et quoniam in mentionem tentationis hîc incidimus, non grauabor paucis explicare quæ ſit differentia inter tentationem qua nos tentat Deus, & inter eam qua nos tentat Satanas. Dicit enim Iacobus: Nemo cum tentatur dicat ſe à Deo tentari. Deus enim intentator malorum eſt; hoc eſt, Deus non eſt mali ſuggeſtor, ſed omnis boni auctor. Dicitur quidem Deus tentare, ſed longè alia ratione intelligendum eſt, quàm quum Satanas nos tentare dicitur. Deus tentat vt probet ſeu exploret fidem noſtram, non quaſi neſcius mentium humanarum, ſed vt nobiſipſis oſtendat, ac mundo manifeſtos faciat. Sunt enim plurimi, qui ſibi probè in Chriſtianiſmo profeciſſe videntur, ſibi perſuadentes quaſi toto corde Deo fidant ac adhæreant, idque priuſquam ſui periculum fecerint: at cum aduerſitatis procellæ inciderint, tum demum reipſa comperiunt quàm longè abſint à perfectione iuſticiæ. Qui ob id tentantur vt ſibi cogniti fiant, vtque erudiantur, inſtruantur atque probentur: qui verò reuerà iam pij ſunt, hi vt manifeſtentur glorificentúrque à Domino tentari perhibentur, ſicut ſcriptum eſt: Vaſa figuli probat fornax, homines autem iuſtos tentatio tribulationis. Diabolus verò tentat non vt inſtruat, ſed vt ſubruat, non vt erudiat, ſed vt euertat, vt mactet, & perdat. In hunc modum tentauit Ananiam, hoc quod hiſtoriæ conſequentia declarabit. Iam obſeruandum quod Petrus hîc fraudis accuſat Ananiam, quum tamen quis putare poſſet hunc non potuiſſe committere fraudem in propriis bonis. Atqui precium illud iam non erat proprium Ananiæ, ſed pertinebat ad Eccleſiam, cui illud iam vouerat. Ante votum erat Ananiæ: poſt votum verò non eſt Ananiæ, ſed illorum quibus liberè conſecrauerat. Vnde Petrus ad illum dicit: Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? hoc eſt, verè ac prorſus tibi nemine reclamante manebat, nemo cogebat vendere, & ſi vendideras, nemo te cogebat precium adferre. nam ſeruare totum licebat. Ex

Tentat nos Deus & tentat nos Satanas.

Iacob.1.

Eccl.17.

Obſer.

his verbis apparet communionem rerum primitiuæ Ec- *Communio*
cleſiæ neque coactam fuiſſe, vt ille qui non omnia ven- *rerũ libera.*
didiſſet & pauperibus dediſſet Chriſtianus non eſſet, ne-
que talem qualem hodie ſomniant Anabaptiſtæ. Libera
enim fuerat illa communio & ſpontanea, vt qui abun-
daret, ex copia liberè & ſpontaneè impartiret egenti
proximo quæ vellet: qui vero ipſe egeret ſuis bonis, non
daret ex moleſtia neque ex neceſſitate. Valeant igitur
Apoſtolici, Manichæi & horum ſoboles Anabaptiſtæ,
qui habentes res proprias cælo excludere conantur, nec
pro Eccleſiæ membris eos habent. Habet Eccleſia qui re-
nunciauerunt mundo, ait D. Epiphanius, & non inflatur
contra eos qui adhuc in mundo ſunt &c. Addit Petrus.
Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? tantum abeſt, vult
dicere, vt hæc facere debebas, vt ne cogitare quidem de-
bebas. Interrogabat enim Petrus cum admiratione, qua
admiratur audaciam Ananiæ, qui auſus fuit tantum pecca-
tum in corde concipere. Habent verò omnia verba Petri
ſuam peculiarem emphaſim. Quare poſuiſti in corde tuo?
etiamſi Satanas ad hoc ſollicitaret, debebas tentatorem
repellere, ſuadenti repugnare, non in cor tuum admittere,
non tam malis ſuggeſtionibus obtemperare. Habet etiam
ſuam vim quod Petrus non exprimit ſtatim peccatum
Ananiæ, vt quod peius ſit quàm quod nominari inter
Chriſtianos debeat. Quare poſuiſti, inquit, hanc rem ſci-
licet nefandiſſimam in corde tuo? Et addit. Non es men-
titus hominibus, ſed Deo. Quid hoc eſt dicere? Ananias
non defraudauit homines, ſed Deum; quia quidquid in
pios collocatur, hoc Deus in ſe collatum eſſe exiſtimat.
Qui vos recipit, inquit alibi ad Apoſtolos, me recipit, &
qui vos ſpernit, me ſpernit. Et quiſquis Dei miniſtris in-
iuriam facit, non iſtis, ſed Deo cuius miniſtri ſunt, iniu-
riam feciſſe putandus eſt. Vnde illud Moſis ad Iſraëlitas: *Exodi.16.*
Non eſt contra nos murmur veſtrum, ſed contra domi-
num. Sed hæc ſuffecerint hoc in loco: nam quæ huc vi-
dentur pertinere, in ſequẽtibus nõ immeritò adiiciemus.

Audiens autem hæc verba Ananias, cecidit & exſpirauit. *Quomodo*
Antequam hæc quæ prælecta ſunt verba expendamus, *Petrus cogno-*
mouere libet paruam quæſtionem hîc, quis ſcilicet Petro *uerit fraudẽ*
indicauerit, quanto precio Ananias agrum vendidiſſet. *Ananiæ?*

Non eſt vt putemus Petrum hoc accepiſſe ab emptoribus, vel ab eis qui emptioni interfuerunt (nam his non fuerat opus): credibile verò eſt quod illud per occultam ſancti Spiritus inſpirationem cognouerit, qui cognoſcendi modus & Prophetis & Apoſtolis non fuit inſolitus. Quis Heliſæo indicauerat auaritiam Giezi? certè hic ſperabat ſe omnia agere neſciente domino ſuo propheta.

4. *Reg.* 5. Sed quid Heliſæus? Vnde, inquit, venis Giezi? Qui reſpondit: Non iuit ſeruus tuus quoquam. At ille ait: Nônne cor meum in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo (Naaman) de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum & veſtes, vt emas oliueta & vineas, & oues & boues & ſeruos & ancillas: ſed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt quaſi nix ab eo leproſus. Tria hîc audimus quæ ad hiſtoriam noſtram non incommodè quadrant. Ananias auarus, & Giezi auarus. Vterque peccatum ſuum non confiteri, ſed occultare conatur: ſed Ananiæ fraus non latet Petrum, nec Giezi auaritia Heliſæum. Giezi impunè non peccauit, quia lepra perfuſus eſt, nec Ananias impunè defraudauit Eccleſiam. Nam audiens increpationem Diui Petri, cecidit in terram & exſpirauit. Pauca ſunt hæc verba, ſed horrore pleniſſima.

Nota. Quid fecit Ananias vt morte repentina & ſubitanea plecteretur? infideliter egit cum pecunia, quæ ad ſuſtentationem Apoſtolorum & reliquorum pauperum pertinebat. O mihi Chariſſimi, qui habet aures audiendi audiat: qui non omni humano ſenſu deſtitutus eſt, timore meritò concutiatur. Si leue peccatum arbitraris abuti bonis Eccleſiaſticis, vel inſequens pœna te rectè iudicare doceat. Sed qui ſunt qui abutuntur rebus Eccleſiaſticis & patrimonio Chriſti, aut quæ vocantur bona Eccleſia-

4. *Reg.* 18. ſtica? ego rem omnem pauciſſimis demonſtrabo. Bona Eccleſiaſtica, ſicut etiam alibi diximus, ea vocantur quæ à fidelibus data vel donata ſunt, vt inde & Eccleſiæ miniſtri, & pauperes alantur & ſuſtententur, ac templorum & aliarum ædium ſtructuræ conſeruentur. Iam his abutuntur non tantùm illi qui vi, aut rapina, aut malo dolo illa in alienos vſus vertunt, ſed etiam qui ex illis bonis viuentes, officio, propter quod beneficio vtuntur, non

funguntur, aut ſaltem non eo modo funguntur quo *1.Cor.9.*
debebant. Qui altario adſiſtunt, ait Apoſtolus, de altario & viuere debent: ita & Dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere. Dignus eſt enim mercenarius mercede ſua. Sunt autem alij qui quidem beneficio Eccleſiaſticorum bonorum fruuntur, ſed non alio Deo niſi ventri ſuo inſeruiunt: horum finis, vt Paulus inquit, interitus erit, & gloria *Philip.3.*
eorum in confuſionem exiet. videat igitur vnuſquiſque *Gala.6.*
quo fruatur, & quo fungatur, Deus non irridetur. Iam de his qui violentia, vel prætextu quodam bona diuinis cultibus conſecrata inuadunt quid dicam? Si metu quodam perterritus quæ mala ſunt non annuncio, & ſtilo cenſorio illorum ſacrilegia non cohibeo, ſcio quæ pœna me maneat: ſi verò illorum ſacrilegia pro merito traduxero, non dubium eſt, quin multi meam diſputationem in peſſimam partem ſint interpretaturi. Quid igitur eligam? dicam cum Dauide: Coarctor ni- *2.Reg.24.*
mis, ſed melius eſt vt incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) quàm in manus hominum. Verùm ne quis me meritò videatur traducere, malim hiſtorias recenſere, eáſque veras & indubitatas, quàm longas in impios ſacrilegos inſtituere inuectiuas. Et vt ab initio Ananiæ ſimilem producam, prodeat ex hoc peſſimo & benè magno numero Caïn ille fratricida, qui & ipſe dum vilia quæque Deo offert, Deum ſuis ſacrificiis defraudare probatur. Si enim Deum omnium bonorum & creatorem & largitorem agnoſcit, & huius fidei confeſſionem cum ſacrificiis ſuis facere inſtituit, quare non ad exemplum Abelis potiſſima quæque Deo offert? Sed de hoc ſacrilego ſatis: iam de Acham illo, *Ioſ.7.*
qui furatus fuerat de anathemate in expugnatione Hiericho, quid factum ſit quis ignorat? Iratus eſt Dominus contra vniuerſum populum, & ex populo interfecti ſunt triginta ſex homines, nec placatus eſt Dominus, donec Achab, qui pallium coccineum, & non nihil au- *2.Para.28.*
ri & argenti abſtulerat, ab vniuerſo populo lapidibus obrueretur. In ſecundo verò libro Paralipomenum capite vigeſimo octauo, legimus, quod quum Rex Aſſyriorum Theglat Phalaſſar oppugnaret Regem Acham, hic

ſpoliarit domum domini, dederítque Regi Aſſyriorum, & tamen nihil ei profuerit. Hiſtoria de Nabuchodonozore & huius filio Balthazaro ex Daniele notior eſt, quàm vt referri debeat. Pater ſpoliauerat templum Hieroſolymorum: filius verò dum ſpolia illa oſtentat, & his inſolentiùs per luxum abutitur, grauiſſimas pœnas luere cogitur. eadem enim nocte Balthaſar Chaldæus interfectus eſt, & Darius Medus ſucceſſit in regnum. Extat & in Machabæorum libris hiſtoria de Heliodoro quodam, qui cum iuſſu Regis ſui templi Hieroſolymitani theſauros ſacrilegis auſibus inuadere & auferre vellet, ſic à Domino flagellatus eſt, vt etiam de vita ſua non ſine cauſſa deſperârit. Sed quid multis opus eſt? leguntur multæ ac variæ hiſtoriæ tam in ſacris quàm in prophanis Hiſtoriographis de iis, qui temerarias manus iniecerunt in theſauros Eccleſiæ, ſed paucis exceptis ferè omnes memorabiles dedere ſui ſacrilegij pœnas. Nec excuſare poteſt ſacrilegos, quòd miniſtri templi aliquando Eccleſiæ theſauris abutuntur: abuſi ſunt & veteris teſtamenti ſacerdotes bonis Eccleſiaſticis, vnde etiam toties templum Domini ſpoliatum fuiſſe putamus, neque tamen impunè tulerunt, qui ſpoliarunt. Malum enim & impium eſt bonis ſacris & Deo deuotis abuti, quiſquis tandem illud faciat. Et ſi opes ab omnibus auferendæ ſunt qui illis abutuntur, quis noſtrûm omnium vel priuatam veſtem ſeruare poterit? Hæc autem mihi non eo dicuntur, quaſi theſauri Eccleſiæ, ſiue, vt iam vocant, bona Eccleſiaſtica non in alios vſus ſalua pietate verti poſſint, quā ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, ædificationem & reparationem templorum, & ad eleemoſynas pauperum. Nam legimus quod Ioas ille non impius Rex Iuda audiens Azahelem regem Syriæ meditari expugnationem Hieroſolymorum, accepit omnes theſauros quos vel in tēplo domini, vel in palatio regio inuenire potuit, & redemit ciuitatem. Maluit enim iacturā facere pecuniarū, quàm ciuitatis & populi. Et Aſa itē non impius Rex, quum amplius non poſſet ferre tyrannidem Baaſę regis Iſraël, theſauris Eccleſię cōciliauit ſibi Benadab regē Syrię, cuius tandē pręſidio ſe ſuóſq; ab illius tyrānide liberauit. De his & talibus, inquā, nō dico, ſed de illis qui bona Eccleſiaſtica in priuatos vſus, imò in deteſtādū luxū

Dan.5. *Matt.3.* *Obiectio.* *4. Reg.12.* *3. Reg.15.*

ſuum vertunt, tollentes & abrogantes & miniſtros & officia Eccleſiæ, diruentes templa, negligentes etiam crudeliſſimè pauperes, quorum tamen pars eſſe debet in Eccleſiaſticis bonis: ſed Deus videt & iudicabit. Lento quidem gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, ait ille, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſat: immò non perpetuò tam lentus eſt dominus ad vindictam ſui, ſed aliquandò ſatis feſtinat. An non vides quàm feſtinanter perdiderit Ananiam? Audiens enim verba Petri, continuò cadit in terram & exſpirat. Quid mali commiſerat? *Seruanda* pecuniam quam Eccleſiæ Chriſti vouerat, non dedit. Si *ſunt vota.* hoc contigit ei qui vota non ſoluit, quid exſpectandum illis, qui quæ ſemel deuota & piis vſibus conſecrata ſunt, ſacrilega temeritate inuadunt? Nec ſe impunè facere talia exiſtimant, quoniam non continuò poſt factum dant pœnas. Dat enim eis Deus ſpacium pœnitentiæ, quod ſi neglexerint illud, tandem pœnas luent æternas. Sed rogas, quare non etiam dedit ſpacium pœnitendi Ananiæ? *Vide Aug. Quæſtio. ſuper Exo. cap. 148.* noſtrum non eſt iudicare de occultis Dei iudiciis. Et fortè hanc repentinam mortem pro mendacio ſuo incurrere debuit, ne æterna morte tandem periret. Nihil hîc affirmo, quæ mihi probabilia videntur in medium profero. Ideo Ananias & Saphira in conſpectu Eccleſiæ citò mortui ſunt, inquit diuus Auguſtinus, vt Apoſtolica auctoritas quanta eſſet oſtenderetur, & quàm magnum peccatum eſſet, quod oblatum iterum ab Eccleſia retraheretur, *De mirabilibus ſanct. ſcripturæ libro 3. ca. 16* monſtraretur, & cæteri exemplo huius caſtigarētur. Audis ergo tres rationes tam ſubitæ pœnæ. Prima, inquit, eſt vt oſtenderetur quanta eſſet Apoſtolica auctoritas, ne ſcilicet quis eos contemneret, quaſi homines nihili eſſent atque plebei doctorculi, quíque ſe non poſſent vindicare de aduerſariis ſuis ſi vellent. Sed quid ait Apoſtolus? In promptu habemus vindictam aduerſus omnem inobedientiam. *2. Cor. 10.* Et iterum: An experimentum quæritis in me loquentis Chriſti, qui non infirmus eſt, ſed potens in vobis? *2. Cor. 13.* Et Chriſtus cum maledicendo perderet ficum illam carentem fructu, ſatis indicabat ſe etiam poſſe perdere ſi vellet, & non tantùm ſeruare. Sed quid multis? voluit dominus hac horrenda vindicta declarare quantum ei diſpliceant, qui ſub prætextu Euangelij ac pietatis ſua quæ-

runt. Nos igitur ad contextum reuertamur. *Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes ſepelierunt.* Ideo certè Ananias tam celerem ſenſit domini vindictam, vt cæteri illius exemplo commoniti, poſthac cautius agerent. Adde quod fortè timuerunt, Apoſtolos hac & tanta poteſtate forſan etiam in alios vſuros, qui vel Chriſtum in crucem egerant, vel Apoſtolis hactenus obſtreperant. Tu porrò hîc vide admirandum Dei conſilium. In prioribus dum Petrus & Ioannes claudum illum quadragenarium ſanaſſent, rapiuntur in carcerem, ſiſtuntur pro tribunali, audiunt multa improperia: hîc verò dum ad verba Petri Ananias repentina morte perit, nemo obloquitur, ſed omnes timore magno corripiuntur. Cæterùm nihil hoc loci eſt, quod annotatione dignum videatur. Et hactenus quidem de Anania dixiſſe ſuffecerit: ſed quid de eius vxore Saphira? audiamus Lucam. *Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpacium, & vxor ipſius neſciens quod factum fuerat, introiuit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, ſi tanti agrum vendidiſtis? At illa dixit: Etiam, tanti. Petrus autem ait ad eam: Quid vtique conuenit vobis tentare ſpiritum domini? Ecce pedes eorum qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te. Confeſtim cecidit ante pedes eius & exſpirauit. Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam, & extulerunt & ſepelierunt ad virum ſuum. Et factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui audierunt.* Hæc ex præmiſſis ſatis clara & dilucida ſunt, vt non neceſſe ſit circa hanc contextus partem prolixius philoſophari. Nam in ſuperioribus auditum eſt, quod Ananias fraudem illam in precio agri conſcia vxore fecerit. Non ignorabat impiam mariti hypocriſim, nec illi diſſuadebat, ſed potiùs cum illo in malitia conſentiebat, vnde & meritò ſimilem dabat pœnam. Accedit itaque illa ad conuentum Chriſtiani populi, vt ſcilicet ſuæ liberalitatis encomium celebrare audiret: ignorabat autem quid marito ſuo contigiſſet. Verùm Petrus conſilij Dei non ignarus, & futuri euentus ſatis certus, interrogat illam, anne tanti vendiderint agrum ſuum, quanti dixerat Ananias venditum eſſe? Illa verò non oblita conſilij inter ſe & maritum communicati, pari mendacio reſpondet, agrum non pluris

venditum, atque Ananias faſſus fuiſſet. Verebatur enim, ne ſi vera diceret, confunderet maritum ſuum, quem interiiſſe nondum nouerat: ſicque mauult mendacium contra Deum & propriam conſcientiam dicere, quàm maritum mendacij arguere. Obſeruandum autem hoc loco quòd neque Ananias neque Saphira peccatum ſuum fatentur, nec veniam petunt, vnde & vtrique tam horrendum incurrunt ſupplicium: ſed ſunt forſan qui Saphiram excuſari aliquo modo poſſe exiſtimant, vt quæ noluerit virum ſuum confundere. Atqui vxor quidem debet amare coniugem, ſed in Deo, non contra Deum: & vxor virum, & vir vxorem diligere debet, ſed propter Deum, non contra Deum. Et mulier quidem obedire debet marito, ſic tamen vt ſemper meminerit quia oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Propterea amor coniugalis vel vinculum coniugale nunquam defendet coniugem, ſi in gratiam coniugis ſui aliquid mali perpetrauerit. Nam & Adam ideo de cibo vetito comedebat, ne contriſtaret delicias ſuas, vt ait Auguſtinus, neque tamen ideo excuſatur. Et impiiſſima Iezabel in gratiam mariti ſui Achaz regis interfici curauit pium illum Naboth, ſed eius rei non vulgares dedit pœnas. Iuſſu enim Iehu Prophetæ præcipitata eſt de ſuperiori parte domus, & carnes eius à canibus deuoratæ ſunt, excepti; caluaria pedibus & ſummitate manuum. Longè prudentius egit mitiſſima illa & verè pulchra Abigail, quæ inhumanitatem viri ſui Nabal abominata, Dauidis iram prudentiſſimè mitigauit, & à ſua domo porrò auertit. Sic Saphira non debebat marito ſuo in re impia & nefanda morem gerere. Et Chriſtus in Euangelio dicit: Quiſquis amat patrem, vel matrem, vel vxorem, vel filios plus quàm me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Sed non eſt hîc locus de fide coniugali diſputare. Quoniam itaque nihil eſt quod vltra de Anania & huius vxore dicamus, quæ reliqua ſunt apud Lucam expendamus. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterùm autem nemo audebat ſe coniungere illis, ſed magnificabat illos populus.* Lucas noſter hiſtoriographus breuitati ſtudens multa paucis comprehendit, contentus ſignificaſſe quod Apoſtoli, non ſolùm

3. Reg. 21.

4. Reg. 9.

1. Reg. 25.

Petrus & Ioannes, ſed & alij multa admiranda fecerint, aut potiùs Deus per Apoſtolorum miniſteria. In Pſalmis enim dicitur de Deo, quòd faciat mirabilia ſolus. In Euãgelio autem Chriſtus dicit: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora faciet, quia ego ad Patrem vado. Deus itaque ſolus operatur mirabilia, hoc eſt, per ſe facit, nec vllo adiutore ad illa operanda opus habet: alij autem quicunque faciunt, Deo repugnante facere non poſſent, illo verò annuente faciunt, quod illos facere videmus. Quod itaque Lucas dicit per manus Apoſtolorum multa ſigna & prodigia facta eſſe, nihil aliud dictum eſt, niſi per horum miniſterium. Nam ad probandum ipſorum vocationem, & ad conciliandum ſibi auctoritatem, neceſſe habebant gratia virtutum & miraculorum. Addit Lucas quòd fuerint vnanimiter in porticu Salomonis, nimirum verbi miniſterio & piis precationibus ſtudioſè incumbentes. Neque enim vltra oportebat illos in angulis latitare, ſed potiùs palam prodire. Cæterùm quòd dicit neminem fuiſſe auſum ſe illis adiungere, prudenter & probè intelligendum eſt. Nam ſi quis ſimpliciter vt verba ſonant, & primo intuitu ſignificare videntur intellexerit, certè malum fuiſſet illud miraculum Petri, quòd omnes prohibuiſſet à fide Chriſtiana. Si enim nemo auſus fuit ſe Apoſtolis adiungere, conſequitur etiam neminem ad Chriſtianiſmum veniſſe: ſed res ſic ſe non habet. Quod enim Lucas primò dicit, Et non audebat ſe quiſquam illis adiungere, poſteà interpretatur dicens: Et magnificabat illos populus. reuerentiæ enim erat partim, & partim timoris. Sed aliis exemplis hoc ipſum declarabo. Cùm Petrus olim tantam piſcium copiam & hoc iuſſu domini cepeſſat, timore concuſſus dicebat: Exi à me domine, quia peccator ſum. Et Centurio ille, quemadmodum Lucas refert, ad dominum dicebat: Domine noli vexari. Non enim ſum dignus vt ſub tectum meum intres, propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus vt venirem ad te: ſed dic verbo & ſanabitur puer meus. Hoc certè reuerentię & honoris erat, quia Petrus & Centurio ſe indignos familiaritate domini arbitrabantur. Sic multi Hieroſolymitanorum non ſe audebant Apoſtolis coniungere, quia ſe indigniores arbitra-

Pſal. 71. *Ioan. 14.* *Lucæ 5.* *Lucæ 7.*

bantur, quàm vt illis coniungere deberent: alij verò videntes & audientes Ananiæ & Saphiræ interitum, etiam non audebant ſe Apoſtolis adiungere, timentes videlicet, ne ſi profeſſioni Chriſtianorum ad vnguem non reſponderent, ſtatim parem cum Anania ſubituri eſſent pœnam. Sic alij Gadareni rogant dominum vt ab illorum finibus diſcederet, videntes quod legionem dæmonum in porcos abire fuiſſet, timentes ſcilicet ne & in illos aliquam maiorem vindictam facerent. Et hæc quidem hactenus: ſequitur verò. *Magis autem augebatur credentium in domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis.* Quòd ſi nemo auſus fuerit ſe Apoſtolis adiungere, quomodo ergo auctus eſt numerus credentium, hoc eſt, Chriſtianorum? ergo ſi meam interpretationem admiſeris, nulla remanebit difficultas. Igitur qui credebant in Chriſtum tanquam in ſeruatorem omnium, non deſidebant ocioſi, ſed opera fidei & charitatis exercebant, hoc quod Lucas occultare noluit. Quòd enim infirmos ponunt in plateas vt ab Apoſtolis ſanarentur, magnæ fidei fuit, & magnæ charitatis. Fidei quidem, quia credebant certóque perſuaſum habebant nullum morbum eſſe tam difficilem, quem Apoſtoli in nomine Ieſu ſanare non poſſent. Quòd verò Lucas lectulos ac grabatos notat, ſignificare voluit non leues fuiſſe morbos & leuiter ægrotantes, ſed periculoſiſſimè: vt qui citra lectos & grabatos nuſquam portari potuerint, quémadmodum in Euangeliis de paralytico quodam legimus. Iam magnæ charitatis ſignificatio eſt, quòd incolumes Chriſtiani libenter occupati ſunt circa infirmos, omnémque mouerunt lapidem donec & iſti conualeſcerent. Tu iam vide quanti faciat dominus Ieſus amicos ſuos: Quoſcunque, inquit, vel vmbra Petri obumbrauit, conualuerunt de infirmitatibus ſuis. Magna ſunt hæc miracula, magna ſunt fidei noſtræ teſtimonia eáque irrefragabilia. Multi hîc ludunt circa hoc magnificum miraculum, magna ſcilicet ſollicitudine cauentes, ne gloria huius miraculi diuo Petro adſcribatur, & Deus ſuo debito honore priuetur. Oh zelatores, quis potiſſimus ille miraculorum

Luca 8.

patrator ſit, Eccleſiæ incognitum non eſt, & nos hac de re paulò ſuprà nonnihil diximus. Nihil, opinor, derogamus Deo omnium bonorum creatori & largitori, etiamſi quis dixerit: Vitis hæc optimum nobis dedit vinum, ager ille optimos protulit fructus: nihil derogamus ſic loquendo vel Deo, vel Soli, vel vento, vel terræ, vel denique cultori. Sic dum dicimus miracula fieri per Apoſtolos & alios Dei amicos, non defraudamus Deum ſuo ac debito honore, ſed prædicamus ipſius liberaliſſimam largitatem, qua non ceſſat etiam per ſuos miniſtros operari quibus ædificatur, & ædificata conſeruatur Eccleſia. Sed quid opus eſt multis verbis? ſinant nos, obſecro, aduerſarij noſtri loqui cum

Ioan. 14. Scriptura, & nihil peccabitur. Chriſtus dicit: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora illis faciet. Et iterũ: Signa eos qui crediderint hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis,

Marc. 16. &c. Et rurſum: In quamcunque domum intraueritis, curate infirmos qui apud illos ſunt. non dicit Chriſtus, ego per

Luca 10. illos faciam maiora miracula, ego per illos loquar nouis linguis, & cætera in hunc ſenſum. Quum igitur nos ſcripturæ verbis loquamur, cur ob hoc flagellamur ab illis, qui nuſquam non videntur ad ſcripturas nos prouocare? Scimus quid debeamus Deo, ſcimus quid debeatur diuis, nec poſſumus dehoneſtare, quos Deus ipſe honeſtatos eſſe voluit. Sed de hac re quum ad ſudaria Pauli ventum fuerit, copioſius diſſeremus. Venerabilis Beda circa hunc locum dicit: Tunc Petrus vmbra ſui corporis viſibiliter alleuabat infirmos, qui etiam nunc inuiſibili ſuæ interceſſionis vmbraculo, fidelium infirma roborare non ceſſat. *Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hieruſalem, afferentes ægros & vexatos à ſpiritibus immundis qui curabantur omnes.* Hæc rurſum arguunt quàm creuerit Apoſtolorum fama vbique per loca, per terras, quódque non in ſola Hieroſolymorum vrbe magnum nomen habuerint, ſed etiam apud omnes vicinos. Et tu mihi rurſum hîc vide Lucæ diligentiam, quanto ſerio omnia perſcribat, quæ ad commendationem Apoſtolorum vel aliquo modo facere poſſunt. Non vnus atque alter accedebat, inquit, ſed multitudo, non pedetentim veniebat, inquit, ſed concurrebat, vt intelligas multi-

tudinē nihil frigidè egiſſe. Et illi afferebant ægrotos, hoc eſt, eos qui corpore malè habebāt: nec hos tātùm, ſed eos qui vexabantur & torquebantur à ſpiritibus immundis, hoc eſt, quos maligni ſpiritus obſederant. Sed ánne voti compotes facti ſint? vtique. Curabantur enim omnes, nec erat aliquis morbus quantumuis periculoſus, qui ad verba Apoſtolorum nō cogebatur abire. Legimus ferè idem de Chriſto. Cùm enim aliquando veniſſet in terram Geneſar, & cognouiſſent viri loci illius, miſerunt in vniuerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent. Et qui tetigerunt, ſalui facti ſunt. *Exſurgens autem princeps ſacerdotum & omnes qui cum illo erant, quæ eſt hæreſis Sadducæorum, repleti ſunt zelo, & iniecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica.* Lucas nō exprimit hîc nomē principis Sacerdotū, verùm apparet & veriſimile eſt fuiſſe Annā. Hic igitur videns & audiēs Eccleſiā fidelium indies accreſcere, adiunxit ſibi Sadducæos, qui aliâs infenſiſſimi fuerant Apoſtolorum primoribus ob deprædicatam fidem reſurrectionis. Et hac colluuie cōgregata, prorumpit in medium, & manus iniicit in Apoſtolos, & ponit eos non iam in priuato carcere velut examinandos, ſed in publico tanquam in manifeſtiſſimo ſcelere deprehenſos. Nihil enim impudentius neque audacius malitia, vt rectè ſcribit Chryſoſtomus: ſed quid hoc, inquis? ſiccíne exauditi ſunt Apoſtoli, qui antè precati ſunt, dicentes: Domine, aſpice in minas eorum? hoccíne illud eſt quod commotione loci declarauit Deus ſeſe illorum preces exaudiſſe? Eſſe Deus conniuet vt Apoſtoli ducantur captiui, & ponantur velut publici ſcelerati in cuſtodia publica, vt ſcilicet mox ſequēti die ad pœnam producantur: An hoc eſt aſpicere in minas Pontificum, & prohibere ne quidquam mali inferant? Sed heus tu bone, quiſquis hæc obiicis, finem rei exſpecta, exitus rei probabit Apoſtolos ſatis exauditos fuiſſe: nam ſequitur continenter. *Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit: ite, & ſtātes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius: Qui cùm audiſſent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.* Quùm anteà Apoſtoli in carcerem coniecti fuiſſent, non liberantur per miniſterium Angeli ſed exſpectare cogun-

Matth. 14.

tur donec per magiſtratum rurſus educantur. Oportebat enim exẽplum edi Apoſtolos nullis vinculis poſſe terreri quo minus annuntiarent Euangelium. Iam verò vt appareat nullam eſſe vim contra Dominum, miraculoſè liberantur Apoſtoli, vt intelligamus Deum quidem nos ſemper poſſe iuuare, ſed non ſemper iuuare velle: quoniam nõ ſemper facere vult quæ nobis cõſultò fieri viderentur, ſed quæ in illius gloriam & noſtram ſalutem faciunt. Igitur quando Apoſtolos non liberat, oſtenditur quam conſtãtes & fortes ipſi ſint in deprædicando Euangelio: quando verò liberantur, oſtenditur quàm nihil valeat potentia huius mundi aduerſus virtutem Dei. Diſcimus autem etiam ex præſenti loco Deum ſic amare ſuos, vt ſi pro horum commodo fuerit, vel angelum ipſis in adiutorium mittat, tantum abeſt vt illos deſerere velit. Sed expẽdamus more noſtro ſingulas contextus partes. Angelus Domini, hoc eſt, angelus à Deo miſſus apperit ianuas & educit Apoſtolos. Angeli enim ſancti omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, propter eos in miniſterium miſſi, qui hæredes futuri ſunt regni cæleſtis. Et amant quidem angeli nos, amant inſeruire nobis, ſemper vident faciem patris noſtri cæleſtis, & gaudẽt vel ſuper vno peccatore pœnitentiam agẽte: vnde non eſt dubium, quin angelus ille libentiſſimè Apoſtolos eripuerit, vel ob hoc tantum, ne miniſterium verbi Dei per quod ſaluantur homines, intermitteretur, vel negligeretur penitùs. Angelus verò Satanæ nõ cupit verbi miniſtros è vinculis liberare, ſed perpetuò illis faceſſit negocium, impedit illorum curſum, ſemini verbi Dei remoras iniicit, ne auditores verbi Dei hoc credentes ſalui fiant. Vnde coniicimus quòd quiſquis verbi Dei miniſterium promotum velit, hic verè ſit à Deo: quiſquis verò illud vel remoratur, vel cómtemptui habet, ille haud dubiè à malo ſpiritu agitatur. Sed quare liberantur D. Apoſtoli è carceribus? nùm vt aufugiant, aut ſeſe occultent, aut à prædicatione ceſſent? nequaquam. Dicit ſiquidem illis Angelus: Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. Pulchra ſunt hæc verba: ite, inquit, nemo vos remoratur, nullis vinculis aut repagulis prohibemini; ite, & ſtantes in templo, non in angulo aliquo, loquimini, prædicate non vni aut alteri, ſed plebi vniuerſæ. Quid prædi-

cemus? quid loquemur plebi? omnia verba vitæ huius. Nō eſt vt multum delectum faciatis, vel expendatis quibus Iudæorum proceres vel delectentur, vel offendantur. Prędicate omnia quæ illos ad vitam æternam prouehere poſſunt. Prædicate, inquit, plebi. Quare? quia primores populi nolebant ſacris intereſſe, etſi quando veniebant ad templum, non veniebant vt audirent verbum Dei ab Apoſtolis deprædicari, ſed potiùs vt prædicatores Apoſtolos caperent, atque captos interficerent. Liberati itaque ac è carcere educti ſunt Apoſtoli, & quæ ſe facere oporteat, ab angelo ſunt inſtructi: Quid igitur fit? Cùm audiſſent, inquit Lucas, intrauerunt dilûculo in templum, & docebant. Habes hîc exemplum promptæ obedientiæ in Apoſtolis, qui nullis minis, nullis carceribus exterrefacti, ad iuſſum angeli ſe in templum conferunt, ac prædicare incipiunt. Non enim debebāt dicere: Non audemus de Chriſto vel muſſitare, irritabimus crabrones, hoc eſt, Scribas, Sacerdotes, Phariſæos, Sadducæos, & reliqua populi capita: ſimulatque incipiemus, continuò recludemur in carceres. Anne igitur nos iterum demus in periculum? nihil tale dicunt, ſed ſimpliciter angeli monita ſectantur, Euangelium annunciant, & hoc in templo, & diluculo. Diluculo, inquit, vt non ſolùm intelligas Apoſtolorum in prædicando promptitudinem, ſed etiam populi in audiendo diligentiam: neque enim potuiſſent prædicare, niſi pręſente populo. Tu igitur hîc vide quanto ſtudio veteræ plebes Euangelio Chriſti ſtuduerint, & cum illorum moribus ſi lubet noſtros conferre poteris: ego enim nihil hîc adiiciam, & multa premam. Sed iam fortè geſtit animus audire, quid reuerendi Pontifices facere velint cum miſellis Apoſtolis in teterrimo càrcere poſitis.

Adueniens autem princeps Sacerdotum & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium & omnes ſeniores filiorum Iſraël, & miſerunt ad carcerem vt adducerentur. Cùm autem veniſſent miniſtri, & aperto carcere non inueniſſent illos, reuerſi nunciauerunt, dicentes: Carcerem quidem inuenimus clauſum cum omni diligentia, & cuſtodes ſtantes ante ianuas: aperientes autem, neminem intus inuenimus. Vt autem audierunt hos ſermones magiſtratus templi & principes Sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret. Nihil hoc loco difficultatis eſt, ſi modò

meminerimus quíſnam ille ſit qui Apoſtolos de carcere liberauit. omnipotens eſt nomen eius, inquit Moſes. Non igitur eſt quod plurimùm mireris quomodo Angelus potuerit Apoſtolos educere, carcerem aperire & recludere neque audientibus neque videntibus cuſtodibus. Qui enim potuit per conſignatum & cuſtodia fortiſſima munitum ſepulchrum exire, etiam potuit Apoſtolos ſuos ignorantibus & non ſentientibus cuſtodibus è carcere liberare & facere vt videntes nihil viderent, & audientes nihil audirent. Naturaliter quidem hæc non fiunt: at qui naturæ conditor exiſtit, naturę ordini alligatus non eſt, ſed ſubeſt ei quæcũque vult poſſe facere. Et vt ingenuè quod ſentio fatear, omnia hîc ſic fiunt, vt euidentiſſimè appareat quomodo Deus humanæ ſapientiæ illudere voluerit. Neque enim ſtatim ad Pontifices refertur, Apoſtolos, quos heſterna die in cuſtodiam poſuiſſent, rurſum in templo concionari: ſed omnia ſilent donec magiſtratus ille omnem ſuam ſapientiam effundat. Conuocare priùs debet concilium Princeps ſacerdotum, & rem omnem proponere: cõſultari item qua pœna plectendi ſint, qui contra magiſtratus edicta in templo concionantur. Mittendi ſunt miniſtri ad carcerem, audiendi ſunt cuſtodes, exploranda priùs vincula & repagula carceris. Et cùm omnem rem ipſi exploratam habent, nimirum cuſtodes ad portam carceris vigilare, carcerem fuiſſe clauſum, Apoſtolos in carcere nõ comparere, nec aliquod apparere veſtigium vndè deprehendi poſſit Apoſtolos effugiſſe: poſtquã hæc omnia explorata habent, tùm tandem incipiunt diuinare quid factum ſit, quid portendat. Quòd ſi cogitaſſent Apoſtolos Dei negocium agere, non longa diuinatione opus fuiſſet. Qui enim in veteri teſtamento ſeruos ſuos potuit illæſos de camino ignis ardentis eripere, poteſt etiam Apoſtolos de manibus Sacerdotum liberare. Adiiciam hîc pulcherrimam hiſtoriam ex veteri Teſtamento, ex qua etiam intelligetis, quã mirabiliter aliquandò dominus ſeruos ſuos de manu impiorum liberare ſoleat. Ea ſic habet. Cum aliquando rex Syriæ contra Iſraëlis regem pugnaret, illiusque inſidiæ & ſtratagemata regem Iſraël latere non poſſent, eò quod Heliſæus rem omnem regi ſuo aperiret, rex ergo Syriæ contra Heliz..um iratus, miſit ſeruos ſuos, equos

equos & currus, & omne robur exercitus ſui ad capiendum Prophetam. Qui cùm veniſſent nocte, circundederunt ciuitatem Dothan in qua erat Helizæus. Conſurgens autem diluculo miniſter viri Dei, egreſſus eſt, viditque exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus, nunciauítque ei, dicens: Heu, heu, heu domine mi, quid faciemus? At ille reſpondit: Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis. Cúmque oraſſet Helizæus, ait: Domine aperi oculos pueri huius vt videat. Et aperuit dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Helizæi. Hoſtes verò deſcenderunt ad eum. Porrò Helizæus orauit ad dominum, dicens: Percute obſecro gentem hanc cæcitate, percuſſítque eos dominus ne viderent, iuxta verbum Helizæi. Dixit autem ad eos Helizæus: Non eſt hæc via, nec iſta eſt ciuitas, ſequimini me, & oſtendam vobis virum quem quęritis. Duxit ergo eos in Samariam, cúmque ingreſſi fuiſſent in Samariam, dixit Helizæus: Domine, aperi oculos iſtorum vt videant, aperuítque dominus oculos eorum, & viderunt ſe in medio Samariæ eſſe, &c. Ex his vides quàm mirabilis Deus ſit circa ſanctos & electos ſuos. Eius generis exempla ſi quis plura quærat, etiam in Eccleſiaſticis hiſtoriis ad ſatietatem inuenire licebit. Quis enim neſciat quàm mirabiliter vel vnus Athanaſius epiſcopus Catholicus ſæpiſſimè è manibus Arrianorum elapſus fuerit? Sic enim ipſe narrat: Erant, inquit, Arriani cum militibus concurrentes, à Conſtantio in gratiam Arrianorum miſſis, vt eos (milites ſcilicet) accenderent, & ignorantibus nos oſtenderent, &c. Dux autem repentè templi foribus ſub noctem dum vigiliæ à populo celebrarentur adſiſtens cum militibus plus quàm quinquies millibus, habentibus ſcilicet arma & gladios enudatos, arcus, ſagittas & vectes: & Eccleſiam quidem ipſe dux circundedit ſtatuens milites ſibimet cohærentes, vt nullus poſſet egredientium ab Eccleſia manus eorum euadere, &c. Et poſt pauca inquit Athanaſius: Militibus aliis ſacrarium circundantibus, aliis per Eccleſiam diſcurrentibus per medium eorum domino item præbente atque cuſtodiente, pericula cuncta tranſiuimus, &c. Sed ad ſequentia propem

4. Reg. 6.

Hiſto. trip. lib. 5. cap. 2.

ramus. *Adueniens autem quidam, nunciauit eis: Quia ecce viri quos poſuiſtis in carcerem, ſunt in templo ſtantes, & docentes populum*. O inexſpectatum Sacerdotibus nuncium. Ecce viri, inquit, quos poſuiſtis in carcerem, ſunt in templo docentes populum. Heri concionabantur, quæ res vos eò duxit, vt illos in carcerem coniiceretis. Et ecce liberati ſunt, nec tamen effugiunt, neque ſeſe occultant, ſed in publicum templum aſcendunt, nec in hoc latitare volunt, ſed conſcenſo ſuggeſtu populo perſuadent, vt poſthabita Moſis politia ad Chriſtum ſe transferant. Alij ſi à magiſtratu fuiſſent in carcerem coniecti, & poſteà quocunque tandem modo liberati, non exſpectaſſent magiſtratum, ſed aliò effugiſſent: noſtri verò Apoſtoli per omnia angelicis monitis obtemperant, nihil dubitãtes quin præſidio Chriſti ſatis muniti ſint aduerſus omnẽ huius mundi tyrannidem. Iam quo animo ille, quiſquis tandem fuerit, magiſtratui ſignificauerit Apoſtolos in templo prædicare, ex narratione Lucæ non poſſumus deprehendere. Fortè magiſtratus emiſit miniſtros & apparitores vt quærerent & ſciſcitarẽtur in populo de Apoſtolis quis eos adiuuârit, quò peruenerint, vbi iam agant, quid inſtituant. Hæc enim & huiuſmodi fieri ſolent elapſis illis quos captos eſſe mallemus: ſed iam ſciunt magiſtratus vbi ſint Apoſtoli, & quid agant. Quid igitur conſilij capiũt? quid moliuntur? *Tunc abiit magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi: timebant enim populum ne lapidarentur. Et cùm adduxiſſent illos, ſtatuerunt in concilio*. Tunc abiit magiſtratus, teſte Luca. Quid eſt Tunc? ſtatim vt cognouerunt Apoſtolos in templo prædicare, arbitrati ſunt periculum eſſe in mora, feſtinandum itaque eſſe, concionem incipiendam: nec ſoli magiſtratus, hoc eſt, principes abeunt, ſed adiungunt ſibi miniſtros, quo nimirum aduerſus vim armatiores eſſent. Adducunt Apoſtolos, ſed tamen ſine vi, hoc eſt, non ligârunt eos, ſed ſiuerunt liberos ſe comitari. Nec neceſſe fuerat iniicere collo Apoſtolico vincula, quum non repugnarent boni viri, neque fugam meditarentur, neque inuiti ſequerentur. Sed quare non ligant Apoſtolos? an magiſtratus mãſuetior factus eſt erga Apoſtolos? nequaquam: ſed quod hanc mititatem ſimulant, in cauſſa eſt quod timent plebem. Verebãtur enim ne ipſi

à populo lapidarētur, ſi per vim aliquid molirētur in Apoſtolos. Nam plebs amabat Apoſtolos, horum capiebatur ſermonibus, & veriſimile eſt quod ab Apoſtolis intellexerint miraculoſam illam liberationem è carcere. Vides ergo hîc impietatem illorum principum, qui magis timēt populum quàm Deum. Si cogitaſſent quomodo liberati fuiſſent Apoſtoli de cuſtodia, facilè cogitare potuiſſent omnes ſuos conatus fore inanes. Cæterùm cùm miniſtri adduxiſſent Apoſtolos, non ſtatim coniiciunt illos in carcerem, ſicut iam ſemel atque iterum fecerant, ſed ſtatuerunt illos in cōcilio, ne videātur Apoſtolos indicta cauſſa velle punire. Et decet quidem cognoſcere cauſſam priùs, & poſteà iuxta cognitionem & cauſſæ ſtatum accuſatos vel innocentes abſoluere, vel nocentes damnare. Sed audi. *Et interrogauit eos princeps Sacerdotum, dicens: Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine iſto: & ecce repleſtis Hieruſalem doctrina veſtra, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.* Pontifex, vt ipſe putat, duorum maximorum criminum reos agit Apoſtolos. Primum eſt quòd decreta concilij neglexerint: alterum quòd ipſos Pontifices tyrannidis & iniuſtitiæ arguerint, vt eos qui innocentem occiderint. Eſt igitur Pontificis ſentētia, quam totius cōcilij nomine profert, talis: Nónne proximo colloquio, ſiue concilio ex tātorum virorum auctoritate etiam atque etiam præcepimus vobis, ne pergeretis docere populum, aut vllam nominis Ieſu, quod abolitum eſſe volumus, mētionem faceretis apud vllum hominem, nec exterum, nec Iudæum, nec publicè, nec priuatim? Et ecce contempta totius auctoritate concilij non ſolum non ſiluiſtis, verumetiam tanto vehementiùs prædicaſtis, adeò vt impleueritis totam Hieroſolymam veſtra doctrina, rumore eorum quæ facitis ad finitimas etiam ciuitates peruagante. Vultis igitur malitioſo ſtudio nobis impingere inuidiam mortis nominis iſtius? Prædicatis enim palam illum per nos occiſum, eundem prædicatis iuſtum & ſanctum ac Deo probatum, in huius nomine multa miracula facitis: in ſumma Ieſus ille vobis prora & puppis, Alpha eſt & ω. Sed quid ex his cōſequitur aliud, quàm nos innocētē, ſanctū ac deo probatū hominē iniuſtè & per tyrannidē occidiſſe? Hoc ſi vos populo perſuadere nō ceſſatis, quid nobis

ſperandum, niſi tumultus & ſeditio populi nos tollere ac porrò perdere laborantis? Hæc ſibi volunt, ceu diximus, verba Pontificis. Cæterùm antequam Petrus ſe excuſet, hoc adiiciendum puto: Si per ſenatum aliquid decretum & mãdato evulgatum fuerit quod iuſtum ac bonum eſt, quod gloriæ Dei & charitati proximi non contrariatur, certè contemni à nemine debet, nec magiſtratus ſinet à populo illud impunè negligi. Quod ſi hac in parte magiſtratus remiſſiùs agit, fit vt & reliqua ipſius decreta poſthac contemptui proſtituantur: quæ verò per imprudentiam non bene decreta fuerunt, hæc magiſtratus ipſe tollere debet. Sed de his hactenus. Quid igitur ad accuſationem & exprobrationem Pontificis Apoſtoli?

Obſer.

Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli dixerunt: Oportet Deo magis obedire quam hominibus.

Hæc eſt reſponſio ad primam accuſationis partem. Accuſantur enim Apoſtoli quod decretum ſacroſancti ſenatus præuaricati fuerint: & hæc quidem accuſatio in ſpeciem erat ſatis ardua. Lex Moſis eum mortis reum agit, qui contumaciter Sacerdotis imperio non obedierit. Quanta ergo pœna digni ſunt, qui non vnius tantùm, ſed multorum Sacerdotum ac Pontificum decreta, adeóque ſacroſancti concilij ſtatuta tranſgrediũtur? Neceſſe eſt itaque vt Petrus ſe, item & reliquos Apoſtolos excuſet atque purget. Sic igitur totum Apoſtolorum chorũ breuiſſimè excuſat: Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus. Non dicit Petrus quod magiſtratui parendum non ſit, ſed quod Deo potiùs parendum ſit. Breuiter itaque ſic dicemus. Scriptura iubet nos & Deo & poteſtatibus humanis obedire: iam quoniam Dei præcepta perpetuò bona, iuſta & ſancta ſunt, perpetuò illis obediendum fuerit. Poteſtatis verò humanæ præcepta aut ſunt bona, aut ſunt mala. Si bona ſunt, eis obtemperandum eſt, inquit Paulus, non ſolùm propter timorem, ſed etiam propter conſcientiam, non ſolùm quia homo præcipit, ſed quia id Deus fieri iuſſit: ſi verò magiſtratus quæ impia & iniuſta ſunt præcipit, ea negligenda, immò tranſgredienda ſunt, nõ in contemptum Magiſtratus, ſed in gloriam Dei, & amorem iuſtitiæ ac æquitatis. Quæ verò hominum mandata meſa, hoc eſt, adiaphora & neu-

Deute.17.

Roma.13.

tra, per ſe neque mala neque bona ſunt, id eſt hominem facientem neque meliorem neque deteriorem faciunt: illa inquam perpetuò in gratiam magiſtratus cui obedire tenemur, adimplenda ſunt. Iam decretum ſummi Sacerdotis & totius concilij Hieroſolymitani porrò impium fuerat, ideóque ab Apoſtolis tranſgrediēdum merito fuerat. Prima itaque defenſionis pars eſt, Apoſtolos non debuiſſe mandatum hominum mandato Dei præponere, & hoc propter illud negligere. Quod verò Sacerdotum mādatum Deo repugnet, ſic probat Apoſtolus. *Deus patrum veſtrorum ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno: hunc Principem ac Saluatorem Deus exaltauit dextera ſua ad dandam pœnitentiam Iſrael & remiſſionem peccatorum: & nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi.* Vult dicere Petrus ſuo & aliorum Apoſtolorum nomine: Vos quidem acerrimis minis prohibetis nobis ne de Ieſu Chriſto quoquā cuiquam prædicemus, atqui tam multa ſunt quæ nos in contrarium cogunt, vt non poſſimus vobis acquieſcere. Vos quidem interemiſtis Ieſum à Nazareth, & in ligno ſuſpendiſtis, ſed Deus illum ſic amauit, vt à morte eum reſuſcitaret. Hic enim Ieſus quem vos quaſi maleficum quēdam in crucem egiſtis, Princeps & Saluator noſter eſt, neque adhuc iacet in ſepulchro, nec nos ſuſtulimus illum furtim dormientibus cuſtodibus ad ſepulchrum: ſed Deus illum exaltauit dextera, hoc eſt, virtute ſua, & dedit illi, iuxta quod Paulus dicit, nomē quod eſt ſuper omne nomen, &c. Quare hoc? ad dandam pœnitentiam, inquit, Iſraeli, & remiſſionem peccatorum, hoc eſt, vt poſtquam Iudæi qui illum interfecerunt viderent eum à mortuis reuocatum, ac iam per diſcipulos ſuos tam admiranda operari, pœnitentiam agerent pro ipſorum peccatis, ſicque remiſſionem peccatorum acciperent. Et ne quis ſe excuſare queat quaſi rerum iſtarū ignarus ſit, poſuit nos Deus teſtes horum verborum, vt ſcilicet nos fructum & vtilitatem dominicæ paſſionis omni populo exponeremus: immò nec nos ſoli de hac re teſtimonium damus, ſed & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi. Hoc ego intelligo de illis dictum, qui licet extra numerum eſſent duodecim Apoſtolorum, nihilomi-

nus tamen admiranda operabãtur in nominē Ieſu Chriſti domini noſtri. Quod ſi ad ſolos Apoſtolos referre voles, alluſum eſt ad illa Chriſti verba, quæ in Euangelio Ioannis leguntur: Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis à patre, &c. ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecũ eſtis. Pulchras autem hîc videre licet antitheſes. Iudæi occidũt Chriſtum: Deus patrum noſtrorum Chriſtum reſuſcitat. Iudęi in ligno ſuſpendunt: Deus ipſum ad dexteram ſuam collocat in cæleſtibus. Iudæi volunt taceri Euangelium de Chriſto: Deus pater deſignat teſtes, qui Euangelium toto orbe deprædicent. Iudæi vocant Chriſtum pſeudoprophetam & Dei aduerſarium: Apoſtoli eundem vocant ducem & auctorē ſalutis noſtræ. Tu iam vide quàm multa myſteria in his Apoſtolorum verbis licet paucis lateãt. Primùm eſt, quòd Chriſtum Ieſum crucifixum illum Mariæ filium vocat ducem & auctorē ſalutis noſtræ, vt oſtēdat præter & extra Chriſtum nemini contingere ſalutem. Vides ergo in quanto periculo ſint, quotquot fidem Chriſti vel non habent, vel ſemel receptam abnegare audent. Secundò obſerua Chriſtum illis tantum remittere peccata, qui pœnitentiam ſuorum peccatorum agunt. Sic enim in ſuperioribus dixerat Petrus: Oportebat pœnitentiam prædicari in nomine Ieſu in remiſſionem peccatorum. Tertiò illi tantùm accipiunt Spiritum ſanctum, qui Chriſto domino ac Deo obtemperare non detrectant. Hæc autem Apoſtolorum verba magnæ conſolationi fuiſſent Iudæorum primoribus, ſi modò ſapere voluiſſent. aperiebant enim illis ianuam regni cæleſtis & omnem deſperationem eis eximere poterant. Verùm quid illi? *Hæc cum audiſſent, diſſecabantur, & cogitabant interficere illos.*

Vides hîc quam morigeros habeat ſeruos Satanas. Non contenti ſunt per tyrannidem & effrenem malitiam occidiſſe filium Dei, niſi etiam occidere pergant miniſtros Dei. Debebant pœnitentiam agere, propter occiſum Chriſtum, & ecce iam pœnitent quod non iam quidem etiam Apoſtolos interfecerint: quo facto ſatis arguunt à quo ſpiritu ducantur. Non mouentur miraculis, non terrentur admiranda illa liberatione Apoſtolorũ ex carcere; non attēdunt ad verba Apoſtolorum: ſed

corda eorũ ſanguinem & mortẽ Apoſtolorum ſitiũt. Cur non reſpõdent ad dicta apologetica Apoſtolorũ? cur non rationes illorũ confutant? Diſſecabãtur, inquit Lucas. Eſt autẽ hîc diſſecari in corde concuti & cõmoueri, ſicut fit in iis qui anxij ſunt & perplexi, neſcientes quid vel agant vel intermittant. Audimus ergo hoc in loco conſultationẽ de occidẽdis Apoſtolis, & de extinguenda Euãgelij prædicatione. Anne perfecerũt? nequaquã. Quis obſtitit quo minus interfecerint? Audi: *Surgẽs autẽ quidã in cõcilio phariſæus nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis vniuerſæ plebi, iuſsit foras modicum Apoſtolos ſecedere, dixítque ad illos: Viri Iſraelitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis quid acturi ſitis.* Quandocunq; ſtatuit dominus ſuos amicos de manu perſequẽtium liberare, ſemper inuenit media quibus cõmodè hoc fiat: quo fit vt beneficia aliquãdò ab hominibus non Deo, ſed hominibus aut aliis rebus aſſcribamus, non cogitãtes Deum non ſolùm finẽ vnicuique rei pręſcribere, ſed etiam media, perquæ ad finem deſtinatum peruenitur, præparare. Ecce enim Dominus ſic ordinauit, vt Apoſtoli non ſtatim ab initio prædicationis ſuæ occidi debeãt, ſed poſt benè auctam Eccleſiam. Ergo dum Apoſtoli ſtatim ab initio capiuntur, miris & variis modis eos liberat. Primò enim prohibentur Tyranni timore populi, ne audiant ex animi ſententia ſæuire in Apoſtolos. Secundò dum in cuſtodiam poſiti ſunt Apoſtoli, mirabiliter per angelum educuntur ex cuſtodia. Tertiò quum iam Sacerdos ſummus cum vniuerſo concilio penè concluſiſſent Apoſtolos è medio tollẽdos, ecce excitat dominus honeſtum virum, qui prudentia & graui ſuo conſilio illorum peſſimos & ſanguinarios conatus eludit ac impedit. Quod verò poſteà Apoſtoli non liberantur, ſed interficiuntur ab impiis, non ideo fit quaſi Deus ipſos liberare non poſſit, ſed quia Deus ipſorũ labores remunerare inſtituit. Sed videamus tandem quid nobis Lucas noſter de Gamaliele illo dicat. Primùm, antequam conſilium eius viri aperit, deliniat nobis conditionem ipſius, vt intelligamus licuiſſe tanto viro quæ vellet in concilio loqui, & ne miremur huic ab aliis conſenſum eſſe præbitum. Surgens quidam in concilio, inquit: Ergo & hic ſenatorij ordinis erat, in hoc vocatus, vt ſuper quæſtione propoſita cum aliis conſultaret. Sur-

git autem, vt etiam geſticulatione corporis indicet ſe habere quod proponat. Quiſnā ille Senator? Phariſæus fuit, hoc eſt, ex eorum hominum numero, qui ab omnibus tanquam iuſti, ac ſancti viri habebantur, Appellabatur autem nomine Gamaliel, quod nomē Lucas ideo ſignificat, quia tum, etiam à multis noſcebatur. Et addit, Legis doctor, vt quem prius à vitæ ſanctimonia cōmendauerat, iam commendet etiam ab eruditione (neque enim omnes Phariſęi tum docti fuerunt): hic autem noſter Gamaliel tantum in legis cognitione profecerat, vt etiam alios doceret. Sub huius ferula etiam Diuus Paulus legis cognitionem didicit, hoc quod in ſequentibus audiemus. Ad cumulū laudis adiicit Lucas de Gamaliele. Et erat honorabilis vniuerſæ plebi. Ergo & doctis & indoctis, & religioſis, vt loquuntur, & laicis gratus erat. Hic igitur Gamaliel multis nominibus clarus, ſurgit in concilio, ac iubet Apoſtolos modicum temporis foras ſecedere. Hoc quare in ſenatu fiat, in ſuperioribus diximus. Iubet Apoſtolos ſecedere, ne videatur eis in faciem adulari, & vt liberiùs quę ſentit in ſenatu proponere poſſit. Dicit ergo: Viri Iſraëlitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis quid acturi ſitis, hoc eſt, nolite præcipitare conſilium, neque temerè decernatis quidquam, cuius vos pòſt fruſtrà pœniteat: ſed etiam atque etiam videte, quid ſtatuatis de hominibus iſtis. *Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt: & omnes qui credebant ei diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum.*

Doctus & non imprudens Gamaliel pia quadam, vt apparet, calliditate non ſtatim dicit Apoſtolos non tollendos, nam hoc odioſum fuerat, neque facilè ſiuiſſent ſummi ſacerdotes ipſum inceptā orationem perorare, vt quem ſtatim ſuſpectum haberent Chriſtianiſmi. Igitur priuſquam conſilij ſui ſtatum aperiret, vnum atque alterum exemplum præmittit, vt deinceps maiori ſecuritate ſummam conſilij ſui ſubiungere poſſet. Nihil enim magis mouet cùm rudium tùm prudentium animos quam inductio exemplorum, potiſſimùm ſi ea quæ proferuntur nupera ſint. Sed audiamus primum exemplum. Ante hos, inquit, dies, id eſt, non ante multos annos extitit Theudas dicens ſe aliquem, hoc eſt, magnificè ſe iactitans, & multa vana

pollicitans, eoque rem deduxit, vt illi ſeſe coniungerent plus minus quadringenti homines: ſed & ille & hi omnes vſque ad interneciones deleti ſunt. Gamaliel hanc tragœdiam breuiſſimis attingit potiùs quàm recenſet, vt quam noſſet principibus iſtis viris totique ſenatui cognitiſſimam: quoniam verò noſtro tempore paucis fortè nota eſt, ex Ioſepho Iudæorum doctiſſimo hiſtoriographo præmiſſis nonnihil adiiciemus. Igitur dum Fadus Iudæam prouinciam gubernaret, quidam vir magus nomine Theudas populo multa ſuaſit, vt ſumentes ſubſtantias ſuas ſequerentur eum ad Iordanem fluuium, ſemetipſum aſſerens eſſe prophetam, & præcepto fluuium diuidere, vt eis facilè tranſitum præberet. Hæc ergo dicẽs, ſeduxit quidem multos, non tamen permiſit eos Fadus ad experimentum ſuæ inſipientiæ peruenire, ſed repentè cohortem miſit equeſtrem exercitum ſuper eos: quæ inopinabiliter irruẽs, multos quidem peremit, plurimos autem viuos cæpit, ipſumque Theudam comprehendentes, capitis ſectione multauerunt. Hactenus Ioſephus Antiquitatum lib. 20. cap. 4. Hanc ergo hiſtoriam recenſuit etiam Gamaliel, cui & aliam eiuſdem fecis addit. *Poſt hunc, inquit, extitit Iudas Galilæus in diebus profeſſionis. & auertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei diſperſi ſunt.* Rurſum ex Ioſepho recitemus copioſius, quod Gamalieli breuioribus recenſuit. Igitur cum deſcriberet Ioſephus quomodo Cyrenus in Iudęos veniẽs cẽſere vellet populum Iudaicum, & hi quidem ab initio repugnarẽt, poſt verò ſuaſu ſacerdotis magni colla patiẽtes ſubmitterẽt, ſic ſubdit: Sed Iudas Gaulonites, homo ex ciuitate cui nomen erat Gamala, Saddocum phariſæum ſibi coniungens, receſſionem facere feſtinabat, depreciationemque ac cenſum nihil aliud eſſe dicebant, quàm integram ſeruitutem. Proindè ad ſuam defendẽdam libertatem, totam plebem diuerſis exhortationibus incitabant, omnem quoque illis cooperaturam eſſe creaturam, ſi pro bono libertatis honorem ſuum & gloriam magnanimitate tuerentur: ſed etiam Deum non aliter illis auxiliatorem fore, niſi talibus conſiliis ad egendum procederent. His ita dictis, amplius eorũ animus concitatur, vt etiam homicidiis nullo modo parcerent, quoniam cum magna voluptate quidquid ab il-

Antiquitatũ lib. 18. cap. 1. & 2.

lis dicebatur hauriebant, Atque hoc modo in magnum malum ſeditio illorum & audacia prorumpebat, nihilq́ue fuit malorum, quod per illos non pullulauerit viros,& ſuprà quàm dici poteſt illa gens continuationibus repleta eſt bellorum,& clades inter eos & latrocinia deprędationeſq́ue gerebantur, obtentu quidem vtilitatis defenſioniſq́ue communis: reuerà autem propriorum lucrorum gratia tota ſeditio gerebatur. Multæ itaque cædes ciuium ſociorumq́ue perpetrantur:poſtremò in inuicem conuertuntur, non ſecus quàm contra hoſtes infenſiùs agerent bellum. Itaque quotidie deprædationes, captiuitates, cædes vbique concurrebant,ita vt etiam templum Dei ignibus cremaretur. Tantum valuit nouitas, & inſtitutionum mutatio paternarum. Siquidē iſte Iudas & Saddocus quar tam philoſophiam nouiter introduxerant &cæt. Huius autem philoſophiæ & noui inſtituti inter cæteros hic articulus erat. Solum principem & dominum dicunt Deum omnium: mortis etiam multas & varias ſpecies ſuſtinere pro nihilo pendunt,vel cognatorum ſupplicia, vel amicorum amiſſiones omninò contemnunt,dummodo nullum hominem dominum dicere compellantur. Cæterum quo mortis genere capita ſeditionis] Iudas & Saddocus interempti fuerint Ioſephus non exprimit, ſed perditos eſſe apertè dicit. Vidit hoc ſæculum ferè parem Tragœdiam, & Anabaptiſtæ peſſima humani generis lues non omninò alieni ſunt ab hęreſi illa.Gamaliel itaq; ille noſter(noſtrum dico, quia Apoſtolis noſtris patrocinatur) & hanc hiſtoriam,ſicut diximus,breuiter recenſuit,reliquo Senatui iudicium permittens,an Apoſtoli aliquid ſimile habeāt aut commune cum illis.Operantur quidem Apoſtoli magnifica & mirabilia,ſed hæc tam aperta ſunt,vt nihil ſimile habeant cum magorum præſtigiis. Trahunt populum poſt ſe,ſed ad Deum, nec eximunt illum obedientiæ quæ magiſtratui debetur, ſed à vitiis liberant, quæ etiam magiſtratui diſplicere debebant. Nec Euangelium denegat magiſtratui tributa, vectigalia vel cenſus, ſed docet reddendum eſſe Cæſari quæ Cæſaris, & quæ Dei Deo. Hæc ita cum ſe habeant, nullus eſt timendus tumultus, nihil per ſeditionem fiet,ſed omnia erūt pacata. Sed audiamus Gamalielē,& conſideremus quomodo hiſtorias has cruē-

tas ſuo propoſito adaptare velit. *Et nũc dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos. Quoniã ſi eſt ex hominibus cõſilium hoc aut opus, diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt, nõ poteritis diſſoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini.* Abſtinete, inquit, ab illis, neq; ſeueriùs quid aduerſum illos tẽtetis. Si enim humano cõſilio vel aſtu hãc nouitatẽ inſtituũt, nihil durabit: ſin verò Dei volũtate & auxilio geritur, nihil proficiemus conatibus noſtris. Et hæc quidẽ ſentẽtia eſt Gamalielis, quantũ quidẽ ex ipſius verbis elici poteſt. Si verò rẽ penitiùs intellexerit, neq; tamẽ liberè eloqui auſus fuit, poteſt ex illius verbis bona deduci conſequentia, nimirum vt talis ſit Gamalielis ſententia: Videtis quòd Deus mirabiliter per Apoſtolos ſuos operatur, videtis quàm inuincibiles ſint, videtis quàm inanis ſit conatus noſter. Quid igitur non ceſſamus? an Deo impiè ac ſtultè repugnabimus? Si Apoſtoli humano vterentur conſilio, prædicatio non eſſet tam efficax, miracula non tam clara & ſolida, nec toties è manibus noſtris elaberentur: ſed omninò diuerſum accidit. Ergo meo iudicio abſtinendum eſt ab illis, nec aliquid ferocius contra illos tentãdum. Sed apparet Gamalielem tum adhuc ex eis fuiſſe, qui non audebant liberè quæ de Chriſto ſentiebant profiteri, ne ſcilicet è Synagoga excluderentur: vnde duo circa hunc locũ nobis obſeruanda ſunt. Et ſi enim Gamaliel non per omnia à nobis excuſari poſſit, vt qui non apertum teſtimonium veritati perhibuerit: tamen habet in quo non temerè imitandus venit, maximè verò illis qui Senatorij ſunt ordinis. Horum certè eſt, etſi infimo loco ſedeant, ſententiam ſuam liberè proferre, nullo reſpectu habito vel ſenioris vel iunioris. ſapientia enim nullæ ætati alligata eſt. Nefas enim eſt ſi quis pro veritate rogatus, ſententiam ſuam qualemcunque etiam diſſimulat: ſic enim fit, vt ſemper incertus & dubius ſit. Quòd ſi protuleris ſententiam tuam, ſi proba fuerit, fortè alij deſcendent in ſententiam tuam ſua ipſorum reiecta: ſin improba, hoc lucraberis, vt redargutus poſteà melius ſapias. Alterum quod hîc obſeruatione dignum cenſuimus eſt, ne quis dilemma illud Gamalielis ſic acceptet, quaſi ſacroſanctum ac per omnia verum ſit: neque enim Gamaliel eius notæ eſt, vt ipſius verbis contradicere audeat nemo. hoc non

temerè admoneo. Sunt enim qui illa ſententia freti, nolint in quenquam à magiſtratu animaduerti. Sed ponderemus ſententiam Gamalielis, & dicamus de Mahometanis ſiue Turcis: aut ex hominibus eſt quod agunt, aut ex Deo. Si ex hominibus eſt, ergo non ſtabit: ſin verò ex Deo, non poteſt diſſolui. Iam rogo abs te, an Turcica impietas ex Deo ſit, ánne ex hominibus? Ex Deo illam eſſe nemo pius fatebitur: ſi verò ex hominibus, immò potiùs ex Satana eſt, quando tandem diſſoluetur? Verum quidem eſt non ſtabit perpetuò, ſed incertum eſt, quando tandem ſit caſura. Sic de Anabaptiſtis, & omnibus omnium ſæculorum hæreſibus ſentiendum eſt. Ait quidem Chriſtus: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cæleſtis eradicabitur, ſed non dixit ſtatim futurum: ſed in conſummatione ſæculi mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. Ergo ſententia Iudæi Gamalielis non remorari debet pium magiſtratum, quo minus puniat atque coërceat malos, remuneret atque defendat pios. Dei enim miniſter eſt, ait Paulus, vindex in iram ei, qui malum agit.

Conſenſerunt autem illi, & conuocantes Apoſtolos cæſis denunciauerunt, ne omninò loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſerunt eos. Vides iam quantum profecerit Gamaliel ſua conſultatione, tantum ſcilicet vt non occiderentur Apoſtoli: & hoc quidem non debemus Gamalielis prudentiæ, ſed Dei ſapientiæ, qua ſolet per multa media pios ſuos liberare. Anteà audiuimus Summates timere populum, & ideo nihil grauius audere tentare contra Apoſtolos: iam conſilio Gamalielis vtcunque cohibentur, ſed, ſicut dixi, Deus potiùs obſtitit illorum impiis conatibus. Nondum enim erat hora, vt pro Chriſto morerentur Apoſtoli, ſed latiùs ſpargendum erat Euangelij ſemen. Diſce ergo hoc loci vt meliora monenti obtemperes, nec pudeat te mutare conſilium & ſententiam tuam, poſtquam meliora monentem audieris. ecce enim totus Senatus vni Gamalieli obtemperat. Quòd ſi ille vel timore vel alia cauſſa motus ſententiam ſuam occultaſſet, fortè Senatus grauiora tentaſſet in Apoſtolos. Ergo bonum eſt vt in Senatu, ſicut in ſuperioribus diximus, ſinguli ſuam ſententiam liberè, modeſtè tamen proferant, ſemper parati melioribus cedere. Sed

videamus quoûſque Gamalieli acquieuerint. Conuocarunt,inquit, Apoſtolos, nimirum ad conſilium. nam Gamaliel ſentẽtiam ſuam prolaturus, iuſſerat illos paululum ſecedere: conuocatos ergo cædi iubent. Quare hoc? in terrorem forſan Apoſtolis,quo poſthac timidius agerent, exſpectantes & præcauentes duriora. Et in lege ſcriptum *Deut.* 25.
eſt: Si eum qui peccauit dignum viderint plagis, proſternant & faciant vt coram ipſis verberetur. pro menſura peccati erit & plagarum modus, ita duntaxat vt quadragenarium numerum non excedant. Sub prætextu itaque huius legis,opinor,flagellari fecerunt Apoſtolos:niſi enim eos cædi feciſſent,omnis populus clamaſſet Apoſtolos innocentes proclamatos, & ideo tenacius eis adhæſiſſet. Poſtquam itaque cæſi ſunt, denunciant Apoſtolis hoc quod etiam iam anteà fecerant, ne omninò loquerentur in nomine Ieſu. Vides quare capiuntur Apoſtoli, quare flagellantur, non propter malum aliquod flagitium, ſed propter verbi Dei fidele miniſterium. Iam quid ad hæc Apoſtoli egerint videamus. *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Vetus ac celebre dictum eſt iacula præuiſa minus lædere: hinc eſt quod Apoſtoli flagris & contumeliis parùm mouentur. Nihil enim eis accidit, ad quod non iam olim præpararint animos ſuos, nihil patiuntur quod non ipſos paſſuros Dominus prædixerit: Ecce ego *Matt.* 10.
mitto vos,inquit,ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ad reges & præſides ducemini, &c. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et iterum: Beati eſtis cum maledixerint vos homines,& perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis, &c. Horum verborum, talium conſolationum Domini recordabantur ſancti Apoſtoli & ideo non poterant deſpondere animos etiam in grauiſſimis tribulationibus. Sed audi Lucam, quàm pulchrè Apoſtolorum fortitudinem & conſtantiam deſcribat. Ibant, inquit, gaudentes à conſpectu concilij,non ſolùm non dolebant, ſed

gaudebant:nec coram Senatu triſtabãtur,remoti verò ab illo gaudebãt:ſed videntibus Senatoribus gaudebãt. Quare? fortè quia manus tyrannorũ effugerant? nõ,ſed quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu cõtumeliã pati. hãc enim lætitiæ cauſſam aſſignat noſter hiſtoriographus. Nouerãt certè ſe non ingrato ſeruituros domino,gaudebant etiam plures homines lucrifacere Chriſto, & experiũtur Chriſti ſermones omnes iuxta condictũ impleri. Quid igitur hæc ad nos? multum ſupra modum. Neq; enim tãtum dictum quòd Apoſtoli lætari ſint in tribulationibus, contumeliis, & perſecutionibus, ſed ad ſimile certamen etiam nos prouocamur. Iacobus enim Apoſtolus dicit: Omne gaudium

Iacob.1, exiſtimate cùm in varias tentationes incideritis. Et D.Petrus non tantum ſuo exemplo, ſed etiam præcepto adhortatur, vt tribulationes huius ſæculi æquo ſuſcipiamus animo, neque illas feramus impatienter: Communicantes

1.Petri.4. Chriſti paſſionibus,inquit,gaudete,vt in reuelatione glo-

Iudith 8. riæ eius gaudeatis. Et in Iudithæ libro legimus: Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles:qui autem tentationes non ſuſceperunt in timore Dei & patientia ſua,exterminati ſunt. Sed hac de re alibi. Hoc vnicum hîc adiicere placet, quod Satanas etiam in hac re Simius Dei effici conatur. Piorum eſt aduerſitates quaſcunque à quocunque etiam illatas æquanimiter ferre. Habet igitur & Satanas ſuos impios,qui & ipſi piorum fortitudinem imitari videntur: immò paratiores & audaciores ſunt longè grauiora pro Satanæ operibus perpeti, quàm aliquot pij pro Chriſti mandatis: ſed hac audacia illi nihil efficient. Pœna, inquit ille, non facit martyrem, ſed cauſſa. Diximus in ſuperioribus de ſecta Iudæ Gaulonitæ,quomodo & hæc magna audacia quæcunque aduerſa ſuſtinent, ſed ob hoc nec Deo, nec piis hominibus probari poſſunt. Sic & Anabaptiſtæ huius ſæculi videntur ſibimetipſis belli Chriſtiani, ſi quando videntur ærumnas huius ſæculi, & mortem ipſam contemnere: at eiuſdem ſpiritus & audaciæ reperire licet multos latrones, phytoniſſas,vſurarios, & reliquam eius generis fecem omnis laboris & miſeriæ patientiſſimos. Non igitur ſtatim Apoſtolus vel pius Chriſtianus es, etiamſi ad mortem ipſam ſuauiter cantillaueris. Alia ſunt quæ de verè Chriſtiano

teſtificantur, fides ſcilicet, ſpes, charitas, & reliquus reliquarum virtutum chorus. Hæc fortè aliquibus parerga videntur, ſed ego cauſſam habeo, quare hæc diſſimulare noluerim. Redimus igitur ad pios, & dicimus hos decere vt aduerſitates huius mundi æquis animis excipiant pro eo, qui longè duriora pro nobis ſuſtinuit. Hæc fortè tibi videntur non ſolùm dura, ſed & intolerabilia: vtcunque tibi videantur certa ſunt quæ dico, nec tam dura erunt, ſi modò te ad illa perferenda rectè paraueris. Quomodo me parem, inquis? cogita tibi nihil poſſe contingere niſi à Deo patre tuo cæleſti, cuius iudicia occulta eſſe poſſunt, iniuſta eſſe non poſſunt. Deindè cogita Chriſtum illum innocentiſſimũ tua cauſſa longè acerbiora paſſum, quàm tu iam pateris. Hinc eſt quòd Diuus Petrus dicit: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vobis relinquens exemplum vt *1. Petr. 2.* ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur. Tertiò cogita te longè duriora commeruiſſe flagella pro peccatis tuis, & Deum te hîc flagellare vt tibi in æternum parcat. Omnis enim pœna quæ tibi hîc infertur, modò patienter eam tuleris, aut ad peccatorum deletionem, aut ad maiorem remunerationem tibi proficiet. Adde quòd impatientia tua pœnam non mitiorem, ſed grauiorem reddes. Poſtremò quod ab initio dictum oportuit, ne exiſtimes virium tuarum eſſe vt aduerſos euentus æquanimiter feras, ſed donũ Dei tibi ad hoc neceſſarium eſt, ſine quo etiam leuiſſima tribulatio tibi videtur eſſe duriſſima. Vnde Pſalmiſta loquitur: Deo ſubiecta eſt anima mea, quoniam ab *Pſal. 61.* ipſo eſt patientia mea. Et Diuus Paulus: Fidelis Deus eſt, *1. Cor. 10.* qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum vt poſſitis ſuſtinere, hoc eſt, qui paſſus eſt vos incidere in tentationem, idem dabit exitum bonum, vt onus illud qualecunque ſit ſuperare poſſitis. Huc etiã pertinet quod idem Apoſtolus ad Theſ- *1. Theſſ. 1.* ſalonicenſes ſcribens, dicit: Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus ſancti. Et ad Philippenſes: Vobis *Philip. 1.* donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini. Sed hæc hactenus dixi, vt

ad exemplum Apoſtolorum etiam diſcamus huius mundi tribulationes æquanimiter ferre: iam itaque ad finem huius capitis venimus, audituri quàm morigeros ſe Apoſtoli exhibuerint decreto auguſtiſſimi Senatus.

Omni autem die non ceſſabant in templo & circa domos docentes & euangelizantes Chriſtum.

Vide hîc fortitudinem ac conſtantiam Apoſtolorum Chriſti, qui neque minis, neque flagellis à verbi miniſterio prohiberi poſſunt, tantum curant verbera quantum curârunt verba Pontificum. Dei erant miniſtri, & huius voluntati obtemperare ſtudebant ex animo, ab eo exſpectantes remunerationem, non à Pontificibus vel Phariſæis. Hinc Lucas alacritatem illorum exprimere volens, dicit: Omni die non ceſſabant euangelizare & docere Chriſti fidem non ſolùm in templo, ſed etiam circa domos, hoc eſt, publicè & priuatim inuitabant omnes ad Chriſtianiſmum. Hîc forſan occaſionem venantur Anabaptiſtæ prædicandi in angulis domuum, & in latebris ſyluarum, dicentes verbum Dei non eſſe alligatum, quod etiam verum eſt. Atqui oportet diligenter conſiderare hoc loci, de quibus dicat Euangeliſta quòd in templo & circa domos prædicauerint. de Apoſtolis hoc dicit quibus miniſterium verbi commiſſum. Et iſtis præ ſacerdotum & principum inuidia non licebat ſemper in templo concionari: vnde cogebantur etiam in priuatis ædibus Euangelij ſementem facere. Neque hoc dico quaſi non liceat tibi in priuatis tuis ædibus tuos piè inſtituere (hoc enim vt aſſiduò facias diligenter admoneo) ſed contra eos diſputo errones, qui cùm mali ſint & bona docere non poſſint, conuenticula inſtituunt, populum ad ſe trahunt, impia & ſeditioſa proponunt, & ideo lucem fugiunt. Sed de his aliâs: nos iam ad caput ſextum procedamus, rogantes Dominum vt nauem noſtram feliciter, & ad laudem ſui nominis, atque ad profectum Eccleſiæ ſuæ dirigere velit.

Caput

CAPVT VI.

IN diebus illis creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Grecorum aduerſus Hebræos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Vide obſecro, optime frater, Eccleſiæ noſtræ Catholicæ res nũquã fuiſſe tam felices & emunctas, vt nihil vitii in illa reperiri licuerit. Dicitur quidem Eccleſia eſſe lota ſanguine Chriſti, vt ſit ſancta & ſine macula: verùm vt hoc perfectę ſit non eſt præſentis, ſed futuri ſæculi. Et ſancta dicitur propter ſanctitatem & iuſtitiã, quæ Chriſtus cum illa tanquam cum ſponſa ſua communia habet. Vbi ergo ſunt nunc qui protinus atque næuum aliquem in aliquo collegio vident, ſtatim cælum terræ miſcent, non quærentes quomodo reſtituãt, ſed quomodo quod reliquum eſt funditùs perdant. Et nũc multi propter abuſus in Eccleſia exortos ab ipſa diſcedũt, & dũ vitare volunt Charybdim, incidunt in Scyllam. Certè non mirũ eſt poſt mille quingentos annos tot abuſus in Eccleſia noſtra reperiri, quum Satanas ſtatim ab initio ſuum lolium interſeminauerit. Et quot abuſus iam ſunt apud noui Euangelij profeſſores in viginti annis exorti? Sed ſinamus hæc, & ad contextum noſtrum accedamus. In diebus illis creſcente numero diſcipulorum, &c. Quid eſt in diebus illis? hoc eſt, in illis ipſis diebus, quibus & atrociſſimè minabantur principes, & Apoſtoli flagra eſſent experti, creuit credentium numerus nouis ſubindè diſcipulis ad Eccleſiam prouentibus. Et hæc quidem teſtantur nullam ſapientiam, nullam prudentiam, nullumque conſilium eſſe contra Dominum. Sed quid factum eſt? Satanas, ceu diximus, non poteſt quieſcere, non poteſt patienter ferre, vt numerus diſcipulorum creſcat ac augeatur: nam Satanæ decedit quidquid Chriſto accedit. Igitur inimicus homo, vt cum Euangelio loquar, venit & ſuperſeminauit zizania, fecitque vt fieret murmur Græcorũ aduerſus Hebræos, hoc eſt, gentiũ aduerſus Iudæos, aut, vt apertius loquar, eorũ qui ex Gẽtiliſmo ad Chriſtianiſmũ venerãt, aduerſus illos qui ex Iudaïſmo ad fidẽ noſtrã peruenerant. Sed quæ cauſſa murmuris tã virulẽti & inauſpicati? Eo ꝙ deſpicerentur, inquit, hoc eſt, negligerẽtur viduæ, hoc eſt, inopes & egeni eorũ Græ-

corũ. In quo negligebãtur? ĩ miniſterio, inquit, quotidiano. Nã cùm egenis, ſicut ſuprà audiuimus, de cõmunibus Eccleſiæ bonis, prout cuique opus erat, diſtribueretur victus, ſuſpicabantur quidam hunc Iudæis liberalius, quàm Græcis ſuppeditari: hinc eſt exorta inuidentia & tam virulentum murmur. Quòd ſi etiam inęqualis fuit diſtributio, hoc quod Lucas neque negat, neque affirmat, nõ erat mirum in tanta multitudine populorum aliquos negligi, non per contemptum, ſed quia non vacabat ſingulis ſingulariter prouidere. adde quod aliâs facilè timemus, ne ventri noſtro aliquid decedat. Gula etiam in ipſis paradyſi deliciis protoplaſtes noſtros perdidit: vnde non dubitauit & primis Chriſtianis ſubrepere, ac ipſorum corda tentare. Annè Satanas hoc peſſimo telo voracitatis Chriſtum tentauit? ánne hoc telo Ananiam & Saphiram confodit atque occidit? Fugiamus itaque, ô boni, tam fœtidum hoſtem, neque ſinamus vſque adeò nobis dominari aqualiculum noſtrum. Cæterùm quòd Lucas hîc de viduis dicit, non de ſolo ſexu muliebri intelligendum eſt. Nam viduæ in ſacris literis nonnunquam citra ſexus ſignificationem ponuntur pro egenis & calamitoſis, vt videre eſt in Prophetis, qui quoties monent pupillis & viduis ſubueniendum, calamitoſos & humano pręſidio deſtitutos quosque intelligunt: neque tamen ignoramus & viduas, quæ verè viduæ erant, ſtipe Eccleſiaſtica ali ſolitas, qua de re in Timotheo noſtro diximus. Sunt qui putant hic in Actis noſtris mentionem fieri non de miniſterio quo inſeruitur viduis, ſed quo viduæ inſeruiunt alienis: vt ſit ſenſus, Græcos ideo murmuraſſe cõtra Apoſtolos, quod Hebræorum viduæ ad miniſteria eligerentur, vt miniſtrarent ſanctis, Grecę verò mulieres tanquam ad talia miniſteria ineptiores, poſthaberentur. Non eſt periculoſus error, vtrum hîc intelligas mihi tamen prior expoſitio videtur eſſe potior. Habuit vetus Eccleſia ſuos gradus ordinatiſſimos, qui ſic obſoluerunt, vt nihil aut parum certi de illis habeamus: habuit collegia virginum, huius inſtituti ſunt noſtræ monachæ: habuit collegia viduarum, & earum quæ fuerant vniuiræ, harum reliquiæ, opinor, ſunt quæ in hoc eleemoſyna ſuſtentantur, vt ægrotantibus & morientibus adſint ac inſeruiãt, vulgò Beguttas ſiue Beguinas. D. Epiphanius

Vidua.

ſub finem Commentariorum ſuorum de octoginta Hæreſibus veteris inſtituti meminit, atque Diaconiſſarum officia deſcribit. Et in veterum conciliis frequens eſt viduarum mentio, in quibus deſcribitur quid eis Eccleſiæ, & quid illæ huic debeant: quæ vt copioſius proſequamur, non eſt huius vel operis vel inſtituti. *Conuocātes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Sic ſolet fieri vt frequenter murmura oriantur inter eos qui ex communi aluntur, dum perpetuò alius putat meliorem partem ab alio præoccupari, dū miniſtri conqueruntur de recipientibus quaſi nulla re poſſint contentari, & rurſum recipientes de illis quaſi infideliter communes opes adminiſtrent: vnde murmur hic inter Chriſtianos exortus, alicui fortaſſe videri poſſet res leuicula. Atqui Apoſtoli non ignorantes ex breui aliquandò ſcintilla magnum fieri incendium, ideoque principiis obſtandum eſſe, putant ſe hoc in loco nihil diſſimulare debere, ideoque multitudinem diſcipulorum, hoc eſt, Chriſtianorum cōuocant, conſulturi cum eis quomodo res inſtituenda ſit, vt murmur exortum ſopiatur, & deinceps omnia modeſtius & quietius agantur. Quoniam verò veriſimile eſt totam multitudinem Apoſtolos maluiſſe diſpenſationem omnem rerum victui neceſſariarum in ſe ſuſcipere: ideo Apoſtoli ſe ante omnia excuſant quod ipſi his rebus licet alioqui ſanctis incumbere non poſſint, ideoque de aliis adminiſtris prouidendum eſſe. Sic ergo inquiunt: Non eſt æquum, nec eſt probandum, quum Dominus nobis iniunxerit officium Euāgelij deprædicandi, vt nos obmiſſa delegata functione euangelizādi miniſtremus mēſis, hoc eſt, occupemur circa res quæ ad victum neceſſariæ ſunt. Vtrunque bonū eſt, & pauperū agere curā, & prædicare Euangeliū. Atqui plures inueniūtur qui rē coquinariā curarē poſſunt, quàm qui euangelizādo populo pręeſſe queāt. Et Euāgelica functio liberū requirit hominē, qui huic ſoli dedit⁹ ſit; nō qui aliis & ſęcularib⁹ negociis ſit implicatus. Nō eſt ęquū, inquiūt, nō eſt eiuſmodi ꝙ nobis placere poſſit, aut ꝙ nos ſuſcipere cōueniat, vt poſthabito Euāgelij miniſterio miniſtrem⁹ mēſis. Hęc verba oībus qui ſacris initiati ſūt diligēter pōderāda & iudicāda ſūt. Certè ſi rē ſanctā (quid enim ſācti⁹

quàm inopum gerere curam?)propter rem ſanctiorem obire noluerunt Apoſtoli, quid reſpondebunt qui agriculturę,piſcationi,ludo,venationibus ita inuoluuntur,vt aut nullum, aut minimum temporis precationibus, & ſacrarum ſtudio literarum, prædicandoque Dei verbo impendant? An non legimus Paulum ſic ſcribentem ad Timo-
1.*Timot*. 4. theum:Incumbe lectioni & doctrinæ?Hæc exerce, in his eſto, vt tuus profectus manifeſtus fiat omnibus. Attende tibi ipſi & doctrinę,perſiſte in his:id ſi feceris,te ipſum ſer
2. *Timot*.2. uabis, & eos qui te audierunt. Hæc quidem Timotheo ſcribuntur,ſed ſic vt ad omnes clericos pertineant. Nemo militans Deo,inquit Apoſtolus,implicat ſe negociis ſæcularibus. Et iam olim in concilio Epiſcoporū ſtatutum eſt
Li.1.*epiſt*.9. (ſic enim ſcribit D. Cyprianus) ne quis de clericis & Dei miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat,cùm ſinguli diuino ſacerdotio honorati,& cuncti in clericali ſtatu conſtituti,non niſi altari & ſacrificiis deſeruire,& precibus atque orationibus vacare debeant. Quòd ſi quis contra hoc decretum facere pręſumpſerit, cenſuerunt iidem venerandi Epiſcopi vt non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur. Verùm noſtro tempore nullum officium tam vile eſt,quin iniungatur ſacerdotibus,& quod iſti nō libenter in ſe ſuſcipiāt. Sed ſatis querelarum.*Conſiderate ergo fratres,viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientia,quos cōſtituamus ſuper hoc opus:nos verò orationi & miniſterio verbi Dei inſtantes erimus*. Vide hîc obſecro,mi frater,quot virtutes requirant Apoſtoli in eo qui præficiēdus eſt diſtribuēdis eleemoſynis. Neque enim volunt obuium quenquam eligi, ſed talem qui habeat bonum teſtimonium probatæ nimirum vitæ ſuæ,in quo argumenta boni ſpiritus & ſanctæ ſapientiæ appareant. Sed vnde deprehendi poteſt hominem bono ſpiritu duci? ex fructibus, inquit Chriſtus, deprehendi poteſt vtrum arbor bona vel putris exiſtat.
Galat.5. Iā,iuxta Paulū,fructus ſpiritus ſunt,charitas, gaudiū, pax, patiētia,longanimitas, bonitas,benignitas,māſuetudo,fides, modeſtia,cōtinentia, caſtitas. Igitur qui alienus eſt à charitate,qui iracundus,qui percuſſor,qui auarus, q inuidus, qui elatus exiſtit, hic non ſolùm indignus, ſed etiam ineptus eſt,qui eleemoſynarum diſpenſationi pręficiatur.

Præfectus enim eiuſmodi non dominus pauperum, ſed humilis ſeruus eorum eſſe debet, perſuaſiſſimum habens ſe non tam pauperibus, quàm ipſi Chriſto inſeruire. Sed expendamus verba Apoſtolorum. Primò non modicę modeſtiæ ac humilitatis eſt, quòd Apoſtoli, reliquos licèt infimæ ſortis homines fratrum nomine appellant, Viri fratres, inquientes. Secundò cùm dicit, Conſiderate ex vobis viros, oſtendunt ex Chriſtianis eſſe eligendos diſpenſatores eleemoſynarum, non ex Iudæis vel Gentibus. Quam enim fidelitatem exhibuiſſent ſuperſtitioſi Iudæi, aut idololatræ gentes bonis Chriſtianis? nam qui in vna religione non conueniunt, in rebus etiam ſæcularibus rarò per omnia conueniunt. Exempla noſtro ſæculo clariora ſunt quàm velimus. Tertiò non vnus aut alter eligendus eſt tãtùm, ſed ſeptem, vt intelligamus Chriſtianum populum non parùm fuiſſe auctum, nec illos paucas habuiſſe eleemoſynas, ad quarum diſtributionem tam multis opus habuêre miniſtris. Quartò quales eligendi ſint, docet: Viros, inquiunt, boni teſtimonij, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, hoc eſt, viros de quibus certa & conſtans fama eſt, eſſe viros pios & prudentes. Sic alibi Dominus deſiderat ſeruum fidelem & prudentem, quem conſtituat ſuper familiam ſuam. *Lucæ 12.* Si enim pius tãtùm eſt, elargietur quidem, ſed citra diſcrimen, & facilè decipitur: ſi verò tantùm prudens eſt, non quæ Dei, ſed quæ ſunt mundi curabit. Atqui pietas & prudentia copulatæ, ad hoc miniſterium ſunt aptiſſimæ. Sed quid interim facient Apoſtoli? nunquid ipſi iterum ocientur? nequaquam: nos autem orationi & miniſterio verbi, inquiunt, inſtantes erimus. Ergo ad ſolos Apoſtolos ſpectat orationi & miniſterio verbi incumbere? an non & alij Chriſtiani intenti debent eſſe orationibus? an & diaconis non licet inſtare verbi miniſterio? Sed ſequentia teſtatum facient etiam diaconos nõ abſtinuiſſe à verbi miniſterio. Quid verò de oratione dicendum? an ad ſolos Apoſtolos putemus pertinere vt orẽt pro Eccleſia? nequaquam. Omnium enim & ſingulorum eſt, & pro ſe & pro vniuerſa Eccleſia orando intercedere. Vnde non eſt dubium apud me, quemadmodũ & in ſuperioribus etiam admonui, Apoſtolorum tempore Chriſtianos etiam habuiſſe ſtatas precandi horas, in quibus conueniebat popu-

lus Chriſtianus, vt ſic communibus votis Deum pro Eccleſiæ incolumitate precarentur. Vt ſit ſenſus: Septem illi quos eligendos putamus, in hoc præcipuè ſint intenti, vt eleemoſyna rectè inſtituatur ac diſtribuatur, vt vnicuique prout habet, adminiſtretur: nos verò in hoc toti erimus, vt omnia quæ vel ad precationes, vel ad verbi miniſterium attinent, ſedulò, ordinatè, & diligenter inſtituātur. Ex quibus diſcimus non ſolùm verbi miniſterium ad clericos & miniſtros Eccleſię pertinere, ſed etiam miniſterium, vt ita loquar, precandi. Habeat ergo Eccleſia ſuos Eccleſiaſtes, habeat etiam ſuos precatores & pſaltes, & benè habebit: atqui noſtro tempore, quod ad hanc rem attinet, omninò circa extrema laboratur. Apud noſtros circa pſalmos, hymnos, & precationes occupantur, verbi Dei non eſt magna æſtimatio: apud alios ſolùm verbi Dei miniſterium ad aſtra extollitur, & eſt certè ſummis laudibus extollendum, ſed ordinatus & Canonicus, vt vocant, Eccleſiæ cantus, ac precandi ſtata tempora non ſolùm ſilent, ſed etiam peſſimè audiunt. at certum eſt, quòd in benè conſtitutis Eccleſiis vtrunque ſeruari debebat. An non apertum iam eſt, quod Apoſtoli dicunt: Nos autem orationi & verbi miniſterio inſtantes erimus? Et Paulus ad Timotheum Epiſcopum ſcribens, inquit: Qui benè præſunt presſbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo. Ergo ſunt etiam alii presbyteri, qui in Eccleſia laborant, & honorari debent, etiamſi in verbo non laborent: verum qui in verbo laborant, aliis pręferri debent. Et in priori ad Corinthios ſcribit idem Apoſtolus: Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? & qui altario deſeruiunt, cum altario participant? ita & Dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Audis ergo hîc operantes in ſacrario, audis altario inſeruiētes, audis & Euangelium annūciantes: ex quibus iā facilè iudicare potes quo loco habēdi ſint, qui vel preces & cātus Eccleſiaſticos, vel verbi miniſterium in Eccleſia vel cōtemnunt, vel omninò calūniantur. Enimuero qui Eccleſiæ miniſteria vel remorantur, vel porrò abolere, pergūt, ſtrictiſſimū experientur iudicem eum, in cuius gloriam templa & oratoria cōſtructa ſunt. Videmus ô boni, videmus in hac rę manifeſtiſſi-

1. Timot. 5.

1. Corint. 9.

mam & grauiſſimam Dei vindictam. Per multa ſæcula verbi miniſterium in multis templis planè friguit: cantus verò Eccleſiaſticus mirè triumphauit. Iam per aliquot annos verbi (vtinam Dei) miniſterium ſic irrumpit apud multos, vt cantui Eccleſiaſtico nec contemptiſſimum quidem locum concedere velle videatur: verùm hoc non eſt reformare Eccleſias, ſed conculcare. Verùm ne plus æquo hîc videar digreſſus eſſe, ad Lucam noſtrum redeamus, audituri quid populo Chriſtiano viſum ſuper ſententia & propoſitione Apoſtolorum.

Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, et Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenã Antiochenum. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus. Sanis obſequi cõſiliis, non minima eſt felicitas: & hominibus ſpiritu Dei imbutis acquieſcere, eſt ipſi Deo acquieſcere. Qui vos audit, ait Chriſtus ad ſuos Apoſtolos, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Meritò itaque & placuit, & placere debuit Chriſti fidelibus conſilium Apoſtolorum, vt quos Spiritu ſancto in omnem veritatem duci compertiſſimum habebant. Elegerunt itaque Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto, & reliquos de quibus etiam nihil mali timere poterant, ſed viros optimæ ſpei, quantum quidem hominibus iudicare datum eſt. Septem itaque hos ex omni multitudine ſelectos præſentârunt Apoſtolis tanquam ducibus Chriſtiani gregis, tanquam præcipuis Eccleſiæ paſtoribus. Apoſtoli itaque pro ipſis orantes, impoſuerunt eis manus. Quòd orant pro ipſis, argumento eſt eos indigere peculiari gratia ad dignam huius muneris functionem: qua de re nonnihil paulò ſuperiùs diximus. Quòd verò eis imponunt manus, ritu & cæremonia hac externa declarare volunt, ſeptem illos viros dignos adiudicatos, qui tam ſancto poſthac fungantur miniſterio. Sed de impoſitione manuum alibi dicemus. Sunt iam qui ex huius facti hiſtoria contendunt non aliud eſſe aut fuiſſe Diaconorum miniſterium, quàm diſpenſationem eleemoſynarum, quod quàm abſurdum ſit, quilibet vel mediocriter in ſacris & aliis hiſtoriis verſatus facilè iudicare poterit: neque ex Canonicis literis probari poſſe putamus in

aliqua alia Eccleſia fuiſſe talem rerum communionem, qualis in prima Hieroſolymorum Eccleſia fuerat. Quid igitur neceſſum fuit ordinare Diaconos ad miniſterium, quod nullum in aliis Eccleſiis erat? Et Paulus ipſe in ea quæ prior eſt ad Timotheum epiſt. deſcribit quidem qualis debeat eſſe ordinandus Diaconus, ſed diſpenſationis eleemoſynarum nullam facit mentionem. Vnde illi rectè ſentire mihi videntur, qui Diaconum aſſerunt miniſtrum eſſe ſacerdotis in omnibus rebus ſacris adminiſtrandis: hoc quod etiam praxis Eccleſiæ noſtræ Catholicæ & vetuſtiſſimus mos habet. Vnico enim Miſſæ ſacro excepto quod Diacono facere non licet, reliqua omnia ferè communia habet cum ſacerdote. Poteſt enim baptizare, poteſt prædicare, poteſt populis à ſacerdote cõſecratum corporis & ſanguinis Domini Sacramentum adminiſtrare: breuiter Diaconus Epiſcoporum & ſacerdotum miniſter eſt, vnde etiam nomen habet. Sed ſinamus hæc ocioſos diſcutere: nos ad alia properamus. Sequitur.

Et verbum Dei creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Hieruſalem valdè: multa etiam turba ſacerdotum obediebat fidei. Nihil hîc difficultatis eſt, niſi quod Lucas annotatione dignum cenſuit, quod in Hieruſalem, in qua Chriſtus occiſus eſt, in qua Apoſtoli toties capti, in vincula coniecti ac flagris cæſi ſunt, populus fidelium ſic creuerit, ſic multiplicatus fuerit, vt videamus Eccleſiam melius habere in perſecutionibus, quàm in ipſis deliciis. Sic antiquus Iſraëliticus populus in captiuitate Ægyptiaca longè ſubmiſſius ſe geſſit, quàm quum promiſſa frueretur terra ſancta. Sic & nos in rebus aduerſis modeſtius nos habemus, quàm in proſperis. Bonum mihi, inquit Dauid, quoniam humiliaſti me. Et: Multiplicatæ ſunt infirmitates
Pſalm. 72. eorum, poſtea accelerauerunt. De aliis verò dicitur: In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur: ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua. Addit Lucas quòd non ſolùm ex plebeis multi acceſſerint Euangelio, verumetiam complures ex ordine ſacerdotum, qui priùs conſpirauerant aduerſus Chriſtum & Apoſtolos, tacti pœnitentia, ac poſito faſtu ſubmiſerint ſeſe iugo Euangelico. Et oportebat quidem iſtos ante omnem plebem veniſſe, vt qui legis conſulti vi-

debantur, & aliis in omni virtutum genere præire debebant: ſed ſat citò, vt ille ait, ſi ſat benè. Cęterum hoc etiam magnum Dei opus cenſeri debet, quòd aduerſantibus & repugnantibus tantis, & tot principibus viris Euangelico negocio, tamen hoc ſic promouerit, vt non iam vnus & alter, ſed & multitudo populi, & ingẽs turba ſacerdotum, qui prius & Ieſum Chriſtum in crucem adegerant, & diſcipulos eius extremo odio fuerant proſecuti, iam ſe numero diſcipulorum Chriſti adiungunt, neque hominum minas timentes, neque ipſorum magnifica promiſſa attendentes: hæc nimirum eſt mutatio dexteræ excelſi. Iam ex hoc facto etiam conſideratur & obſeruatur maxima Dei clemẽtia, quãdo videmus quòd eis ſacerdotibus, qui priùs Chriſtum vnigenitum Dei filium perſecuti ſunt & occiderunt, nunc confertur à Deo donum fidei & cognitionis Chriſti, vt & ipſi per Chriſtum habeant remiſſionem peccatorum, & ſalutem conſequantur æternam. Vnde & nos docemur etiam remittere debere aduerſariis noſtris ſua in nos delicta, præſertim cùm illorum in nos delictum non poſſit eſſe tam graue, quàm vel ſacerdotes in Deum deliquerint, vel nos ipſi aduerſus Deum peccauerimus.

Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Deſcripta iam ordinaria vocatione & inſtitutione Diaconorum, auſpicatur nunc hiſtoriam Stephani elegantiſſimam quidem illam & fructu plenam. Præmittit autem in hac perſonæ deſcriptione, Stephanum fuiſſe virum veracem, fidelem, & firmũ, plenum ſancto Spiritu, id eſt, omnibus præclaris & ſanctis dotibus ornatum, atque ob hæc plenum gratia, id eſt, prorſus gratum acceptúmque hominibus piis, atque impiis verẽdum maximè propter inuictum animi robur. Huc accedebat miraculorum virtus, quæ ſpectabilem aliâs multò efficiebat illuſtriorem. Videmus autem quòd Lucas nõ inſtituerit omnes Apoſtolorum & Diaconorum actus deſcribere, (quis enim hoc poſſet?) ſed tantum præcipuorũ, nimirum Petri & Pauli, & Diaconorum Stephani & Philippi: vnde reliquorum hiſtorias ex aliis fide dignis ſcriptoribus colligere licebit. Sed redeamus rurſum ad contextum. Stephanus autem plenus gratia, &c. Ante diaconij miniſterium, licet Stephanus prædicetur fide ac Spiritu ſancto plenius

fuiſſe, tamen non legitur quòd aliquod miraculum fecerit. Vnde putat Chryſoſtomus, ordinationem illi gratias auxiſſe. Obſeruandum itaque hic ſtatim ab initio huius hiſtoriæ, quòd Chriſtus Ieſus in ipſo Stephano veritatem ſuarum promiſſionum, quas pollicitus eſt iis qui ſuæ vocationi ſumma fide ſeruiunt, comprobauit. Dixit enim Christus: Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te cõſtituam. Et rurſus: Omni habenti dabitur, & abundabit. Itaq; cùm Stephanus ſumma fide cõmiſſum munus adminiſtraret, & ſuper pauca fidelis eſſet, maiora à domino beneficia ac planè apoſtolicas virtutes cõſecutus eſt. Principiò plenus fit gratia, hoc eſt, apud eos qui Euangelio credunt, gratioſiſſimus atq; acceptiſſimus redditur. Nemo quidem omnibus placere poteſt: at piis placere, hoc demum ingens Dei beneficium eſt. Qui enim apud pios gratioſus eſt, is habet ſemper qui pro ipſius ſalute ſolliciti ſint, & qui pro ipſo apud Deum intercedant: non poteſt autem fieri, vt piorum ſollicitudo atque oratio vana & irrita ſit. Deinde Stephanus redditur plenus fortitudine, hoc eſt, fortem & inuictum habet animum tolerandi aduerſa, quæ partim ipſi à querulis & moroſis quibuſdam diſcipulis propter diſpenſationem, partim ab aduerſariis fidei accidebant. Poſſe autem aduerſa æquo & forti animo perferre, maxima virtus eſt, & ingens Dei beneficium. Mundus enim iudicat fortem virum, qui iniurias ſibi illatas grauiter vindicat & ſeueriter vlciſcitur: eum autẽ imbecillum cenſet, qui iniurias negligit. At quemadmodum is eſt corpore fortior, qui maius onus ferre poteſt, imbecillior qui non poteſt: ita is animo fortior eſt, non qui iniurias quæ ſunt grauiſſima onera, ferre nõ poteſt, ſed qui iniurias ſuffert, & iis animo non deiicitur: adeóq; hæc fortitudo animi tanta virtus eſt, vt non naſcatur in carne mortali, ſed ſit opus Spiritus ſancti. Proinde à Domino poſtulanda eſt, & precibus ambienda, vt hoc dono præditi, aduerſa magno animo toleremus. Vltimum donum, donũ ſiue gratia miraculorum fuit, de qua nihil iam amplius dicemus, timẽtes ne prolixiores hîc fuerimus. Sequitur autem. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga quæ appellabatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorũ, & eorum qui erant à Cilicia & Aſia diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere*

Matt.25.

Spiritui qui loquebatur. Ruſus hîc verificatur quod Chriſtus diſcipulis ſuis pollicitus fuerat,dicens: Iniicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in Synagogas & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides propter nomen meum:continget autem vobis in teſtimonium.Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum reſpondeatis. ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Quòd verò hęc verba non ad ſolos Apoſtolos dicta ſint,ſed ad omnes Chriſti diſcipulos,præſentis hiſtorię lectio arguit. Licet enim multi ac docti viri cum Stephano diſputarent,tamen nullus erat in toto doctorum virorum numero,qui illum vincere poſſet,ſed ſemper triumphabat veritas. Neque enim putare debes idiotas & indoctos homines contra Stephanum in arenam deſcendiſſe, ſed qui eruditione & eloquentia videbantur omnium inſtructiſſimi. Erant enim Hieroſolymis multa collegia ſtudioſorum hominum,& illa ſortiebantur nomina à patriis & regionibus eorum qui illa præcipuè incolebãt,quemadmodum & in ciuitatibus Chriſtianorũ, vbi celeberrima ſunt ſtudioſorum hominum Gymnaſia. Sic Hieroſolymis erat collegium ſiue Synagoga Libertinorum, eorum ſcilicet Iudæorum,qui licet in Gentium diſperſionem capti erant, ſeſe tamen vel pecunia Romanis data, vel officiis fideliſſimis ſe & ſuos filios à ſeruitute aſſertos ingenuos fecerant & liberos : hos enim Libertinorum nomine intelligit Chryſoſtomus. Sic erat collegium Cyrenenſium, ſic collegium Alexandrinorum, ſic alia atque alia collegia in quibus operam dabant literis tam ſacris quàm prophanis. Certò enim perſuaſum habebant, nullam religionem poſſe conſiſtere, in quo non floreant bona & ſacra ſtudia: quod vtinam & noſtræ religionis homines pro dignitate expenderent. Omnes conquerimur nullos aut paucos eſſe doctos & eruditos, ſed non ſapientius conquerimur, atque ſi quis conquereretur nullum eſſe meſſis prouentum, qui ne granulum quidem ſeminaſſet. O oſcitantiam noſtram non dico deplorandam, ſed grauiſſimè puniendam, qui tam bona ingenia negligimus, qui tam pinguem prouentum Eccleſiæ inuidemus. Maiori cura prouidemus arboribus noſtris, quàm liberis noſtris.

Quòd ſi cogitaremus quàm ſtrictam rationem Deo reddituri ſint parentes pro illis, haud dubiè maiori diligentia curarent eos, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Sunt quidem qui corpora illorum ſatis curant, ſed de animorum cultu nihil cogitatur. Ferunt Cratem illum antiquum ſolitum dicere, exclamaturum ſe magna voce ſi licuiſſet ab altiſſima vrbis parte, accuſaturúmque hominum ſtoliditatem, qui cum cogendarum pecuniarum tanto ardore raperentur, filiis tamen, quibus eas relicturi eſſent, erudiendis vel minimam vel nullam curam impenderent: ego verò non tantum hoc, quòd filios ad bona non erudiunt, arguo, ſed & illud maximè deteſtor, quòd illos vi quadam ad mala diſcenda & ſectanda compellunt. Malunt enim habere diuites, quàm bonos. Sed hæc parerga: ad Lucam noſtrum reuertimur. Itaque docti illi viri ex variis collegiis veluti coniurati coorti ſunt aduerſus Stephanum, diſputantes aduerſus illum. Qua de re diſputarint Lucas non exprimit, ſed facilè coniiciendum eſt ex ſequenti oratione Stephani. Cæterùm etſi enim illorum eſſent multi, & iuxta mundum valde docti, tamen non poterant vni reſiſtere Stephano, propterea quòd Spiritus ſanctus, quo plenus erat, loqueretur per illum. Hoc autem non ſic intelligendum eſt, quaſi Iudæi illi nihil omninò contradixerint, ſed quòd nihil probabile aut veriſimile reſponderint: quamlibet, vt fit in huiuſmodi concertationibus, non obticuerint, ſed ſe victores iactarint, &c. Non puto me ingratum facturum vobis, ſi adiecero ex Eccleſiaſtica hiſtoria exemplum noſtro propoſito accommodatiſſimum. Hoc Euſebius ſic refert. Cùm pro ſtudio religioſi Imperatoris Conſtantini Auguſti ex omni terra Sacerdotes Dei coiſſent, opinione commoti Philoſophi quoque & Dialectici valde nobiles & opinatiſſimi conuenerunt. In quibus quidam inſignis in arte Dialectica per dies ſingulos conflictus ſummi certaminis cum Epiſcopis noſtris viris, at æquè in Dialectica non improbabiliter eruditis, mouebat, & fiebat ingens ſpectaculum conuenientibus ad audiendum doctis & literatis viris: nec tamen vllo genere Philoſophus concludi à quoquam poterat, aut conſtringi. Tanta enim dicendi arte obiectis quæſtionibus occurrebat, vt vbi maximè putaretur

[Margin: Lib. 10. cap. 3.]

aſtrictus, velut anguis lubricus elaberetur. Sed vt oſtenderet Deus quia non in ſermone regnum Dei, ſed in virtute conſiſtit, quidam ex confeſſoribus ſimpliciſſimæ naturæ vir, & nihil aliud ſciens niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum, inter cæteros auditores Epiſcopos aderat. Qui cùm vidiſſet Philoſophum inſultantem noſtris, & callida ſe diſputationis arte iactantem, poſcit ab omnibus locum, velle ſe paucis cum Philoſopho ſermocinari. Tum verò noſtri, qui ſimplicitatem viri & imperitiam de ſermone duntaxat noſſent, pauere, & velut pudorem quendam pati, ne fortè apud callidos homines riſui efficeretur ſancta ſimplicitas. Perſtitit tamen ſenior, & hinc mouit ſermonis exordium: In nomine, inquit, Ieſu Chriſti, Philoſophe audi quæ vera ſunt. Deus vnus eſt qui fecit cælum & terram, quíque homini, quem de terræ limo formauerat, ſpiritum dedit, vniuerſa quæ videntur & quæ non videntur, virtute verbi ſui creauit, & ſpiritus ſui ſanctificatione firmauit. Hoc verbum ac ſapientia, quem nos filium dicimus, humanos miſeratus errores ex virgine naſcitur, & per paſſionem mortis à perpetua nos morte liberauit, ac reſurrectione ſua æternam nobis contulit vitam: quem & exſpectamus iudicem omnium quæ gerimus eſſe venturum. Credis hoc ita eſſe Philoſophe? At ille, velut ſi nunquam vllum ſermonem contradicendi didiciſſet, ita obſtupefactus virtute dictorum, mutus ad omnia hoc ſolùm potuit reſpondere, Ita ſibi videri, nec aliud verum eſſe quàm quod dixerat. Tum ſenior: Si hæc, inquit, ita eſſe credis, ſurge & ſequere ad dominicum, & huius fidei ſignaculum (ſic baptiſmum haud dubiè nominat) ſuſcipe. Et Philoſophus cõuerſus ad diſcipulos ſuos, vel ad eos qui audiendi gratia conuenerant, audite, inquit, ô eruditi viri: Donec verbis mecum geſta res eſt, verba verbis oppoſui, & quæ dicebantur, dicendi arte ſubuerti: vbi verò pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti, nec homo potuit aduerſari Deo. Et ideo ſi quis veſtrûm potuit in his quæ dicta ſunt ſentire quæ ſenſi, credat Chriſto, & ſequatur hunc ſenem in quo loquutus eſt Deus. Ita Philoſophus Chriſtianus eſt effectus, tandem ſe gratulatus eſt victum. Et hæc quidem hactenus, prolixè quidem, ſed ni

fallor, pulchrè. *Tunc ſubmiſerunt viros, qui dicerent ſe audiuiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen & Deum.* Hic impiorum eſt genius, vt ſi pios veritate vincere non poſſunt, ad calumnias & falſa teſtimonia currant. idem
Matth. 26. certè Chriſto domino noſtro accidit. Quum enim ſiſteretur coram Caipha Sacerdotum Principe Chriſtus, quærebant Iudæorum reliqui proceres falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent, & non inuenerũt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Hic dixit & nos au-
Marci 13. diuimus eum dicẽtem: Ego diſſoluam templum hoc manu factum, & poſt triduum aliud non manufactum ædificabo. Eiuſdem criminis accuſatur etiam Stephanus: & veriſimile eſt quòd dixerit veterem legem iam eſſe transferendam, ſed non aliter atque in ipſa lege veteri & typis præluſum, & diſertis verbis prædictum fuerat. Cæterum
Obſerua. ex ſequentibus rem hanc melius intelligemus. Hoc autem hîc obſeruandum, quòd etiam illi qui legis ſunt trãſgreſſores perfidiſſimi, accuſant Stephanum violatæ legis, non attendentes quòd ſeipſos condemnant in eo quod Stephanum accuſant. Addam, tantum habebatur tum crimen blaſphemaſſe Deum ac eius cultum, vt non eſſet
Obſerua. aliud æquè capitale. Atqui apud nos licet Chriſtianis dicere de Chriſto & Chriſtianorum religione, quæ etiam puderet Iudæos, & vererentur Gentiles coram nobis de nobis dicere: hinc fit quòd omnia tam pacata iam ſint in Chriſti Eccleſia. Verùm apud Iudæos nullum crimen, ſicut diximus, capitalius, quàm blaſphemiæ, nec apud populum atrocius, vnde ſequitur. *Commouerunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & ſtatuerunt falſos teſtes qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum & legem: Audiuimus enim dicentem, quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.* Iam diximus Iudæos quantũuis impios nunquam impunè ſiuiſſe quenquam calumniari religionem ipſorum, vtcunque ipſi parùm illam curarent. Ergo dum à doctis illis ſubornantur teſtes, qui affirmant Stephanum blaſphemaſſe legem, & Deum, & Moſen per quem legem acceperant, continuò commouentur, non ſolùm

plebs inerudita, ſed & Seniores & Scribæ. Et quoniam nouerant ad ſe priuatim non pertinere, vt de aliquo quãtumuis impio pœnas ſumerent, ſed ad magiſtratum, duxerunt Stephanum in concilium, & ſubornatos ſycophantas & falſos teſtes producunt, qui dicerent quæ iam ex Luca prælecta ſunt. Homo iſte, inquiunt, homo iſte. Magni contemptus verba ſunt, Homo iſte, impius, blaſphemus, religionis noſtræ apoſtata, Galilæi illius ſectator. homo iſte non ceſſat loqui verba blaſphema aduerſus locum ſanctum, & legem. Non ſolùm templum blaſphemat in quo Deus colitur, ſed etiam legem, in qua quomodo Deus coli à nobis velit præſcribitur. Adiiciũt enim pro maiori interpretatione hæc verba: Audiuimus eum dicentem, inquiunt, quòd Ieſus Nazarenus iſte demolietur locum hunc, & mutabit inſtituta quæ tradidit nobis Moyſes. Hoc an dixerit Stephanus, à Luca non ſignificatur. Verùm ſolent falſi teſtes vel prorſus mentiri, & aſſerere factum eſſe quod reuerà factum non eſt, vel nonnihil de ſuo aſſuere, vt iam oratio longè aliam accipiat faciem quàm prius, vel ſimpliciter dicta peruertere & adulterari: quæ omnia crediderim in hac Stephani accuſatione facta eſſe. Ille fortaſſis dixerat Deum non probare cæremonias amplius veteris legis, quia quem illæ præfigurauerant iam adueniſſe, nec iam ſicut hactenus Moſen audiendum, ſed potiùs Meſſiam ad quem Moſes ipſe populum miſerat: neminem item poſſe ſalutem conſequi, niſi in Chriſtum credens vitæ veteris pœnitentiam ageret, nec quenquam excuſari quòd externo illi cultui valdè addictus ſit. Deum enim eſſe ſpiritum, & ideo in ſpiritu & veritate adorandum. Hæc, inquam, & alia in hunc ſenſum fortè dixerat Stephanus, quæ omnia falſi teſtes aliò per calumniam detorquent. Quòd ſi etiam dixiſſet Ieſum Nazarenum deſtructurum locum ſanctum, hoc eſt, cultum templi, & mutaturum inſtituta Moſis, nihil blaſphemiæ dixiſſet. Nam in ipſo Moſe prædictum fuerat inſtituta ſua non diutius duratura, quàm vſque ad Meſſiæ tempora: ſed in ſequenti capite audiemus Stephanum ſeipſum magna fiducia, ſummóque veritatis patrocinio defendentem. Certè Iudæi nunquam potuerunt æquo animo ferre eos, qui ipſis exprobrabant ſuperſti-

Sycophantarum indoles.

tionem & impietatem, & quod alieni ab omni iuſtitia confidebant in externum illum templi cultum: neque tamen defuerunt qui etiam cum magno vitæ ſuæ periculo illis in faciem dicerent, quæ ęgerrimè audiebant. Apud Hieremiam cap. 7. legimus dominum ſic Prophetę dicentem atque imperantem: Sta in porta domus domini & prædica ibi verbum iſtud, & dic: Audite verbum domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has vt adoretis dominum. Hæc dicit dominus exercituum Deus Iſrael. Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum domini, templum domini, templum domini. Quoniam ſi benedixeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, ſi feceritis iudicium inter virum & proximum eius, aduenæ & pupillo & viduæ nō feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & poſt deos alienos non ambulaueritis in malum vobiſmetipſis: habitabo vobiſcum in loco iſto, in terra quam dedi patribus veſtris à ſęculo & vſque in ſęculum. Eadem ferè habes apud eundem Prophetam cap. 11. Sic apud Eſaiam ſtatim ab initio deteſtatur dominus impudentem Iudæorum impietatem, atque adeò impiam eorum impudentiam, qui cum omnibus vitiis ac ſceleribus eſſent addictiſſimi: tamen ob externum cultum templi promittebant ſibi certam à domino ſalutem. Sed quid dominus ad hæc per Prophętam? Audite verbum domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorræ. Quo mihi multitudinem victimarum dicit dominus? plenus ſum, holocauſta arietum & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Et poſt omnium cæremoniarum reiectionem ſubdit: Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis méis. Sed hæc hactenus. Det dominus ne & in nobis ſint, qui non recto pede ad pietatem incedunt. Sed redeamus ad verba Lucæ, & videamus quàm inuidioſè & odioſè omnia eloquantur falſi teſtes contra Stephanum: Homo iſte qui coram vobis aſtat, hic homo nihili non ceſſat loqui, hoc eſt, indeſinenter loquitur verba blaſphema contra templum & inſtituta Moſis: quaſi dicat, ſi ſemel tantum aliquid dixiſſet tale, iu-

le, iudicari poſſet illi per imprudentiam fortè excidiſſe, ſed quoniam perpetuò ac indeſinenter paria dicit, quis non videt hominis peruicaciam? Et ſi homini alicui priuato, aut merè humanis conſtitutionibus detraheret, non eſſet tantum nefas: quoniam verò & in Deum, & in Prophetas, & in horum cultores inuehitur, quis hanc contumeliam æquanimiter ferre poſſet? Videmus ergo quàm eloquentes, & ad iniquitatem benè exercitatos habeat miniſtros Satanas: videmus item quàm credulum ſit vulgus, & quàm euanidus ſit fauor popularis. Iam non ita pridem ita adhærebant Apoſtolis, vt etiam magiſtratus præ illis nihil crudeliùs audebat tentare contra Apoſtolos: & ecce iam ſeſe apponunt falſis illis calumniatoribus. Nos quidem impietatem vulgi execramur, ſed tamen admonemur quatenus homines honorare & beneuolentia proſequi debeamus, nimirum donec pietati non contradixerint: quum verò inceperint in Deum & huius verum cultum peccare, tum porrò ablegandi & abnegandi ſunt. Sequitur in contextu. *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Res eſt pauida, vt ille inquit, animus ſibi malè conſcius, ſed hæc tandem virum fortem faciunt nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. Et apud Poetam Ethnicum legimus: Difficile eſt crimen non prodere vultu. Vnde hi qui aduerſus Stephanum conſidebant in concilio intuentes eum & obſeruantes qua fronte crimen obiectum exciperet, videbant illum adeò non deiici aut exanimari, aut metu expalleſcere, vt facies illius quiddam homine maius, & angelicam quandam alacritatem ſimul ac maieſtatem præ ſe ferre videretur. Intuentes, inquit, eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciē angeli. Non vnus atque alter, ſed omnes intuebantur eũ, nec vni vel alteri viſum eſt Stephani faciem plus quàm hominis ſit clareſcere, ſed omnibus: quia innocentia & pietas Stephani omnibus debebat innoteſcere, & volebat dominus omnibus illis conſiliariis occaſionem reſipiſcendi obiicere. Certè debebant illi in memoriam reuocare claritatem illam quæ apparebat olim in vultu Moſis, & ex hac coniicere quid de Stephano ſentiendum: verùm ſic eos inuidia excæcarat, vt videntes nihil viderent, & au-

Vulgi inconſtantia.

Quatenus homines amandi.

dientes nihil intelligerent, hoc quod iam continenter ſequenti capite eluceſcet. Sequitur itaque in capite ſeptimo.

CAPVT VII.

Dixit autem Princeps Sacerdotum, ſi hæc ita ſe habent? Qui ait: Viri fratres & patres audite: Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ cùm eſſet in Meſopotamia, prius quàm moraretur in Charran, & dixit ad illum: Exi de terra tua & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtrauero tibi. Rogat hic princeps ab Stephano, num verum ſit quod teſtes contra ipſum dicunt. Hoc autem non facit quòd cupiat ipſam rei veritatem cognoſcere, & tum vel innocentem abſoluere, vel nocentem punire, ſed tantùm vt aliquam ſaltem iudicij ſpeciem exhibeat, ne vis non ius videretur eſſe quod cum Stephano agere inſtituerant. Sed diuus Stephanus non ſurdus vel mutus ad hæc apologiam inſtituit nõ tam prolixam quàm piam, in qua ſatis teſtatum facit, quam probè ab adoleſcẽtia ſua in ſacris literis verſatus fuerit, quàm ſanè eas intelligat, & quòd lex ipſi verus pædagogus fuerit ad Chriſtum. Nos itaque ad defenſionem diui Stephani iam accedimus. Primò captat beneuolentiam amicè ac familiariter eos alloquens: Viri patres & fratres, inquit, audite. Fratres illos vocat quia cum ipſo eiuſdem generis eſſent, & conſuetudo patriæ & gentis habebat, vt Iudæus Iudæum fratris appellatione dignaretur. Patres verò vocat, quia & ætate & auctoritate graues erant quos alloquebatur. Et probi & bene inſtituti filij eſt, vt honorificè ſeniores appellet, viros patrum, mulieres matrum appellatione cohoneſtans. Sed hæc aliàs: iam ſic orditur. Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, &c. Quid hæc ad accuſationem illam? quid pro defenſione Stephani? Audi obſecro diligenter capita accuſationis, hoc eſt, ſtatum cauſſæ qua de agitur, & quæ ſequentur nequaquam futura ſunt intellectu difficilia. Accuſatur Stephanus quod dixerit Ieſum demoliturum locum ſanctum, hoc eſt, templum Hieroſolymitanum, & inſtituta Moſis immutaturum, ideóque Stephanum eſſe blaſphemum in Deum, in

Moſen, & in legem. Iudæi verò perſuaſum habent, & templum Hieroſolymitanum,& diuinum in ipſo cultum, & legem à Moſe traditam quo ad omnes circunſtantias perpetuò duratura, nec quenquam præter & extra legis obſeruationem poſſe ſaluari. Stephanus itaque probabit etiam Deum electos ſuos habuiſſe antequam lex inciperet, & multos præter legis Moſaicæ obſeruatione͂ & Deo placuiſſe, & ſalutem conſecutos eſſe. Deinde quæ ratio templi ſit, probè enarrat, interim legis Moſaicæ immutationem aliquando futuram eſſe,etiam in lege ipſa prædictum eſſe oſtendit. Sed nos hæc omnia ſuo loco,& quantum fieri poteſt breuiſſimis annotabimus. Deus gloriæ, inquit, apparuit patri noſtro Abrahæ. Non ſimpliciter dicit, Deus apparuit Abrahæ: hoc enim contemptum Dei & Abrahæ præ ſe ferret. Ergo Deum vocat gloriæ, videlicet qui in ſe eſt glorioſiſſimus, & ſine cuius fauore nemini vera gloria contingere poteſt. Vocat autem Abraham communem patrem,vt innuat etiam ſe vnum eſſe ex filiis Abrahæ cui debeatur promiſſio. Hic ergo Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ cùm eſſet in Meſopotamia priuſquam moraretur in Charran, hoc eſt, apparuit ei, id eſt, amauit eum, fauit ei antequam circunciderετur, antequam exiret de terra ſua,antequam immolaret filium ſuum. Nullo ergo opere meruit Abraham fauorem & gratiam Dei, ſed Deus gratuitò & ex ſola miſericordia elegit ſibi Abrahamum. Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtrauero tibi. Deus accepit Abraham ex gratia in filium, donans ei ſpiritũ ſuum bonum: iam quomodo illius animum exploret,videamus. Iubet eum chariſſima quæque deſerere,nec apertis verbis quò ipſum ducturus ſit oſtendit. Exi, inquit, de terra tua, & de cognatione tua. Quis autem non tenetur amore patrij ſoli? quis ſic omnem humanum exuit affectum, vt non præ aliis amet cognatos? Sed hæc iubetur Abraham relinquere, & addit dominus: Veni in terram quam monſtrauero tibi. Sed quam monſtrabit illi? an meliorem vel deteriorem illa quam relinquere iubetur? De hoc nihil loquitur Deus, nec Abraham ſuper ea re multum ſollicitus eſt. Hinc ſequitur in textu. *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Char-*

Romano. 4.

Gene. 12.

ran. Et inde, poſtquam mortuus eſt pater eius, tranſtulit in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis. Magnum hîc nobis in Abraham exemplum obedientiæ proponitur, quod tum intelligere poteritis, quando animaduerteritis quàm inobedientes & rebelles eſſe iam ſoleant homines. Nam ſi Abraham aliquis è vulgo fuiſſet, dixiſſet vtique: Agè, iubes relinquam terram quam inhabito, cognationem, domum paternam, quare non imperando vt locum hunc relinquam certiorem me reddis quantũ ſit iter? vnde enim mihi illud innoteſceret? quod hac quam relinquo vberior & præſtantior ſit illa? At Abraham nihil horum vel dixit vel cogitauit, ſed reſpiciens ad magnitudinem eorum quę imperata erant, iis quæ in manibus habebat incerta præferebat. Statim enim atque præceptum domini audiuit, exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charran ciuitate Meſopotamiæ: mortuo autem eius patre qui appellabatur Thare, tranſtulit illum dominus in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis. Nolumus in oratione ſiue apologia Stephani prolixiores eſſe: ſolùm hoc vbique obſeruandum, Iudæis nullum gloriandi ac ſeſe extollendi locum relictum, quaſi ſuis meritis in terram promiſſionis peruenerint, quum dominus ex ſola & magna gratia Abrahæ & poſteris illam promiſerit, antequam Abraham vel circumcideretur, vel aliquid aliud in gratiam Dei faceret. Ergo omnia beneficia Dei in Iudæos collata, Deo non illorum meritis aſcribenda ſunt. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis, ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini eius poſt ipſum cùm non haberet illum.* Quæcunque Stephanus in tota hac apologia adducit, videtur ea intentione adducere, vt probatam nobis redderet non tam gratiam Dei, quàm Abrahæ ingentem & fortiſſimam fidem: quæ duo ſi ob oculos ſemper habebimus, non erit neceſſarium prolixiùs de omnibus hiſtoriis quæ producuntur diſſerere. Vide enim quid hoc loco dicat, vide quæ rerum ſit conſequentia, vide quàm mirabiliter probetur & agitetur Abrahæ fides. Pollicitus eſt Deus Abrahæ terram Palæſtinorum ſic, vt non ſolus Abraham, ſed vniuerſum huius ſemen illam quaſi hæreditario iure poſſideret: iam vide quàm nulla rerum ſit conſequentia. Pollicitus quidem eſt Deus Abrahæ, ſicut diximus, terram il-

Iam, ſed ne paſſum quidem pedis dedit ei in illa, ſed quæcunque in illa habere voluit non hæreditario, ſed emptionis iure accipere debuit. Dein promiſit dominus poſteros & hæredes Abrahæ illam terram poſſeſſuros, & ecce Abraham nullos liberos habet nec filios nec filias: verùm Abraham eiuſmodi rerum abſurditate(ſic enim iudicat mundus)nihil mouetur, ſed relinquit ea quibus aſſueuerat, & vadit ad occupanda quæ non nouerat. Et hæc eſt veræ fidei verus genius, Dei promiſſis nihil anteponere. Hæc omnia ſi quis ſingillatim excutere velit, & fidem Abrahæ cum noſtra incredulitate conferre, quam latiſſimum haberet dicendi campum? ſed nos nolumus proliziores eſſe quàm argumenti ratio poſtulare, & vobis expedire videbitur. Sequentia itaque audiemus.

Locutus eſt autem ei Deus, quia erit ſemen eius accola in terra aliena, & ſeruituti eos ſubiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis, & gentem cui ſeruierint iudicabo ego, dicit dominus: & poſt hæc exibunt & ſeruient mihi in loco iſto. Gene. 15.

Vide quot promiſſiones ad Abraham factæ ſint. Locutus eſt ei Deus, quia ſemen, hoc eſt, poſteritas eius erit accola ſiue inquilina in terra aliena. Nondum habet aliquem puerum Abraham, & tamen de huius poſteritate quid futurum ſit prædicatur: & verè ſic factum eſt. Neque enim Iſraelitæ ſemen Abrahæ continuò venerunt in terram Palæſtinorum, ſed tandem poſt quadringentos triginta annos. Prius enim oportebat illos multa aduerſa pati, ſeruituti ſubiici, & malè tractari, non quòd non poſſet Deus illos ſtatim in promiſſam terram introducere, ſed quia tantas afflictiones peccata illorum merebantur: quibus verò mediis in Ægyptum venerint, notius eſt quàm vt hîc referri debeat. Addit dominus. Gentem cui ſeruient iudicabo, hoc eſt, condemnabo & puniam ego. Hoc autem de Ægyptiis intelligendum, quibus ſeruierunt Iſraelitæ duriſſima ſeruitute, ſed quam pœnam de illis Deus ſumpſerit, nemini non notum eſt.

Et dedit illi teſtamentum circuncîſionis, & ſic genuit Iſaac, & circumcidit eum die octauo, & Iſaac Iacob, & Iacob duodecim patriarchas.

Et hæc notiſſima ſunt nobis ex primo Moyſis libro. ſic autem incipiunt promiſſiones Dei Abrahæ factæ verifi-

cari. Primò itaque hîc contra Iudæos obſeruandum, quòd Abraham magnificas illas promiſſiones non accepit poſt circumciſionem, ſed priuſquam circumcideretur, ne quis putaret Abraham propter circumciſionem Deo placuiſſe: vnde & Paulus vocat circumciſionem ſignaculum iuſtitiæ fidei. Nam Abraham circuncisionem in ſe recipiens, hoc ipſo facto teſtatus eſt ſeſe totum conſecraſſe Deo, ſe Deo in omnibus credere, ſe Deo in nullo non obedire, ſe de illius magnificis promiſſis nihil dubitare. Hanc rem

Romano. 4. diuus Paulus in Romanis ſuis pulcherrimè deducit de Abraham, dicens: Qui contra ſpem, in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli, & arena maris. Et non infirmatus eſt in fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cùm iam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromiſſionem enim non dubitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere, &c. Abraham itaque iam circumciſus genuit Iſaac, & circuncidit Iſaac: nimirum rurſum vt declararet ſe adhuc conſtantem ac fortem in fide eſſe. Sic Iſaac ex ſe genitum Iacob circumcidit, non alia ratione quàm ipſe circumciſus fuerat. Iam & Iacob duodecim patriarchas pari ratione circumcidi fecit, videlicet vt teſtarentur hoc ſigno ſeſe de Dei promiſſis, quæ Abrahæ factæ fuerant, non dubitare, ſeſeque totos Deo in obſequium conſecrare. Iam per hos duodecim patriarchas multiplicata eſt Abrahæ poſteritas, quæ quomodo in Ægyptum, in qua poſtea ſeruituti ſubiectæ fuerunt, peruenerint, ſtatim incipiet Stephanus recenſere. Multa verò hîc diſſimulat, tum quæ ad Dei beneficia, tum etiam quæ ad Iſraelis ingratitudinem pertinere videntur. Neque enim inſtituerat totam illam veterum patriarcharum texere hiſtoriam, ſed tantum ea producere, quæ proximè ad inſtitutum ſuum pertinere videbantur. *Et Patriarchæ æmulantes Ioſeph vendiderunt in Aegyptum, & erat Deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam & ſapientiam in conſpectu Pharaonis Regis Aegyptiorum, & conſtituit eum præpoſitum ſuper Aegyptum, & ſuper omnem domum ſuam.*

Quare fratres Ioſeph contra ipſum inuidia moti fuerint, teſtatur Moſes lib.1. cap.37. videlicet quòd inuidebant ei gloriam, quam illi à Deo præparari Deus ipſe iam ſomniis quibuſdam adũbrauerat. Noluit autem Stephanus nefas illud pro merito exaggerare, ſed breuib᷒ tantũ attingere. Neq; enim dicit quòd in animo iã cõceperant illũ occiaere, quod etiã feciſſent, niſi Ruben obſtitiſſet ſuis conſiliis, dicẽs: Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrẽ noſtrũ & celauerimus ſanguinẽ ipſius? melius eſt vt vẽdatur Iſmaëlitis, & manus noſtræ non polluantur: frater enim, & caro noſtra eſt, &c. Hęc, inquam, quę Patriarchis magno dedecori eſſe poſſent, noluit pluribus referre, ſed quæ Dei benignitatem erga Ioſeph declarant fuſiùs recenſuit, inquiens: Deus erat cum Ioſeph, & vt hoc intelligeremus, addit per interpretationem: Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius. Quas tribulationes putat? quas à fratribus, ab Ægyptiis, à Pharaonis vxore, & in carcere pertulit: de his, inquam, loquitur, quæ omnia in Geneſi pulchré deſcripta ſunt. Vide autem quod liberationes has non Ruben fratri, nõ Pharaoni, ſed Deo adſcribit, qui ſua prouidentia paſſus quidem eſt tentari Ioſephum ſuum dilectum, ſed non paſſus eſt ipſum occumbere. Vnde etiam Stephanus addit: Deus dedit ei gratiam & ſapientiam in conſpectu Pharaonis regis Aegyptiorum, & cõſtituit eum præpoſitum ſuper Ægyptum, & ſuper omnem domum ſuam. Hæc habentur Gene. cap. quadrageſimo primo, quę breuitatis gratia huc transferre noluimus. Sed videamus rurſum, quæ ad inſtitutum Stephani pertinent. Patriarchæ licet ſignaculum fidei in carne ſua haberẽt, quo ſeſe Deo, ſicut diximus, obſtrinxiſſent, tamen nihilo meliores facti ſunt, ſed per inuidiam fratrem ſuum, quem libentiùs occidiſſent, in Aegyptum vendiderunt. Tanta ſcilicet impietate meruerũt introduci in terram promiſſionis: immò meruerunt vt ipſi arctiſſimæ ſubiicerentur ſeruituti. Iam Ioſeph licèt inter medios idololatras, licèt miſerè afflictus, licèt multas & magnas peccandi occaſiones haberet: tamen ſignaculo ſuo fidei reſpondit ſemper ad omnem voluntatem Dei ſeſe comparando, & ei fideliter obſequendo, nihil dubitans quin Deus promiſſionis ſuæ nunquam futurus eſſet immemor. Exemplum hîc habes, vt tribula-

tionibus varíis vexatus patiens ſis, nunquam deſperes, perpetuò illud cogitans quod Dominus de pio tribulato dicit: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. *Venit autem fames in vniuerſam Aegyptum & Chanaam, & tribulatio magna, & non inueniebant cibos patres noſtri.* Famem hanc ſignificauerat Dominus Pharaoni Ægyptiorum regi futuram per duo ſomnia, quorum alterũ ſub imagine ſeptem boum macilentarum, & ſeptem ſpicarum tenuium alterum: quæ tamen ſomnia rex ipſe non intelligebat, nec quiſquam coniectorum vel ſapientum ſuorum, illorum interpretationem exponere poterat. Tãdem deuentum eſt ad Ioſeph, qui tum adhuc tenebatur in carcere, & ille interpretationem ſomniorũ regi expoſuit, dicens: Septem boues pulchræ & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem vbertatis anni ſunt, eandémque vim ſomnij comprehendunt. Septem quoque boues tenues & macilentæ, quæ aſcenderunt poſt eas, & ſeptem ſpicę tenues, & vento vrente percuſſę, ſeptem anni venturæ ſunt famis, qui hoc ordine complebuntur. Ecce ſeptem anni venient fertilitatis magnæ in vniuerſa terra Aegypti, quos ſequẽtur ſeptem anni alij tantæ ſterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia. Conſumptura eſt enim fames omnem terram, & vbertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo. De hac itaque fame Stephanus hoc loco loquitur, ſignificaturus qua occaſione Iacob cũ filiis ſuis in Aegyptum peruenerit, ſimul etiam intuens, quantas tribulationes veteres illi patres ſuſtinuerint, vtcunque magnas promiſſiones à Deo acceperant. Magna certè tribulatio & afflictio eſt ſeptemnem pati famem: nobis etiam annua intolerabilis videtur, quum tamen famis occaſiones non abſcindamus. Enimuero non eſſet tanta fames, ſi Dei donis cum gratiarum actione vti didiciſſemus, & temporalium bonorum fideles diſpenſatores eſſemus. Atqui quum iam nemo ſua contentus ſit ſorte, & ſinguli omnia ad ſe rapere feſtinant, & vnus helluo tantum conſumit, quantum multis ſufficere poſſet, non eſt mirabile quod etiam in magna rerum copia multi inopiam patiuntur. Verùm nos hæc non animaduertimus, ſed cauſſam famis & ſterilitatis nunc intemperieï aëris, nunc Satanæ, nunc verò veneficis aſſcribimus, quum illam potiùs peccatis no-

Fames vnde

ſtris aſſcribere deberemus. Sic enim in Deuteronomio legimus: Quòd ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui vt cuſtodias & facias omnia mandata eius, mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua quæ tu facies, donec conterat te & perdat te velociter. Sed hæc aliàs: nam quæ ſequuntur adiicienda ſunt. *Dent. 28.*

Cùm audiſſet autem Iacob eſſe frumentum in Aegypto, miſit patres noſtros primùm, & in ſecundò cognitus eſt Ioſeph à fratribus ſuis & manifeſtatum eſt Pharaoni genus eius. Mittens autem Ioſeph, accerſiuit Iacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuagintaquinque. Stephanus omnia hæc quã poteſt breuiſſimè recenſet, quum tamen omnia pulcherrimè per Moſen conſcripta ſint, quomodo ſcilicet Iacob filios ſuos cum muneribus in Aegyptum miſerit, quomodo ab Ioſeph interrogati, quomodo repoſitione pecuniarum in ſaccis tentati, quomodo Ioſeph ab illis cognitus non potuerit lachrymas cohibere, quomodo veniam ab illo rogârint: hæc, inquam, omnia noluit Stephanus copioſiùs proſequi, vt quæ erant apud Iudæos decãtatiſſima. Diſcamus ex hac hiſtoria boni magiſtratus bonorúmque Principũ eſſe, vt prudentes ſint rerum æſtimatores, & prouidenter omnia agant, vt ſemper habeãt, quo ſubditorum ſuorum inopiam ſubleuare poſſint. Videmus enim Pharaonem in annis fertilibus tantam frumentorum vim repoſuiſſe, vt non tam ſuis, quàm peregrinis auxilio eſſe potuerit. Et ſolet quidem Deus aliquando ſic diſtribuere bona illa temporalia, vt hi omninò careant quibus alij abundant, vt ſic & horum miſericordiam, & illorum probet patientiam. Secundò diſcimus Deum ſemper curam agere ſuorum, hiſque variis modis opitulari. Caret quidem Iacob frumento: atqui argentum habet vnde illud comparare poſſit. Adde quod Iacob de Dei prouidentia quidem nihil dubitat, ſed interim non recuſat filios ſuos mittere in Aegyptum ad emenda frumenta. Qui enim eiuſmodi oblatas occaſiones, & apta media, vt vocant, negligit, non Deo fidere, ſed potiùs Deum tentare dicendus eſt. Præſentibus itaque occaſionibus cum timore Dei vtendum eſt: abſentibus verò illis nequaquam deſperandum eſt. Tertiò diſcamus hoc in loco ad exemplum Ioſephi proximis & fratribus, qui in nos peccauerunt, non ſolum ignoſcere & *Obſerua.*

nihil nōcere,ſed etiam illis ex animo benefacere. Scimus quàm parū fraternè Ioſeph à fratribus ſuis tractatus fuerit iam olim, & videmus quam beneficus iam ſit in illos, quum tamen ipſis iam talionem reddere poſſet commodiſſimè. Nam Ioſeph auctoritate valet, & illi huius opera indigent:neque tamē illis quidquam mali facit, immò nec exprobrat quidem quæ olim in ipſum fecerant, nec aliquid illorum inuidiæ,ſed omnia diuinę prouidentiæ aſſcribit:dicens:Præmiſit me Deus, vt reſeruemini ſuper terram,& eſcas ad viuendū habere poſſitis. Non veſtro conſilio,ſed Dei voluntate huc miſſus ſum,qui fecit me quaſi patrem Pharaonis,& dominum vniuerſæ domus eius, ac principem in omni terra Aegypti. Quartò diſcant hoc in loco pueri ſiue liberi,vt in ſublimitate conſtituti, vel diuitiis locupletati pauperum & miſerorum parentum vel amicorum non obliuiſcātur:quod exemplum vtinam multi imitarentur,quos pauperum amicorum & pudet & pœnitet, non cogitantes quod ſcriptura dicit de Deo: Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.

Gen.46. *Et deſcendit Iacob in Aegyptum, & defunctus eſt ipſe & patres noſtri. Et tranſlati in Sychē, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham precio argēti à filiis Emor filij Sychem.* Moſes teſtatur quod quum Iacob iam eſſet in itinere Aegyptum verſus, Deus illi apparuerit, dicens: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui. Noli timere, ſed deſcende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc,& ego inde adducam te reuertentem, Ioſeph quoque apponet manus tuas ſuper oculos tuos. Audiens itaque Ioſeph per Iudam internuncium patrem ſuum venientem,iuncto curru ſuo aſcendit obuiam patri, irruítq; ſuper collum eius,& inter amplexus fleuit, dixítque pater ad Ioſeph:Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſu-

Gen.47. perſtitem te relinquo.vixit itaque Iacob in Aegypto decē & ſeptem annos.Cùm autē appropinquare cerneret diem mortis ſuæ, vocauit Ioſeph filiū ſuum & dixit ad eum: Si inueni gratiā in conſpectu tuo, pone manū tuam ſub fœmore meo,& facias mihi miſericordiā & veritatē, vt non ſepelias me in Aegypto,ſed dormiam cū patribus meis, & auferas me de terra, hac, condáſq; in ſepulchro maiorum meorū:quę omnia pollicituseſt Ioſeph ſe facturū id quod

re ipſa pręſtitit. Nec ſolus Iacob noluit in Aegypto ſepeliri ſed & Ioſeph ipſe. Cùm enim eſſet annorũ centũ & decem, vocauit fratres ſuos & dixit eis: Poſt mortẽ meam Deus viſitabit vos, & aſcẽdere vos faciet de terra iſta ad terram quã iurauit Abrahã, Iſaac, & Iacob: aſportate itaque oſſa mea vobiſcũ de loco iſto. Vnde & in Exodo legim⁹, quòd Moſes relicturus Aegyptum tulerit oſſa Ioſeph ſecũ: qua de re nõnihil dicemus, vbi nobis diſputatio inſtituetur de ſuffragiis, quę fiũt pro vita defunctis. Iã ad contextũ reuer timur. *Cùm autẽ appropinquaret tẽpus promiſsionis quã confeſſus erat Deus Abrahæ, creuit populus & multiplicatus eſt in Aegypto, quoadusque ſurrexit alius rex in Aegypto, qui non ſciebat Ioſeph.* Et hæc omnia clariſſimè habentur in Moſis libris. Mortuo enim Ioſeph & vniuerſis fratribus eius, omníque cognatione ſua, filij Iſraël creuerũt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleuerũt terrã. Surrexit interea rex nouus ſuper Aegyptũ, qui ignorabat Ioſeph, hoc eſt, longo tẽpore iã obierat Ioſeph, vt nouus iſte rex illũ nec de facie noſcere, nec illius beneficia olim Aegyptiis, per illũ pręſtita ſcire potuerit. Notatur autẽ hîc ingratitudo & ſtultitia regis, imprudentiáq; earũ rerum quę reges ſcire debẽt. non ſolũ futura, ſed & præterita nõ ignorare oportet mũdi rectores & magnos principes. Si annales prædeceſſorũ ſuorũ legendo conſuluiſſet, nõ ignoraret Ioſephũ, & quanta per hunc beneficia Dominus exhibuerit vniuerſis Aegyptiis. Nã ſic fecerat Aſſuerus iubens ſibi afferri hiſtorias & annales priorũ temporũ, & hæc omnia ante ſe legi: quæ res non ſolũ Mardochæo tum profuit, ſed omnes Iudæos à tyrannide ſuperbiſſimi ac crudeliſſimi Haman liberauit. Nota eſt hiſtoria ex libello qui prudẽtiſſimè Heſter inſcribitur. Sed videamus ſequẽtia ex oratione Stephani. *Hic circũueniens genus noſtrũ afflixit patres noſtros, vt exponerent infantes ſuos, ne viuificarentur.* Hanc rem ſic deſcribit Moſes. Et ait rex Aegypti ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſraël multus & fortior nobis, venite ſapienter (callidè) opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & ſi ingruerit cõtra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatíſque nobis egrediatur de terra, præpoſuítq; eis magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus. Quantóq; opprimebant eos, tanto magis multiplicaban-

Gen.50.

Exod.13.

Heſter.6.

tur & creſcebant. Oderántque filios Iſraël Ægyptii,& affligebant illudentes eis & inuidentes, ádq; amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omníque famulatu quo in terræ operibus premebantur. Dixit autem rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum, quarum vna vocabatur Siphra, altera Phua, præcipiens eis: Quando ob ſtetricabitis Hebræos, & partus tempus aduenerit,ſi maſculus fuerit, interficite illum: ſi fœmina reſeruate. Timuerunt autem obſtetrices Deum,& non fece runt iuxta præceptum regis Ægypti,ſed conſeruabant ma res. Quibus accerſitis ad ſe rex,ait: Quídnam eſt hoc quod facere voluiſtis vt pueros ſeruaretis? Quæ reſponderunt: Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres. Ipſæ enim habent obſtetricandi ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt. Hactenus ex ſecundo Moſis libro,ex quibus multa præclara hîc annotare poſſemus. Primò enim verificatur prophetia ad Abraham facta, quòd ſemẽ ſuum grauiſſimas paſſiones & afflictiones eſſet paſſurum. Secundò quòd Satanas per ſuos miniſtros nunquam ceſſat perſequi populum Dei, & in hoc filium Dei verum Meſſiam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,qui ex Abrahę ſemine naſciturus exſpectabatur. Et Ægypti quidem rex timebat, ne opprimeretur ab Hebræis: Satanas verò timebat, ne ex hoc ſemine progeneraretur Chriſtus,à quo ille regno ſpoliaretur,&c. Sed hæc copioſiùs proſequi non eſt

Exod. 2. huius inſtituti. *Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo, qui nutritus eſt tribus menſibus in domo patris ſui. Expoſito autem illo, ſuſtulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum ſibi in filium.* Egreſſus eſt vir de domo Leui, ait vetus hiſtoria,& accepit vxorem ſtirpis ſuæ, quæ concepit & peperit filium, & videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus. Cúmque iam cælare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, poſuítque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis ſtantè procul ſorore eius,& conſiderante euentum rei. Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine,& puellę eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione,miſit vnam è famulabus ſuis,& allatam aperiens, cernénſque in ea paruulum vagientem, miſerta eius ait: De infantibus Hebræo-

rum eſt hic. Cui ſoror pueri: Vis, inquit, vt vadam & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſſit infantulum? Reſpondit, vade. Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam. Ad quam locuta filia Pharaonis, Accipe, ait, puerum iſtum, & nutri mihi, & ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier puerum & nutriuit, adultúmque tradidit filię Pharaonis, quem illa adoptauit in locum filij, vocauítque nomen eius Moyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum. Moſche enim Hebræis idem ſonat quod extractus. Sic ergo ordinatione diuina euadit vnicus ille Moſes, contra quem ferè ſolum fuerat excogitata, & à dæmone ſuggeſta vniuerſalis crudelitas, vt diſcamus vbique confidere Domino, qui mirabiliter eximit ſuos, & conſolatur in ſe ſperantes. Plenos enim fuiſſe fide & pietate Moſis parentes, ſacra Scriptura diſertis verbis teſtatur. In Epiſtola enim ad Hebræos ita ſcriptum eſt: Per fidem cùm natus eſſet Moſes, occultatus eſt menſes tres à parentibus ſuis, propterea quòd viderent elegãtem puellum, nec veriti ſunt edictum regis. Tametſi enim maxima Iſraëlitarum pars contempſerunt promiſſiones Dei Patriarchis dictas, & ſeruierunt Ægyptiacis idolis: tamen reſeruauit ſibi Deus aliquot pios, qui non ſunt obliti diuinarum promiſſionum. Inter quos & parentes Moſis, qui cùm viderent grauiſſimam Dei afflictionem, reuocauerunt in memoriam promiſſiones Dei, quas à patribus quaſi per manus traditas acceperant, fore aliquandò vt Abrahæ poſteritas in infinitum quaſi multiplicata poſſideret terram Chanaan. Hac ergo ſpe freti ſpacio trium menſium apud ſe puerum detinuerunt, deindè forſan timentes ne à Pharaonis miniſtris repertus occideretur, fiſcellæ benè diſpoſitæ incluſum in aquam ponunt, nimirùm nihil dubitantes Deum non defore puello illi, nec ſpe ſua fruſtrati ſunt. Moſes enim mirabiliter, vt audiſtis, in aquis ſeruatur, à filia Pharaonis inuenitur & ex aquis extrahitur, à filia Pharaonis in filium adoptatur. Recitantur ab Hebræis varia & verè admiranda quæ circa Moſen puerum contigerunt. Scribit enim Ioſephus parentes Moſis antequam hunc generarent, à Deo per ſomnium intellexiſſe qualis & quantus futurus eſſet filius, quem propediem eſſent generaturi. Scribit etiam quòd quidam Sacrorum ſcriba apud Ægyptios vati-

Hebr. 11.

Antiq. li. 2. cap. 8.

cinatus fuerit regi ex Hebræis naſciturum,qui Ægyptum vniuerſam perditurus eſſet. His addit Moſen puerum tam elegantis fuiſſe ſpeciei & pulchritudinis,vt neminem non in ſui admirationem trahere ſoleret. Deindè addunt quòd regium diadema adhuc puer in terram proiecerit,ac pedibus calcauerit, omine quodam oſtendens ſe fore deuaſtatorem Ægyptiorum . Multa alia de hoc ſancto puero à Iudæis narrantur, quæ nos vt ſuperuacanea huc tranſſcribere noluimus : nos tamen ex hoc loco nonnulla quæ putamus obſeruatu digniſſima, hîc annotemus. Et primò quidem obſeruandum, quòd Moſes prædicatur Deo fuiſſe gratus ſtatim atque à parentibus prognatus fuit, vbi necdum templum, nec ſacerdotium, nec ſacrificia legis exiſtebant : vt intelligamus Deo etiam eos placere qui legem Moſis iuxta Iudęorum ſententiam non obſeruant. Secundò obſeruandum, quòd his verbis Stephanus tacitè ſe purgat ab illorum calumniis qui ipſum accuſauerant, quaſi blaſphemus & iniurius fuiſſet in Moyſen. hîc enim Stephanus totus eſt in deprædicandis & celebrandis Dei laudibus. Tertiò vide mirabile Dei conſilium in adimplendis ſuis promiſſionibus. In ſuperioribus audiuimus de ſancto Patriarcha Ioſeph, quomodo per ſomnium intellexerat ſe adorandum à parentibus & fratribus ſuis: verùm cùm à fratribus venditur, cùm in Ægypto ſeruit, cùm etiam in carcerem coniicitur, cùm non in priuatum quendam, ſed in regem ipſum peccaſſe accuſatur, quis putaſſet illum ad tantum tanti honoris peruenturum faſtigium? Sic Moſes à Deo electus eſt, vt tanquam fortiſſimus dux populum Iſraël ex Ægyptiaca ſeruitute eripiat. Sed quàm multa videntur Dei conſiliis obſtare? Cauet rex Ægyptius ne quenquam Hebræorum puerorum patiantur ſuperuiuere, Moſes in flumen mittitur, à Pharaonis filia & educitur & educatur. Quis putaſſet Pharaonem huic parſurum puero, nedum eum educaturum? Atqui quoniam Deus Moſen voluit ſuo præfici populo, vniuerſus, vt ita dicam, mundus ad hoc inſeruire debet, vt fiat quod Deus futurum eſſe præordinauit. Sed ſuffecerint hæc nobis qui non ignoramus nullum conſilium, nullámque ſapientiam contra Dominum eſſe. Si quis Ieſu Chriſti Domini noſtri infantiam cum Moſis infan-

tia contulerit, inueniet collationem pulcherrimam. Nos ad alia properamus. *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Aegyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus ſuis.*

Quæ hoc loco Ioſephus narrat de bello aduerſus Æthiopes à Moſe adminiſtrato, & de filia regis Æthiopum à Moſe in vxorem ducta, nolumus hîc prolixius proſequi: neque tamen dubitamus Deum ſic omnia ordinaſſe circa Moſen, vt omnia ipſius ſeruierint concilijs. Sed de Moyſis eruditione ac ſapientia hîc inueſtigandum venit. Qualis Ægyptiorum ſapientia fuerit, ex ipſis ſacris literis non admodum apertè liquet. Videtur autem veriſimile eos habuiſſe viros ſapientes, qui in Magia, quam vocant, naturali fuerint exercitatiſſimi, quíque habuerint occultiora naturæ ipſius magis experta & cognita, quàm reliqui homines. Et ex ipſo Exodo apparet quales fuerint Magi illi, qui ſuis præſtigiis etiam diuina miracula obfuſcare conati fuerunt. Et perſuaſum habebant Moſen quidquid miraculorum faceret, omne id facere per Magiam naturalem, quomodo & illi ſua figmenta. Quum autem ipſi Pharaonis Magi miraculum quo Moſes adduxerat Cynifes imitari non poſſent, eo deducti ſunt, vt faterentur Moſen eiuſmodi opus non propria arte, ſed Dei auxilio facere. Dicebant enim, digitus Dei eſt. Diuus Auguſt. in 18. de ciuitate Dei libro, cap. 39. exiſtimat Ægyptiorum ſapientes præcipuè in Aſtronomia excelluiſſe. Ego illis facilè ſubſcribo qui putant Ægyptios in omnibus ſcientiis, quas mundus magni faciebat, excelluiſſe: vnde & multorum magni nominis virorum peregrinationes leguntur ad Ægyptios eſſe inſtitutæ non alio nomine, niſi vt Ægyptiorum ſapientia, qualis qualis fuerit, imbuerentur. Sed hæc res non tenebit diutius occupatos nos, qui maluimus dicere quæ ædificant, quàm quæ tantùm delectant. Obſeruandum itaque primùm quòd veteris Teſtamenti ſcriptura non teſtatur quòd Moſes eruditus fuerit in omni ſapientia Ægyptiorum: vnde Diuus Stephanus illud haud dubiè ex patrum traditione accepit, quemadmodum & Diuus Paulus alibi Magos illos qui Moſi obſtiterunt, ſuis appellitat nominibus Iamnes & Iambres, quod vetus hiſtoria nullibi dicit. Vnde vanum eſt, quòd quidam nihil vel credere vel audire velint, niſi quod in ſacris literis

Sapientia Aegyptiorum qualis.

Vide Ludo. Celiũ lect. Antiquarũ lib. 9. cap. 3. & ſeq.

Non omnia ſunt in veteri Teſtam. conſcripta, quæ in Nouo recitãtur

quaſi omnibus finibus ſuis ſit deſcriptum. Atqui Paulus non ea tantùm obſeruari vult, quæ Epiſtolis conſignauit, ſed etiam quæ viuo ſermone auditores ſuos docuit. Obſeruandum ſecundò, quòd Pharaonis filia Moſen in pueritia non neglexit, ſed doctis viris erudiendum commendauit: quod exemplum vtinam & vos, quibus Deus liberos dedit, ex animo & diligenter imitaremini. Nam qui à teneris, quod dicitur, vnguiculis benè inſtituuntur, ij tandem efficiuntur viri potentes ſermone & operibus.

Liberi probè inſtituendi.

Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor eius, vt viſitaret fratres ſuos filios Iſraël.

Hoc non ſic intelligendum eſt, quaſi Moſes ſemper in aula Pharaonis fuerit, & interea temporis nonnunquam deambulandi aut animi gratia fratres ſuos Iſraëlitas inuiſerit: ſed quòd cùm eſſet annorum quadraginta, aulam Pharaonis prorſus reliquerit, & recuſauerit deinceps vocari filius filiæ Pharaonis, ac maluerit inter Iſraëlitas ſuos abiectus viuere, quàm in aula Pharaonis magna auctoritate præditus eſſe. Huius rei tibi fidem faciat, quòd Paulus in hæc verba ſcribens, dicit: Fide Moyſes iam grandis factus negauit ſe eſſe filium filię Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. Magnum hoc fidei exemplum eſt, relinquere immò & contemnere temporalia bona quæ vides, & ad quæ non niſi per multas ac magnas tribulationes peruenire potes. *Et cùm vidiſſet quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei qui iniuriam ſuſtinebat percuſſo Ægyptio. Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis: at illi nõ intellexerunt.*

Moſes quando aulam reliquerit.

Hebr. 11.

Vellem hîc rurſus alloqui & admonere illos, qui ſic extollunt Scripturæ auctoritatem, vt Eccleſiæ auctoritatem vix imis ſubſelliis dignentur, hoc eſt, aduerſarios noſtros hîc admonere vellem, vt diligenter hunc Apoſtoli Lucæ locum, aut potiùs verba D. Stephani obſeruent, quibus Moſen homicidij accuſatione abſoluit, docens quare Moſes Ægyptium occiderit, non ſcilicet malo quodam odio, ſed ductu bono Spiritus ſancti. Atqui in Moſe libris tacetur, qua ratione iſtud homicidium à Moſe perpetratum

Eccleſiæ auctoritas non parui facienda.

tum

tum fuerit. Quis hæc igitur ſignificauit Diuo Stephano? vnde eius rei teſtimonium deſumpſit? Certè aut ex libris quæ temporum iniuria, vel hominum iniuria perierunt; aut ex traditione parentum ſuorum, aut ex peculiari ſancti Spiritus reuelatione. Igitur & quæ Eccleſia iam obſeruat non expreſsè in literis Canonicis expreſſa, non ſtatim reiicienda ſunt, ſed exiſtimandum quod illa vel ex deperditis iam libris, aut ex Apoſtolorum traditione, aut ex Spiritus ſancti reuelatione didicerit, nobíſque deinceps ſic obſeruanda præceperit. Sed ad contextum. Cùm Moyſes vidiſſet, inquit Stephanus, quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei qui iniuriam ſuſtinebat percuſſo Ægyptio, & cætera. Hanc hiſtoriam in ſecundo Moſis libro ſic deſcriptam legimus: In diebus illis poſtquam creuerat Moyſes, egreſſus eſt ad fratres ſuos, viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus: cùmque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Aegyptium abſcondit Sabulo. Hoc in loco aliqui diſputant rectène an ſecus fecerit Moyſes occidendo Ægyptium, & huic quæſtioni occaſionem præbet liber Exodi, eo quòd non explicat quamobrem Moyſes illum occiderit, aut à quo vt illud faceret mandatum acceperit. Atqui ſi verba Diui Stephani ritè intellexerimus, nullus nulli quæſtioni relinquitur locus. Stephanus enim dicit, quòd Moyſes percutiendo Ægyptium putauerit Iſraëlitas intellecturos, ſe eſſe qui liberaturus eſſet Iſraëlem. Iam quî potuiſſet hoc Moſes putare, niſi per reuelationem aliquam cognouiſſet ſe ad hanc prouinciam vocatum? Si igitur à Deo populi Iſraëlitici dux conſtitutus fuit, illius intererat defendere ſibi commiſſos Hebræos. Sed quid hîc opus eſt multa diſputatione? Si Moyſes vt priuatus homicidium perpetrauit, à peccato excuſari non debet, ſicut nec illum in hoc imitari debemus: ſi verò vt populi dux benefecit, & à magiſtratu imitandus eſt, vt ſcilicet & ipſe innocentes à tyrannorum oppreſſione defendere non dubitet. Præmiſſis addit Stephanus quòd Iudæi non intellexerint quid Moſis factum portenderet. Quare putas hoc adiecit Stephanus? haud dubiè vt oſtenderet Iudæos ipſos non putaſſe inſtare iam

An Moſes peccarit occidendo Aegyptiū.

Iudæi ignorant tempus liberationis ſuæ.

tempus in quo liberarentur, quum ſummam paterentur ab Ægyptiis tyrannidem, & omnia viderentur Iudæis minari interitum. Porrò ſi Iudæi promiſſionum Dei ad Abraham fuiſſent memores, facilè potuiſſent intelligere quadringentos annos iam ferè completos, de quibus Dominus ad Abraham dixerat, quòd illis finitis eſſet liberaturus Iſraëlitas. Verùm ſicut Iudæi tempore Chriſti non animaduerterunt tempus Meſſiæ inſtare: ita & patres illorum neglexerunt tempus deſtinatum liberationi ex Ægypto. Sed videamus ſequentia.

Sequenti verò die apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres eſtis, vt quid nocetis alterutrum? Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos? nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri Aegyptium? Fugit ergo Moyſes in verbo iſto, & factus eſt aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos.

Iudæi in Moſen ingrati. Hîc mihi vide obſecro magnam Iudæorum ingratitudinem. Etenim Moſes propter populum Iſraël reliquerat aulam regiam, in qua ſummis honoribus fruebatur, & maxima veneratione vt filius regis obſeruabatur, adiunxerátque ſe populo Iſraël, apud quem neceſſe erat inglorium, ab omnibus Aegyptiis contemptum, & egenum viuere. Huc accedit quod periculo vitæ ſuæ Aegyptium inuadit & occidit, vt Hebræum ſuum liberet, & ſpecimen vniuerſo Iſraëli exhibeat ſe fore Iſraëlis liberatorem. Quæ ergo gratia illi refertur? profectò nulla alia quàm inuidia, contumelia, proditio, fuga, & exilium. Nam ſicut hîc Stephanus allegat, cùm ſequenti die, poſteà quàm Aegyptium occidiſſet, Moſes videret duos Hebræos inter ſe contendere de rebus neſcio quibus, acceſſit iterum magiſtratus ſui officio functurus, & nitebatur vt pacificaret eos: at reiicitur ab impio Hebræo, addita etiam contumelia. Qui enim propter iniuriam fratri illatam à Moſe increpabatur, conuerſus in Moſen dicebat: Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos? nunquid interficere me vis, quemadmodum heri interfeciſti Aegyptium? Ita impius ille Hebræus auctor fuit, vt Moſes coram rege Pharaone proderetur, & coactus fuerit fuga ſibi quærere ſalutem, ac proficiſci in exilium, ne videlicet à rege inter-

ſiceretur. Audiuit enim Pharao quod factum fuerat à Moſe, & quærebat occidere eum. hoc quod Moſes ipſe in Exodo teſtatur. Cæterùm quemadmodū Moſes omnium eorum qui fideliter & diligenter ſuo munere maximo etiam vitæ ſuæ diſcrimen funguntur forma eſt: ita vnus ille impius Iſraëlita contumelioſè in Moſen inuehens ingenii omnium fermè hominum ſimulachrum eſt, qui tanto contumelioſius ſuos magiſtratus, Præſides, Conſultores, Eccleſiaſtas, & reliquos miniſtros tractant, quanto illi ſalubrius ipſis conſultum cupiunt. Hæc enim fortuna eſt omnium ferè eorum, qui publicę ſuę vocationi fideliter inſeruiunt, videlicet vt ſummo labore & fidelitate ſummam inuidiam & aduerſa quæque ſibi pariant. Præter Moſen exemplo ſunt Prophetæ, Chriſtus, & omnes ipſius Apoſtoli. Hoc autem proponitur nobis, non vt propter hominum ingratitudinem, fidelitatem vocationis quiſque ſuæ negligat, ſed vt admoneatur, ne ob ingratitudinem hominum ab officij ſui diligentia aliquid remittat. Sed quid illud eſt quod Moſes fugit? cur non manſit in ſua vocatione? cur reliquit populum timore mortis, ad quem liberandum ex vocatione Domini aulam Pharaonis reliquerat, & illi ſe adiunxerat? Reſpondemus probabile eſſe, Moſen nihil hîc egiſſe præter diuinam reuelationem, etiamſi hoc literis expreſſum non ſit. Sic Dauid licet in regem à Domino electus fuerat, tamen non ſemel fugit iram & tyrannidem Saulis. Sic Chriſtus ipſe, etſi in hoc venerat in hunc mundum vt pro nobis pateretur mortem, tamen non ſemel fugiſſe eum Euangelica teſtatur hiſtoria. Solet enim Deus ſic temperare ſua conſilia, vt tunc maximè liberet ſuos, quando maximè videtur eos deſerere. Sed reuertamur iterum ad prælectum contextum. Sequenti die, inquit, Moyſes apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace. Quis non hîc miretur hominum malitiam? ecce non ſatis eſt Hebræis quòd miſerè flagellantur ab Ægyptiis, niſi & ipſi alter alterum, Hebræus Hebræum vexet ac perturbet: vnde non mirum eſt quòd Deus promiſſionem ſuam ſic tardauerit. Si enim in tanta tribulatione nondum ſunt humiliati, quid non facerent ſi nemo illos contriſtaret? Sed valeant ſanguinolenti Iudæi: nos ad exemplum Moyſis diſcamus eſſe pacifici, & quantum in

Obſerua.

Quare Moſes fugit.

1. *Re.* 19.21

Matt. 2.

Ioan. 6. *&* 8

Iudæi etiam afflicti nihilo meliores redduntur.

nobis eſt cum omnibus pacem habere. Sequitur. Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, &c. Exemplum hoc eſt peſſimi & perferocis hominis, qui cùm omnibus moleſtus ſit, tamen à nemine reprehendi vult, ſed ſtatim ad conuicia vertitur, non quidem ſuum crimen excuſans, ſed alios criminis accuſans. Ecce enim impius iſte Hebręus non excuſat ſe quaſi nihil per violentiam egerit, ſed accuſat Moyſen quaſi hic violenter aliquid agere velit. Iam quod Moyſes fugit, præter alia quę ſuprà diximus docet nos ne malo malum vincere attentemus, ſed potiùs de noſtro iure aliquid remittamus: quod verò ſequitur Moyſen fugiſſe in terram Madian, & iuxta quod Exodus dicit ſacerdotis Madian generum factum, oſtendit Deum ſuos nunquam negligere, ſed ſemper illis de benignis ſuſceptoribus prouidere. Ecce enim alienigena in generum accipit Hebræum, quem Hebræi reſpuunt. Quanquam enim homines ingrati ſint ac immemores beneficiorum, Deus tamen gratiſſimus eſt, & nec obliuiſcitur poculi aquæ frigidæ ſitienti in nomine ſuo exhibitæ. Et quanquam homines nos abiiciant, non tamen abiicit nos Deus, ſed potiùs tanto magis nos agnoſcit, quanto turpius homines nos conculcant. Sed quid hæc pro defenſione Diui Stephani? multum ſupra modum. His enim non ſolùm gloriam Moyſis vindicat, ſed etiam Iudæis exprobrat quòd perpetuò contumaces fuerint, mutuo odio alter alterum moleſtauerint, benè monentes nunquam non perſecuti fuerint. Sed ſatis ſupérque de hac hiſtoria nos dixiſſe putamus. *Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. Moyſes autem videns admiratus eſt viſum.* Ex hoc apparet Moyſen octoginta annorum fuiſſe, quando vocatus eſt à Deo vt liberaret ſiue educeret populum Iſraël ex Aegypto. Nam cùm eſſet Moyſes quadraginta annorum, eiectus eſt in exilium, & profectus in Madian, habitauit illic quadraginta annis, ſicut Diuus Stephanus hoc in loco teſtatur. Et primus quidem numerus in Exodo deſcribitur: ſecundus verò à Diuo Stephano ponitur, cui hoc in loco rurſum credendum eſt, etiamſi vetus Scriptura non expreſſè ſignificet, quotennis fuerit Moyſes dum vocaretur à Domino & eligeretur in ducem populi Iſraëlitici. Itaque

cùm vocatus eſt ad liberandum Iſraëlem, fuit octoginta annorum Moyſes. In his autem quadraginta annis quibus ætatem egit in Madian, pauit oues ſoceri ſui Raguëlis & affinis ſui Iethronis. Hîc ergo rurſum vide mihi quomodo Deus electos ſuos tractare ſoleat. Is Moyſes fuit eo tempore Domino Deo noſtro omnium hominum chariſſimus, & acceptiſſimus, quem etiam ab vtero matris ſelegerat in liberatorem & legiſlatorem Iſraëlis, &c. nihilominus tamen permittit ipſum quadraginta annis exulare, non ſolùm inter homines impios, verumetiam in duriſſima ſeruitute officij paſtoralis. Quanto enim labore, & quanta ſollicitudine conſtet paſcere oues, Patriarcha Iacob ſatis perſpicuè indicat, dicens: Die noctúque æſtu vrgebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis, &c. Quid ergo? num Deus ideo oblitus eſt Moyſis, quia viſus fuit ipſum tot annis, & in tantis laboribus negligere ac deſpicere? minimè omnium. Nam Domino Deo ſolenne eſt, vt quos habet chariſſimos, ad horum afflictiones aliquandiu conniueat quidem, ſed interea temporis tantam ſollicitudinem pro ſalute ipſorum gerat, vt præparet ipſis excellentiorem gloriam & maieſtatem, quàm vnquam auſi fuiſſent optare, nedum ſperare. Sed hæc omnia prolixius proſequi non eſt huius inſtituti. Cùm igitur Dominus vellet Iſraëlitas ex Aegypto liberare, vocat & conſtituit Moyſen in ducem Iſraëlitarum. Et quia maximè molis erat miſeram & inermem ac oppreſſam gentem ex tam graui & dura tyrannide liberare, nec cuiquam liceat ſine certiſſima vocatione Dei publica officia inuadere: ideo dominus Deus noſter vocaturus Moſen principiò reuelat ſuam præſentiam magno & ſtupendo miraculo, vt Moſen certificet hanc vocationem eſſe Dei vocationem. Miraculum hoc erat rubus ardens & non comburens, vnde & ad huius conſpectum etiam multum admiratur Moſes, neſciens quid hoc ſibi vellet: ſed ſtatim audit quid ſibi velit id miraculi. Nam ſequitur.

Obſerua.

Gen. 31.

Et accedente illo vt conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini, dicens: Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyſes, non audebat conſiderare.

Hoc poſtremum non legitur in Exodo: ſed tamen hæc

mutuò ſe conſequuntur, ſi quando hominum, hoc eſt, creaturæ rationali apparent inſolita. Ad primum conſpectum miraculorum admiratio nos capit: dein paululum recipientes animum, penitiùs illud conſiderare volumus. Poſtquam verò vidimus rem eſſe ſupra naturam, nec ſcimus quid portendat, timore corripimur, ſemper verentes ne quod inſolitum videmus nobis cedat in præiudicium. Verùm Deus non patitur ſuos tentari vltra quod ſufferre poſſunt: vnde dum ſic ſtupet Moſes, ſtatim conſolatur, & omnis rei veritatem docetur. Ego ſum, inquit, vox de rubo, Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Non ſum ſpectrum aliquod, aut Satanæ illuſio, ſed Deus ipſe, qui pollicitus ſum me Deum fore, & curam agere Abrahæ & huius ſeminis. Hęc nimirum ideo Moſi ſtatim ab initio dicũtur, vt recordetur fœderis, quod Deus pepigerat cum antiquis Patriarchis. Neque enim dubium eſt, quin populus Iſraël illud non tradiderit obliuioni, cuius teſtem & ſignaculum in propria carne gerebat circunciſionem. Adde quod certa coniectura colligimus etiam ante Moſis tempora Iſraëlitis non defuiſſe ſcripturas, in quibus Dei promiſſiones fortè conſcriptæ conſeruabantur in hominum memoria. Hinc eſt quòd Iudas Apoſtolus in Epiſtola ſua librum Enoch allegat: quem librum licet non habeamus, tamen Iudam Apoſtolum vanitatis arguere non audemus. Sed hac de re nullam hîc inſtituamus contentionem: hoc vnicum hîc annotare placet pro Stephani defenſione contra Iudæos. Si nemo ſaluari poteſt niſi Moſis cæremonias, & omnem templi Hieroſolymitani cultum obſeruet, quî fit quòd Deus ſe eorum Deum appellat, qui Moſi legem multis annis præceſſerunt? Et ſi Deus in ſolo Hieroſolymorum templo habitat, & precantes audit, quî fit quòd in eremo Moſi apparet, & ex rubo ei loquitur? Ergo Deus etiam eos amplectitur qui Moſis legem iuxta Iudæorum interpretationem non obſeruant. Nunc itaq; quæ ſequuntur videamus. *Dixit autem illi Dominus: Solue calciamentum pedum tuorum. Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Duo nobis hoc in loco diſcutienda veniunt, quæ vtinã probè explicare poſſimus. Alterũ quòd dñs iubet Moyſen calceos exuere: alterum quòd dominus terrã in qua Moſes ſtabat, ſanctã vocat: quaſi alia terra pro-

ſana ſit. Iam quoad ſolutionem calciamētorum, ſiue diſcalciationem attinet obſeruandum eſt quòd tale factum non ſolùm hoc in loco, ſed etiam alibi legimus: vnde apparet ſolenne illi populo fuiſſe exuere calciamenta, ſi quando aliquod mandatum aut oraculum diuinitus eſſent accepturi. Nam Ioſuæ capite quinto idem præceptum, iiſdémque penè verbis ad Ioſue factum eſſe legimus. Cùm enim Ioſue ſtaret in agro Hiericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe euaginatum tenentem gladium, perrexítque ad eum & ait: Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam, ſed princeps ſum exercitus domini, & nunc venio. Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans ait: Quid dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? Solue, inquit, calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas ſanctus eſt. Sed quare hoc factum eſt? quid ſignificat exuere calciamenta? ingenuè hîc fateor ignorantiam meã. Neſcio enim quid hoc facto Deus ſignificare voluerit, vel vnde vſus ille ſoluendorum calciamentorum enatus ſit. Myſticum quidem ſenſum habemus, & poſſumus hîc forſan multa dicere quæ conſentanea ſunt diuinis ſcripturis, & quæ non ſunt contra Catholicam fidem. Exuere itaque calciamenta, eſt deponere ſiue ablegare omnes impuros affectus, ac renunciare omnibus ſecularibus negotiis: vnde admonentur verbi miniſtri, vt priùs ſemetipſos doceant quàm alios corripere & emẽdare pergant, hoc quod mihi, meíque ſimilibus dictum velim. Quod verò Angelus dicit ad Moyſen, Locus in quo ſtas terra ſancta eſt, ſi ſimpliciter interpretari volumus, hunc ſenſum habet, ac ſi dixiſſet: Hic locus à Deo electus eſt, vt ſuo miniſterio inſeruiat. Nam in hoc loco te, ô Moſes, docebo quid dominus à te requirat, quam prouinciam tibi delegare velit. Sic omnia loca ſancta dicuntur, quæ alicui priuato negotio deputata ſunt. Hieruſalem ciuitas ſancta dicitur, & templum domini in illa ſanctum dicitur, propterea quòd cultui diuino mancipata & dedicata ſunt. Sic Palæſtina terra ſancta dicitur, quoniam Deus populum ſuum in illa habet, &c. *Videns vidi afflictionem populi mei qui eſt in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & deſceudi liberare eos: & nunc venito, & mittam te in Aegyptum.* Hæc verba lo-

Ioſue 5.

cutus eſt dominus per Angelum ad Moyſen, quæ etiam magnarum rerum nos admonere poſſunt. Videns vidi, inquit, id eſt, diligenter & attentè conſideraui afflictionem populi mei, &c. Quid? an hactenus non vidit quàm grauiter Ægyptij afflixerint Iſraelitas? vtique vidit, nouit, ſed diſſimulauit, quia illorum peccata has tribulationes merebantur. Dicitur autem Deus nos non videre quando ſinit nos affligi, & videre non dicitur quando nos ex tribulationibus liberat. Eius rei multa exempla in ſcri-
Pſal. 34. pturis, præcipuè verò in Pſalmis inuenire licebit: Domine quando reſpicies, reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam. Et in eodem Pſalmo: Vidiſti domine, ſcilicet quàm grauiter ab impiis af-
Pſal. 118. fligar, ne ſileas, &c. Et rurſum: Vide humilitatem meam,
Pſal. 9. & eripe me. Et iterum in alio Pſalmo: Miſerere mei domine, vide humilitatem meam. Contrarium eſt ab illo quod Pſal. 12. legimus: Vſquequo domine obliuiſceris me in finem, vſquequo auertis faciem tuam à me? Addam adhuc vnum ex Pſal. 43. Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ? Ex his itaque intelligimus quid ſibi velit dominus, dicens: Videns vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto, hoc eſt, miſereor ſuper populum meum, qui tam miſerè tractatur ab Ægyptiis. Addit. Et gemitum eorum audiui, & deſcendi liberare eos. Hæc non ita ſcribuntur quaſi Deus noſtrarum rerum neſcius ſit niſi nos videat, gemitum noſtrum audiat, & quaſi nos liberare non valeat niſi ad nos
Hilariũ vide lib. 9. de Trinita. pag. 182. relicto cælo deſcendat. (Hæc enim omnia in Deum non quadrant): ſed ſcriptura temperat verba ſua ad captum noſtrum, vt intelligamus quæ Deus de nobis ſtatuerit. Duo autem hîc probè conſideranda ſunt. Primum quòd Deus Iſraelitas illos certè non admodum probos vocat populum ſuum: alterum quòd etiam populum ſuum affligi patitur: addam & tertium, quòd ſcilicet miſericor-
Eccleſiaſtica dogmata cap. 86. dia mouetur erga tam improbum populum. Quid ergo aliud hîc docemur niſi etiam in populo Dei næuos & maculas inueniri? vnde ſemper precari opus habet, Dimitte nobis debita noſtra. Adde quod etiam dominus Deus illos hîc affligi patitur, quos tamen ſaluare ſtatuit. Quin & hoc prætereundum non eſt, quòd etiam merita flagel-

la à nobis amouet, etiamſi nondum ſatis emendauimus nos. Sed quomodo liberabit dominus populum ſuum, quod, quoniam propoſuit dominus, omninò liberandum eſt? Et nunc, inquit dominus ad Moyſen, mittam te in Ægyptum, quaſi dicat: Non me latet, ô Moſes, quo nomine ad Madianitas hos perueneris, quid prius in Ægypto egeris. Fugiſti ſcio iram Pharaonis, ecce ego nunc volo, antea nolui: nunc autem volo vt vadas in Ægyptum ad Pharaonem (ſic enim in Exodo legimus) vt educas populum meum filios Iſrael de Aegypto, &c. Rurſum hîc videmus pro diuo Stephano contra Iudæos Deum habere ſuum populum cuius miſereatur, etiamſi nulla adhuc ſit lex Moſis, nullum templum, nulla præſcripta ſacrificia. Sed audiamus rurſum Stephanum. *Exod. 3.*

Hunc Moſen quem negauerunt dicentes, Quis conſtituit te principem & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem miſit cum manu Angeli qui apparuit illi in rubo.

Iam proximius ad inſtitutum ſuum redit Stephanus, narraturus & explicaturus quid de Moſe, lege, templo, & tota vetere lege in vniuerſum ſentiat. Poſtquam enim narrauerat quàm mirabiliter Moſes ſeruatus, vbi educatus, quomodo conuerſatus & à Deo vocatus fuerat, ſtatim oſtendit Iudæorum improbitatem, & Dei benignitatem erga Moſen. Ego, inquit, non ſum blaſphemus, nec iniurius in Moſen, ſed apertè quod credo ac ſcio fateor quòd deus conſtituerit ipſum vt eſſet princeps ac redemptor Iſraelis, accepto in adiutorium Angelo qui etiam apparuit illi in rubo. Quem Moſen dicis? hunc, inquit, quem negauerunt dicentes: Quis conſtituit te Principem & iudicem ſuper nos? Ecce quem Deus in bonum Iudæis mittit, ipſi negant: ecce quem homines odio proſequuntur, Deus honeſtatum reddere ſolet. Sed nolumus hîc prolixius hærere, ne non Apoſtolorum actus, ſed Moſis Exodum interpretari videamur. *Hic eduxit illos faciens prodigia & ſigna in terra Aegypti, & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta.* Neque hîc erimus verboſiores. Si enim vellem omnia prodigia & ſigna recenſere quæ dominus per manum Moyſi in terra Aegypti, in mari rubro, & in deſertis per annos illos quadragenariæ peregrinationis ediderat, oporteret totum pœnè Exodum, Leuiticum, &

Numerorum librum huc tranſſcribere. Quis enim neſciat Moſen multa admiranda feciſſe, antequam populum educere permitteretur? immo etiam antequam ad Pharaonem auderet ingredi? Nota ſunt quæ ſcribuntur in Exodo de manu Moſis lepra obducta, & rurſum ſanitati reſtituta: de virga Moſis in colubrum verſa, & rurſum in priſtinam formam & ſubſtantiam reſtituta. Et cui non auditum eſt, quod de decem plagis contra Pharaonem eiaculatis veteris hiſtoriæ volumen habet? Decantatiſſima ſunt & illa de manna, coturnicibus, aqua de petra fluente, & alterius aquæ amaritudine, per ligni cuiuſdam in aquam immiſſionem in dulcedinem conuerſa. Sed longum foret, ceu diximus, omnia hæc tantùm recenſere, nedum ſingula ad viuum excutere. *Hic eſt Moyſes qui dixit filiis Iſrael: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris tanquam me, ipſum audietis.* De hac prophetia diximus in ſuperioribus dum interpretabamur concionem diui Petri. Et hac vnica prophetia conuincuntur Iudæi, quòd lex Moſaica non in hoc inſtituta vel promulgata eſt vt perpetuò duraret, aut quaſi citra huius obſeruationem nemo ſaluari queat: ſed vt tantùm duraret vſque in aduentum alterius Prophetæ, de quo hîc Moſes vaticinatur, quòd Deus ipſum exuſcitaturus ſit de fratribus Iudæorum, hoc eſt, ex ipſis Iudæis, qui Propheta ſit tanquam Moyſes, ſcilicet quòd ſigna & legis promulgationem attinet. Sicut enim Moſes, quemadmodum iam diximus, multa & admiranda ſigna fecit, & deindè legem à Deo acceptam populo Dei obſeruandam propoſuit: ita & Chriſtus noſter per miraculorum operationem clarus factus Euangelicam legem nobis obſeruandam propoſuit, de qua etiam dixerat, Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me patris. Quòd verò Propheta ille qui poſt Moſen futurus eſſe prædicitur, ſimilis debeat eſſe Moſi, non ſic intelligendum eſt, quaſi in nullo illi futurus ſit diſſimilis. Quomodo enim hoc fieri poteſt? nemo per omnia Moyſi ſimilis eſt, niſi Moyſes ipſe ſibi. Chriſtus itaque quia verè homo natus eſt, & Iudæa matre natus eſt, & ſigna fecit, & legem Euangelicam dedit, & mediator inter Deum & homines fuit, & nos per verum rubrum mare (in baptiſmo videlicet) perduxit, & manna

cæleſti nos pauit, Moyſi ſimilis, immò & ſuperior factus eſt. Anne amplius contra Iudæos proferemus, in quibus Chriſtus Moyſi ſimilis exiſtit? Moyſes in iuuentute periculis exponitur, eiúſque vitæ Pharao inſidiatur. An non Herodes infanti Chriſto inſidiatur, & Maria mater cum puero in Aegyptum fugere compellitur? ánne rebelles ſunt iam Iudæi Chriſto, ſicut olim fuerant Moyſi? Ad Moyſen dicunt: Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos? contra Chriſtum ad Pilatum dicunt: Non habemus Regem niſi Cæſarem. Et in Euangelica parabola: Nolumus hunc regnare ſuper nos. vides itaque quàm in multis Chriſtus ſit Moyſi ſimilis. Quòd verò Moyſes homo & peccator, Chriſtus homo abſque peccato, quod ille ex coitu, Chriſtus verò ex incorrupta virgine natus, quod Moyſes inuitus in monte moritur, Chriſtus verò voluntario in cruce moritur: nihil remoratur quominus prophetia illa de Chriſto intelligi debeat. Quaſi verò cùm ſimile aliquid dicitur, ex omni parte atque ex omni modo ſimile intelligatur, quia non ea tantum quæ vnius eiuſdémque naturæ ſunt dicuntur inter ſe eſſe ſimilia: ſicut gemini homines, vel filij parentibus, vel omnes homines omnibus hominibus in quantum homines ſunt ſimiles vtique ſunt. quod & in cæteris animalibus intueri facillimum eſt, vel arboribus, velut olea oleæ, laurus lauro ſimilis dicitur, &c. Hæc ſi obſeruarent aduerſarij noſtri, non tam impudenter precationes Canonis noſtræ Miſſalis, vt ita loquar, calumniarentur, quaſi precemur vt Chriſtus Deo non magis placeat, atque agnus ille quem Abel obtulerat. Sed hæc iam traducere non eſt huius inſtituti: ad contextum itaque reuertamur. *Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris: qui accepit verba vitæ dare nobis.* Hactenus perſtat in recenſendo laudes Moyſis, quem Iudæi mentiebantur à Stephano calumniam ſuſtinuiſſe. Conſtanter, inquit, affirmo ac conteſtor Moyſen ſic placuiſſe Deo, vt ipſum angelico dignaretur alloquio. Angelus enim locutus eſt Moyſi in ſolitudine, & in monte Sina: illud remotis arbitris, hoc præſentibus patribus noſtris. Et qui audeam ego contemnere nedum blaſphemare eum, quem tanti fecerat Deus? Fateor & hoc, in- Exod. 19.

quit diuus Stephanus, quod Moſes à Deo per Angelum acceperit verba vitæ, hoc eſt, legem, vt hanc daret vobis. Ergo nec blaſphemus eſt in legem Stephanus, qui eam dicit verba vitæ eſſe, hoc eſt, talem eſſe, vt ſi quis hanc perfecerit, verè habeat vitam æternam. Et tanta legis encomia

*Leuit.*10. vbique reperire licebit in Scripturis: Qui fecerit hæc, inquit Moyſes, viuent in illis. Et iterum: Obſerua & audi o-

*Deuter.*4. mnia quæ præcipio tibi, vt benè ſit tibi, & filiis tuis poſt te in ſempiternum cùm feceris quod bonum eſt & placitum coram Deo tuo, quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nõ addas nec minuas. Et Ioan. 5 dicit Chriſtus ad Iudæos: Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Et alibi ad legiſperitum: Si vis, inquit, ad vitam ingredi, ſerua mandata. Quiſquis enim quę legis ſunt obſeruauerit, quiſquis legem per omnia audierit, verè habebit vitam, eámque æternam. Lex autem non tantùm pręſcribit qualia opera facere debeamus, nec tantum externa illa opera, ſed potiùs mundiciem cordis à nobis requirit, poſtulãs vt Deum ex toto corde amemus, & proximos ſicut noſmetipſos: prohibet item ne quę mala ſunt concupiſcamus. in his omnibus qui obtemperauerit legi, certé vitam æternam habebit. Atqui quoniam lex non ignorabat per ſe quidem cognitionem eſſe peccati nõ abolitionem, nec quenquam ſuis viribus eam poſſe implere: tacitè & ſub inuolucris quibuſdam nos remittit ad Chriſtum, qui & ſpiritum nobis dat quo legi obtemperare poſſimus, & ſua iuſtitia noſtram imperfectionem complet. Sed nõ eſt huius inſtituti hîc vim legis copioſiùs exponere. *Cui noluerunt obedire patres noſtri, ſed repulerunt & auerſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptũ, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos qui nos præcedãt. Moyſi enim huic, qui eduxit nos de terra Ægypti, neſcimus quid factum ſit.* Hæc teſtantur populi Iſraëlis ingratitudinẽ aduerſus Deum & Moyſen, qua certè non meruerunt introduci in terrã promiſſionis, ſed potiùs ad vnum omnes internecioni dari: ánne magna hæc eſt ingratitudo? Tam miſerè tractati fuerunt in Ægypto, tam crudeliter vexati, vt nulla humana lingua eloqui valeat, & ex huiuſmodi tribulationibus eripuit eos Dominus per manũ, hoc eſt, miniſterium, ſanctiſſimi Moyſis. Atqui Iudæi ſtatim obliuiſcuntur tantorum beneficiorum, non ſolùm iniurij ſunt in

Moyſen hominem, ſed etiam in Deum blaſphemi. Vide quot & quanta illorum peccata recenſet Stephanus. Patres noſtri, inquit, noluerunt obedire Moyſi. Cui Moyſi? Huic, inquam, quē Deus ipſis præfecerat, qui ipſos ex Aegypto eduxerat, qui ſe ipſorum nomine in magnum corporis ac vitæ periculum nō ſemel tradiderat: huic, inquam, Moyſi noluerūt patres noſtri obedire, etiamſi ſcirent eum à Deo illis præfectum, ſed repulerunt eum hoc eſt, non ſolùm nullum beneficium in illum contulerunt, ſed etiam maledictis perſecuti ſunt, hoc quod vetus hiſtoria diſſimulare noluit. Iā quod dicunt ad Aaron, Fac nobis Deos qui nos præcedant, magna blaſphemia eſt in Deum ipſum, magnus contemptus, magna ingratitudo. Iam iam, inquam, eduxerat illos Deus ex Aegypto, ſuámque potentiam aduerſus Aegyptios pro Iſraëlitis egregiè exeruerat, iā multa & admiranda ſigna tam in Aegypto quàm in mari rubro & in deſerto patrauerat Deus, ſed hæc omnia nihil curantes Iudęi, poſtulant ab Aarone ſibi fieri Deos, quorum patrocinio, auxilio, & præſidio tuti ſcilicet ſint aduerſus imminentes tribulationes. Scilicet Deus omnium creator imbecillis factus eſt, vt iam non valeat amplius Iudęis pręſidio eſſe: vnde neceſſe eſt, vt miſer homo fabrefaciat non vnum (nam vnus non ſuffeciſſet) ſed multos Deos quorum præſidio Iudæi muniti & confirmati nullas poſthac timeant aduerſitates. Sed ô putidos & ſtupidos Deos, qui niſi ab hominibus fabricarentur eſſe non poſſent, immò ô ſtulti vos Iudæi quid cogitatis? Si Aaron tantus eſt vt poſſit facere Deos qui vos præcedentes omnem tribulationē & vexationem à vobis amouere poſſunt, quare non potiùs vos veſtráque omnia committitis Aaroni? qui quum Deos facere nouit, etiam Diis fortior ſit neceſſe eſt. Inquiunt autem, Neſcimus quid acciderit Moyſi qui eduxit nos de terra Aegypti. Neceſſarius ſcilicet timor eſt. Deus qui Moſen populo Iſraël præfecerat, atque à Pharaonis tyrannide tam mirabiliter præſeruauerat, multíſque ſignis ac prodigiis clarum fecerat, iam dormit: forſan, ô impij Iudæi, nec potis eſt vt Moſen vno atque altero die à ferarum morſibus ſeruet. Sed impietas ſemper comminiſcitur excuſationes, quibus cum peccatum eleuare conatur, peccatum grauius faciat atque peccato peccatum addat. Videa-

mus rurſum verborum ſtructuram ab initio. Noluerunt, inquit, patres noſtri obedire Moſi, ſed repulerũt eum. Duplex peccatum eſt, non ſolum nolle obedire, ſed etiam iuſta præcipientem velle odire. Fac nobis Deos inquiunt ad Aaronẽ. Deos, inquiunt, non Deum, ignorãt enim qui ſint & quales velint. Sed quid multis? Aegyptiorum Idololatriam vero dei cultui præferebant, hoc quod in ſequentibus audiemus. Fac nobis Deos, inquiunt, qui nos præcedant. Quò? non in terram promiſſam, ſed rurſum in Aegy-
Num.14. ptum. Hoc enim illos voluiſſe & tranſmigrationis ex Aegypto pœnituiſſe, multis in locis Sacrę ſcripturæ videre licet. Diſce & aliam illorũ ſtultitiã. Moſi qui nos eduxit de terra Aegypti, inquiũt, neſcimꝰ quid acciderit. Vides quomodo miracula illa nõ Deo, ſed Moyſi aſſcribũt, quũ Deus oĩa illa egerit ſolius Moyſis miniſterio ad illa vſus, nõ quaſi aliter nõ potuerit; ſed quia aliter noluerit. Hoc ſi meminiſſe voluiſſent Iudęi, nõ habuiſſent propter abſentiã Moyſis deſperare, & ad idola Aegypti cõuerti, ſed cogitaſſent, qui nos tã mirabiliter liberauit, adhuc viuit, etſi Moyſes dux noſter periit, potens eſt Deus aliũ ſubſtituere qui nobis, & pręſit & præcedat: verùm quoniã à fide in Deũ porrò alieni ſunt, non mirum eſt quòd tam abſurda loquuntur, & tam impia conantur. Sed ad contextum nos recipiemus.
Exod.32. *Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulachro, & lætabãtur in operibus manuum ſuarum.* Breuiſſimis his declarat Iudæos idololatriam inſtituiſſe iuxta quòd viderant ab Aegyptiis fieri, & perſuadebant ſibi fortè ſic fore, vt & Aegyptios & horũ Deos magis habituri eſſent propitios, ſi viderẽt Aegyptij Iſraëlitas non abhorrere ab ipſorum idololatria. Neque enim facilè per omnia conueniunt qui diuerſæ religionis ſunt: hoc quod dies hodierna plus quàm velim, & certò arguit. Et vitulum fecerunt, inquit. Voluerunt habere Deos, & ecce vitulum faciunt. Et obtulerunt hoſtiam ſimulachro. Voluerunt ſacrificare Deo cuius præſidio tuti ſint, & ecce ſtupido & inanimato ſacrificant ſimulachro. Et lætabantur in operibus manuum ſuarum. Hoc eſt, videntur ſibi rem egregiam feciſſe, & vnde ſibi meritò placeant. Iam enim habẽt pro multis diis quos cupiebant ab Aarone fieri (vitulum) huic faciunt ſacrum: vnde poſthac Deo illo qui vocauit ſe Deum

Abraham, Iſaac, & Iacob non habent opus, nec deſiderant Moyſen, nec cupiunt aliam terram, quum illis iam per omnia cum Aegyptiis conueniat. Cæterùm hiſtoria hæc de fabrefacto vitulo à Moyſe ipſo deſcripta eſt copioſius, vt Iudæi perpetuò ſuæ impietatis, contumaciæ, ac ingratitudinis admoneantur. Nam paulò antè promulgatus erat Decalogus magna maieſtate, in quo diſertis verbis præcipiebatur, ne alieni dij colerentur, aut ne vlla ſacra præterquam verbo Dei præſcripta vſurparentur. Præterea cõuenerat publico fœdere inter Deum & Iſraëlitas, vt tam ciuilis quàm eccleſiaſtica reſpublica eorum inſtitueretur & gubernaretur iuxta verbũ Domini per Moyſen à Deo audiendum & populo manifeſtandum, quemadmodum Exod. 20. & 21. ſcriptũ eſt: nunc autem neglecto tam Decalogi præcepto, quàm publico fœdere nõ ſolùm idolum & idololatriam inſtituunt, ſed etiam, ſicut ſuprá dictũ eſt, Moyſen reiiciunt. Iam quid ſenſerint Iudæi de fabrefacto illo aureo vitulo operoſiùs tractare, prolixiorem requireret diſputationem, quàm huic inſtituto noſtro conuenire poſſit: verùm vbi ſuo loco inſtituerimus diſputationem de imaginum vſu apud Chriſtianos, fortè de vitulo hoc Iudaico nonnihil dicemus. *Conuertit autem Deus & tradidit eos ſeruire militiæ cœli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum: Nunquid victimas aut hoſtias obtuliſtis mihi annis 40. in deſerto domus Iſraël?* Iuſtè à Deo relinquitur, qui Deo adhærere noluit, ſicque contingit vt peccatum peccati pœna fiat. hoc in primo homine cœpit, & in omnibus impiis perſeuerat. Deus condidit hominem, & huius curam agere voluit, nihil ab homine niſi modicam obedientiam petens: atqui homo Satanã audiẽs maluit ſui ipſius curam agere, quam à Deo pendere. Deus ergo reliquit hominem conſiliis ſuis, & ſequuta eſt ea miſeria quam iam ſiue velimus ſiue nolimus experimur. Sic Deus elegit ſibi populum Iſraëliticum in peculiũ, huiúſque curam in ſe ſuſcepit, pollicens ſe illorum fore Deum, hoc eſt, in omnibus illis prouiſurum, hoc quod etiam fecit: verùm Iſraëlitæ de Deo diffidentes, aut Deum potiùs contemnentes, alios elegerunt Deos, hoc eſt, alios tutores & prouiſores, putantes ſe meliorem ſui curam gerere poſſe, & melius habituros, ſi ſuis propriis conſiliis acquieſcerent, quàm ſi Deum au-

Vide Aug. de ſalutaribus documẽtis cap. 54.

diret. Reliquit ergo Deus illos ire in adinuétionibus ſuis propriis, vt tandem intelligeret quàm impiè ac ſtultè cõmutaſſent Deum verum diis alienis. Et hoc eſt quod D. Stephanus iã dicit: Conuertit autem Deus, & tradidit eos ſeruire militiæ cæli. Hoc eſt, quoniam populus cõtempſit Deũ & auertit ſe à Deo vero & viuo & dereliquit Deum creatorem ſuum, ideo & Deus auerſus eſt ab illis perfidis ſcilicet Iudæis, & permiſit eos ire viam quam elegerunt, vt creaturis potiùs inſeruirent quàm creatori, vt neglecto Deo colerent militiam cæli, hoc eſt, Saturnum, Venerem, Mercurium, Solem, & Lunã, & reliqua portẽta quæ Deos eſſe ſtulta gentilitas finxerat. Cæterùm quoniam hæc ingrata erant auditu Iudæis, & ne quis putaret hæc à Stephano conficta in ipſorũ odium, ſtatim teſtem aduocat Prophetam Amos, apud quem dominus Iudæis ſuam ipſorum improbitatem exprobrat, dicens: Nunquid victimas aut hoſtias obtuliſtis mihi annis 40. in deſerto domus Iſraël? Exprobrat autem Dominus Iudæis quod menſuram patrum ſuorum impleãt, hoc eſt, in viis patrum ſuorum ambulent, qui nũquam vero corde Deo adhæſerunt, ſed perpetuò idololatriam ſectati ſint: vnde per expoſitionem addit. *Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſydus Dei veſtri Remphan, figuras quas feciſtis vt adoraretis eas. Et transferam vos trans Babylonem.* Hoc eſt, quoniam tam gratus eſt vobis idolorum cultus, agè ſiue velitis ſiue nolitis trãsferam vos ex hac terra ſancta trans Babylonem, vt idololatriam amantes in medio idololatrarum habitetis, & intelligatis vtrum idola maiorem veſtri curam habitura ſint quàm ego hactenus. In ſancta mea terra abominationes veſtras non feram. Vocat autem hic Propheta tabernaculum Moloch cultum & omnia inſtrumenta ad colendum Moloch idolum Ammonitarum. Deinde portauerũt etiam ſecum idolum ſyderis cuiuſdam quod vocabant Remphan: aiunt idolum eſſe quod Saracæni pro Deo colunt. Cæterùm nemo hoc loci magnam patiatur difficultatẽ, quando audit dominum conquerentem quòd Iudæi illi per quadraginta annos in deſerto non obtulerunt hoſtias vel victimas, quum ex Scripturis conſtet illos ſubindè etiam Deo iuxta præſcriptum legis ſacrificaſſe. Voluit enim Dominus hac hyperbolica locutione oſtendere, quod maior pars populi

Amos 5.

populi Iudæorũ ſibi vni non adhæſerit ex corde, nec Dei gloriam ante omnia quæſierit, ſed ſolis externis cæremoniis timorem ac reuerentiam Dei ſimulârit potiùs quam præſtiterit. Hic enim ſolus dicitur rectè colere Deum, qui non ſuum priuatum commodum, ſed gloriam Dei ante omnia promotam cupit. Nec poſſum diſſimulare, quod Iudæi multis in locis Bibliorum abominandæ idololatriæ accuſantur. Nam. 4. Reg. 17. de Iudæis legitur: Adorauerunt vniuerſam militiã cæli. Et Hiere. 19. Sacrificauerunt omni militiæ cæli. Et apud eundem cap. 44. Sacrificabimus reginæ cæli, & libabimus ei libamina ſicut fecerunt patres noſtri, reges & principes noſtri Sed hęc hactenùs. *Tabernáculum teſtimonij fuit patribus noſtris in deſerto, ſicut diſpoſuit illis Deus loquens ad Moyſen vt faceret illud ſecũdum formam quam viderat.* In præmiſſis D. Stephanus ad ſui defenſionẽ multis explanauit quid de Deo, quid de Moyſe, & quid de lege ſentiat, vt nemo non videat Stephanum de omnibus illis rectè ſentire, nec erga aliquot illorum blaſphemus eſſe: iam igitur poſtremam accuſationis partẽ arripit, oſtenſurus ſcilicet quid de templo & vniuerſo illo externo templi ſiue Dei cultu ſentiendum ſit. Hactenùs enim de nullo templo Dei viui cultui mancipanto auditum eſt, quum interim certum ſit Deum etiam ſuos amicos habuiſſe. Qualis igitur fuit externus ille cultus? audiamus diuum Stephanum hanc rem pauciſſimis explicantem: Tabernaculum, inquit, habuerunt patres noſtri, quod vocabatur tabernaculum teſtimonij. Vnde illud acceperant? Moſes illud fecit, inquit diuus Stephanus. Quo iubẽte? cuius item formæ? Deus Moyſi locutus eſt, inquit, vt faceret illud, & faceret iuxta formam quam viderat. Nam in Exodo legimus quòd Dominus vocauerit Moſen in montem, & indicauerit ei formam iuxta quam tabernaculum facere deberet, ad finem inquiens: Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. Sed ad quod opus inſtitutum fuit hoc tabernaculum? quæ cauſſa huius ſtructuræ? paucis accipite. Cùm multæ cauſſæ vrgerent vt non ſolùm iura ciuilia, ſed & publica ſacra inſtituerentur in Iſraël, neceſſe erat vt & publicus locus deſignaretur in quo ſacra peragi poſſent: cùm autem Iſraëlitis in deſerto quadraginta annis errandum, & locus ſubindè mutandus

Cap. 25. & 26.

eſſet,non fuit eis integrum vt in deſerto domum fixam & immobilem pro templo aut loco ſacrorum ædificarent. Quare præcepit eis dominus per Moyſen,vt conſtruerent tabernaculum quod de loco,in locum trāsferri poſſit:quo etiam pro templo non in deſerto tantùm,verùm etiam in terra Chanaan tantiſper vſi ſunt, dum Salomon ſuum illud memorabile templum ædificaret. Vocabatur autem tabernaculum teſtimonij aut potiùs fœderis, quia Iſraëlitæ habuerunt neceſſe ad eum locum in quo erat fixum tabernaculum & conſtituta arca propitiatorij,certis temporibus tanquam ad publicam, vt vocant, parochiam conuenire,feſta celebrare,verbum Dei audire,adeóque legitima ſua ſacra facere. Et hæc hactenùs. *Quod & induxerunt ſuſcipientes patres noſtri cum Ieſu in poſſeſsionem gentium, quas expulit Deus à facie patrum noſtrorum vſque in diebus Dauid, qui inuenit gratiam ante Deum,& petiit vt inueniret tabernaculum Deo Iacob. Salomon autem ædificauit illi domum.* Nolumus hîc verboſiores eſſe, ne videamur non acta Apoſtolorum,ſed veteris Teſtamenti hiſtoriam interpretari.Mēbratim itaque verba Stephani recenſeamus. Primò dicit Patres Iudæorum tabernaculum illud cultui Dei dedicatum non contempſiſſe, ſed illo vſos fuiſſe in deſerto, in terris gentium, quas Deo auxiliante & Ioſue duce expugnârunt:vſos,inquam,illo fuiſſe tam in bello quam in pace,& hoc vſque ad tempora Dauidis ſancti illius regis. Vide ergo quamdiu caruerint Iudæi templo Hieroſolymitano,neque tamen minus placuerunt Deo. Secundò dicit quod Dauid cupierit Deo ædificare templum huius magnificentia dignum:verùm licèt Dauid magnam gratiam haberet coram Deo, tamen noluit ſibi Deus à Dauide ædificari templum.Sic enim in Regnorū libro legimus lib. 2.cap.7. Factum eſt cùm ſediſſet rex Dauid in domo ſua, & dominus dediſſet ei requiem vndique ab vniuerſis inimicis ſuis, dixit ad Nathan Prophetam: Vidéſne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei depoſita ſit in medio pellium? Dixítque Nathan ad regem:Omne quod eſt in corde tuo fac, quia dominus tecum eſt. Factum eſt autem in illa nocte, & ecce ſermo domini ad Nathan dicens:Vade loquere ad ſeruum meum Dauid,hęc dicit dominus:Nūquid tu ædificabis mihi domum ad habitādum? Neque enim habitaui in domo ex die illa qua eduxi Iſraël

2. Reg.7.

de terra Ægypti vſque in diem hanc, ſed ambulabam in tabernaculo & in tentorio per cuncta loca quæ tranſiui cum omnibus filiis Iſraël. Nunquid loquēs loquutus ſum ad vitam de tribubus Iſraël? cui præcepi vt paſceret populum meū Iſraël, dicens: Quare non ædificaſtis mihi domū cedrinam?&c. Et poſt aliqua interpoſita iubetur Nathan Dauidi hæc dicere: Cùm completi fuerint dies tui, & dormiens cum patribus tuis ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, ipſe ædificabit domum nomini meo, &c. Hæc in Dauidis filium Salomonem conueniunt, de quo iam Stephanus dicit: Salomon autem ædificauit illi domum. Videmus ergo quod Deus non tam magnifecerit templum atque Iudæi hactenùs putârunt: immò de illo ſic loquitur dominus ac ſi parùm curet. Dicit enim ſe cum patribus fuiſſe etiamſi caruerint templo, teſtatúrque ſe nunquam à patribus petiiſſe aliquod templum. Adde quod dicit ſe illo non opus habere, quemadmodum in ſequentibus audiemus. Quid? quòd non vult templum ab ipſo Dauide ędificari? Facit autem hoc ad inſtitutum Stephani quòd Deus etiā eis propitius fuit, qui templum nunquam habuerunt. Quòd ſi Iudæi dixerint tabernaculum vicem templi obtinuiſſe, nihil euincent, quum Patriarchæ nec tabernaculum, nec templum habuerint. Facit & hoc ad inſtitutū Stephani, quod his probat cultum Dei externum nunquam ſic fuiſſe confirmatum, vt non licuerit aliquo modo ab ipſo deficere: vnde nulla erit blaſphemia dicere Ieſum mutaturum traditiones, quas Iudæi à Moſe vel patribus acceperant. Sed videamus ſequentia. *Sed excelſus non in manufactis habitat,* 3. Reg. 8.
ſicut per Prophetam dicit: Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſca- Eſai. 66.
bellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit dominus, aut quis locus requietionis meæ eſt? nónne manus mea fecit hæc omnia? Locus hic diligenter tractandus venit. Et primū quidem omnium conſiderandum eſt quid Iudæorum maxima, hoc eſt, peior pars de externo illo templo, & qui in hoc fiebat cultu ſenſerint: hoc enim præmiſſo cætera erūt facillima. Quę enim hîc à D. Stephano dicuntur, non contra templum ipſum, ſed potiùs contra Iudæos & horū hypocriſin dicuntur. Quòd enim templum & huius cultura Deo non diſpliceat, multis ſcripturæ teſtimoniis conuinci-

3. Reg. 8. tur. Nam Dauid qui ſumptus ad ſtructuram templi collectos repoſuerat, & Salomon qui vt templum ædificaretur procurauit, vterque hoc nomine à Deo laudatur. Et ait Dominus ad Salomonem: Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, ſanctificaui domum hãc quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erũt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. Et de hoc templo dominus dicit: Domus mea domus orationis vocabitur. Tantúmque abeſt vt Chriſtus hoc deteſtatus fuerit, vt in eo & orârit & prædicârit. Ergo templum Hieroſolymitanum quod in ſe eſt Deo nunquam diſplicuit, ſed Iudæorum hypocriſis & ſuperſtitio illi diſplicuit. Templũ domini in hoc inſtitutum erat, vt populus Iſraël certum haberet locum quo ad precandum, verbum Dei audiendum, & ſacrificandum conueniret. hoc eſt, in quo fidem, ſpem, & charitatem ſuam declararent. Atqui populus de fide, ſpe, & charitate parùm ſollicitus, putabat ſe egregiè penſum abſoluiſſe, ſi tantùm templi cultus egregiè & ſplendidè ſe haberet, ſi certis temporibus illuc conuenirent, ſi præſcriptas victimas ſacrificarent: quaſi ſcilicet Deus tam ſpecioſa domo, tam craſſis bubus opus haberet. Contra vanam itaque ac ſtultã eiuſmodi opinionem Iudæorũ loquitur diuus Stephanus, præpoſteram Iudæorum redarguens religionem. Dicit ergo: Excelſus non in manufactis templis habitat, hoc eſt, non eget aliqua domo, quum ipſe omnium creaturarum creator & dominus ſit. Adducit verò teſtimoniũ Eſaiæ, vt ſermo ipſius plus habeat auctoritatis. Apud Eſaiam enim ſic loquitur: Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, hoc eſt, ſicut alibi dicit: Cælum & terram ego impleo, vbique ſum, & nullibi concludor. Vnde alius Propheta dicit: Si aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero ad infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me. Quò ibo igitur à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiã? ergo qui cæli & terræ dominus eſt, quíq; oĩa & continet & implet, per ſe nulla domo opus habet. Vnde apud Eſaiam addit: Quam igitur domum mihi ædificabitis, aut quis locus requietionis meæ erit? nõne manus mea fecit hæc omnia? ac ſi vellet dicere: Si vultis mihi dare

quod meum non ſit anteà, neceſſe eſt vt mihi aliquid extra cælum & terram, hoc eſt, extra omnem creaturam detis. Nam quidquid cæli ac terræ ambitu continetur meum eſt, huius dominus ſum, hòcque pro libitu meo vtor. Ergo templum non ædificari voluit Dominus quaſi ipſo egeat, qui nulla re eget, ſed ideo ædificatum eſt, vt haberet populus locum vbi conueniret ad teſtificandum pietatem ſuam, fidem, ſpem, & charitatem, hoc quod iam ſæpè diximus. Ergo Deus non curat templum & huius cultum, ſed potiùs homines qui ad templum conueniunt, horum affectus conſiderat, & ſi boni ſunt egregiè remunerat. Plus enim delectatur mundis cordibus, quam ſplendidè inſtructis templis, niſi ſint templa viua, de quibus Petrus dicit: Ipſi domino Ieſu Chriſto tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis. Et D. Paulus: Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et iterum: An neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? empti eſtis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Huc facit quod Deus ipſe in loco præallegato apud Eſaiam, poſtquam reiecerat Iudæorum templum & ſacrificia, ſtatim adiecit: Ad quem autem reſpiciam? ad eum qui eſt humili & fracto ſpiritu, quíque contremiſcit ad ſermonem meum. Ergo ſi Iudæi humili & contrito ſpiritu ad templum domini veniſſent, & cum timore domini ſacrificaſſent, minimè fuiſſent à domino reiecti. Præcepit itaque tunc dominus populo Iudæorum, ſicut diuus Hieronymus rectè admonuit, & hodie nobis, qui videmur in Eccleſia conſtituti, ne fiduciā habeamus in ædificiorū ſplẽdore, auratíſq; laquearibus, & veſtitis parietib⁹ marmorū cruſtis, & dicamus: Templū domini tẽplum domini eſt. Illud enim templum domini eſt, in quo habitat vera fides, ſancta conuerſatio, omniúmque virtutum chorus. Hæc ille. Sanè igitur intelligendum eſt quod diuus Stephanus hîc de templo Dei dicit, ne Petrobruſianorum, vel Anabaptiſtarum errori, quo omnia templa abominantur, occaſionem demus. erratur peſſimè, & in vtramque partem hac in re. Nam ante noſtra ſæcula multos ſumptus fecerunt quidam in templa, contemptis interim pauperibus, viuis ſcilicet Dei templis: iam ſub prætextu eleemoſynarum quæ pauperibus colliguntur, templa redduntur de-

1. Pet. 2.

ſerta, miniſtri Eccleſiæ non ſolùm negliguntur, ſed etiam pręter omne ius ac fas ſpoliantur. Verùm, ſi Deum audire volumus, & in neutram partem peccare cupimus, ſic prouideamus pauperibus, vt Chriſti honore nihil derogetur: ſic ornemus templa, vt pauperes non negligantur. Et hęc quidem hactenùs.

Dura ceruice, & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?

Et hactenùs quidem ſatis declarauit Stephanus quid veri Iſraëlitę vel de Deo, de Moyſe, de templo, & omnibus externis cęremoniis ſentire debeant: iam igitur acerrimè in ipſos inuehitur verbis admodum duris, ſed qualia & à Prophetis, & ab ipſo Chriſto non ſemel audierant. In Deuteronomio enim audierant: Circumcidite pręputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius. Et iterum: Circumcidet dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas dominum Deum tuum ex toto corde, & in tota anima tua, vt poſſis viuere. Et apud Hieremiam: Circumcidimini domino, & auferte pręputia cordium veſtrorum, viri Iuda, & habitatores Hieruſalem. Rurſum apud eundem: Omnes gentes habent pręputium, omnis autem domus Iſraël incircumciſi ſunt corde. Ex his & ſimilibus locis facilè potuerunt intelligere quid vellet diuus Stephanus. Si enim patres ipſorum verè circumciſi ſunt, quid ſibi volunt tam ſeueræ propheticæ obiurgationes? Quod verò Stephanus de interfectis Prophetis dicit, non ita dudum à Chriſto ipſo audierunt. Sic enim Chriſtus dicebat: Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ędificatis ſepulchra Prophetarũ, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum qui prophetas occiderunt: Et vos implete mẽſuram patrum veſtrorum, &c. Cæterũ duo hîc obſeruanda ſunt, primum quòd diuus Stephanus tacitè arguit quænam ſit vera illa circũciſio quam Deus à veris Iſraëlitis requirat, nimirũ circumciſio cordis, vt in hoc ipſo nihil ſit quod Deo repugnet: nam externa illa circũciſio ſine interna, nemini quidquã proderit. Eſt enim cir-

Deuter. 10.
Deuter. 30.
Hierem. 4.
Hierem. 9.
Matth. 23.

cumciſio ſignaculum iuſtitiæ fidei: igitur vbi iuſtitia fidei non eſt, fruſtrà oſtentatur ſignaculum. Quare ſuſpendis hæderam qui vinum bonum non habes? quare eius inſignia geſtas, cuius dominio te ſubtrahis? Sed hac de re alibi fuſiùs vt dicamus, hiſtoriæ ſeries nos commonefaciet. Alterum notandum eſt, quod Diuus Stephanus dicit omnes Prophetas à Iudæis perſecutionem paſſos: quod licet non de ſingulis Prophetis vetus hiſtoria teſtetur, tamen dubium non relinquitur quin ita factum fuerit. Si ergo omnes Prophetę perſecutionem ſuſtinuerunt, non eſt vt ſibi quiſquam vetus Propheta promittat tranquillitatem ab eis quibus verè præeſt. Veritas enim, ſicut vetus prouerbium habet, odium parit, & nemo æquanimiter fert ſi quis ipſum velit mordaci, vt ille ait, rodere dente. Huc pertinet quod Chriſtus apud Matthæum dicit ad Apoſtolos ſuos: Beati eſtis ſi maledixerint vobis homines, & perſecuti fuerint vos, &c. gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. *Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores eſtis, & homicidæ fuiſtis: qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.* Hic videmus quomodo Diuus Stephanus omnia de quibus accuſatus eſt retorquet in accuſatores. Agè enumeremus accuſationum capita. De diuo Stephano dicunt falſi teſtes: Hic homo non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum, & legem. Audiuimus enim eum dicentem quòd Ieſus Nazarenus hic deſtruet locũ iſtum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyſes: ſic ergo accuſatur bonus Stephanus. Iam ſi conſentanea ſcripturæ loquitur, annè excuſatus & egregiè defenſus eſt? Tu igitur iam inter partes probè & dextrè iudica, & vide vtrà pars Deo Deique legi aduerſetur. Lex à Deo per Moyſen data eſt, hanc mirum in modum extollunt Iudæi, nec diuus Stephanus illam eleuat. Moyſes dicit huic ſuæ legi aliam ſucceſſuram: hoc negant Iudæi, Stephanus verò affirmat. Moſes dicit Dominum alium Prophetam exuſcitaturum, eúmque populo audiendum. Diuus Stephanus itaq; ſciens hunc Prophetam Ieſum Nazarenum eſſe, ideo ei obtemperat: Iudæi verò hactenus illum blaſphemant. Omnes Prophetæ de aduentu Meſſiæ prædixe-

runt, ſed propterea à Iudæis interfecti ſunt, à diuo verò Stephano maximè commendantur. Vter igitur blaſphemus, qui Prophetas occidit, an qui illis credit? ſententia extra dubium eſt. Iam itaque videamus in quot accuſet Stephanus Iudæos. Occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti huius. de hac re iam diximus. Secundò, vos iuſti huius quem annunciauerunt Prophetæ, proditores & homicidæ facti eſtis: hoc etiam audierunt à diuo Petro. Tertiò, accepiſtis legem per miniſterium Angelorum, & non cuſtodiſtis. Sic ergo Iudæi blaſphemi & iniurij ſunt in Deum patrem cuius Prophetas occiderunt, in Moſen, in Prophetas, in Angelos, & in Dei viuentis filium dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hæc ſi quis vellet exaggerare, tunc tandem appareret Iudæorum impietas, & aduerſus omnes benefactores eorum ingratitudo. Cæterùm noſtrum potius erit, vt illorum impietatem audientes nobis à ſimili exemplo caueamus. Malum eſt Prophetis Dei nolle acquieſcere, peius eſt illos odire, peſſimum autem illos malo aliquo afficere. Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit, ait Dominus. Vide autem hîc diui Stephani modeſtiam & prudentiam. Non dicit Iudæos interfectores eſſe filij Dei, ſed eius iuſti de quo prædixerunt Prophetæ: hoc enim mitius erat. Et Chriſtus non ſecundum quod Deus, ſed ſecundum quod homo eſt mortem ſuſtinuit, licet Deus & homo vnus ſit Chriſtus: vnde etiam indifferenter de vtraque eius natura ſcriptura loqui ſolet, &c. Obſerua hîc interdum licere viris Apoſtolicis, vt ſæuius obiurgent eos qui veritati impudenter repugnant. Intereſt enim prædicatoris vt peccatum arguat, & peccatores increpet, quo ad agnitionem peccatorum ducantur, & ad Chriſtum propitiatorem peccatorum perducantur. Si dicente me, ait dominus ad Ezechielem, ad impium, Morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via ſua impia & viuat, ipſe impius morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Videtur quidem in hac apologia Stephanus ſatis grauiter increpare ſummos ſacerdotes & totum conſilium: verùm nihil facit ex ira vel impotentia animi, ſed pio zelo, & magna boni ſpiritus fortitudine, officium eſt quod facit, non conuicium. Sed hæc hactenus. *Audientes autem*

hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. His oſtendere vult Lucas, quomodo ſummi ſacerdotes illi orationem Stephani exceperint, nimirum iniquo & impotenti animo, vt qui non ad mentem, ſed ad verba tantùm Stephani reſpiciebant. Si enim æqui fuiſſent ponderatores & æſtimatores probi verborũ Stephani, cogitaſſent illum hæc ex officio & merito facere, húncq; nihil in illos confingere. Anné in ſacris literis ſunt quæ Stephanus produxit? an non patres ipſorum peſſimè audiunt vbiq; in Scripturis? an non multos Prophetas occiderunt? an non ipſi ſacerdotes in crucem egerunt Chriſtum? Quare igitur ſic aduerſus confeſſam veritatem tumultuantur? quia ſcilicet maluerunt probi ab hominibus videri quàm eſſe. Cur non dicunt quod turba ad Petrũ & Ioannem, Viri fratres, quid faciemus? Sed horum nihil hîc auditur, fremunt dentibus, & rumpuntur vt ilia Cedro. Eſt enim hic genius impiorũ, & omnium qui aduerſus veritatem animos ſuos obfirmâtunt, vt audita veritate magis cæci, & propoſita increpatione magis furioſi reddantur, atq; in monitores ſuos verbis & verberibus vertantur. Etenim quemadmodum canes vel in flumen proiecti, vel vinculis irretiti vertunt ſe in illos qui extenſa manu cupiunt eos liberare, & lacerât illos (exiſtimant enim liberatorem ideo porrigere manum, vt plus eis incommodet) ita qui ſunt vinculis impietatis irretiti, non poſſunt liberatoris ſui increpationem boni conſulere, ſed interpretantur eam ſibi cõtumeliam & exitium eſſe. Proindè more canum vertunt ſeſe ad increpatores, & lacerant eos. Exemplorum magnam copiam nobis ſuppeditant non ſolùm ſacræ ſcripturæ, ſed mores huius corruptiſſimi ſæculi: nos verò his poſthabitis ad ſanctiora properemus comitaturi diuum Stephanum ad mortem vſq;. *Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantẽ à dextris virtutis Dei, & ait: Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* Sentit diuus Stephanus ſibi paratam mortem, videt pontifices & aſſeclas in necem eius iam conſpiraſſe, habet mortem ob oculos poſitam: quid igitur faceret? An ſperabit ſe à Chriſtianis defenſum iri? ánne precabitur veniam? an meditetur palinodiam? nihil tale. Sed quid? cùm ab omnibus eſt derelictus, hoc ſolùm reliquum habet, vt

oculos in cælum dirigat ad Dominum Ieſum Chriſtum, cuius nomine ſeſe in hoc periculum dederat, & cuius cauſſa agebatur. Cùm enim eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, &c. Hæc per ſingula diſcutienda ſunt, & per partes ſuas interpretanda. Primò dicit diuum Stephanum plenum fuiſſe Spiritu ſancto, quo docemur Stephanum in hac tota apologia per iram vel odium, vel aliquo alio malo affectu nihil dixiſſe, ſed omnia proût ſpiritus ei ſuggeſſerat. Docemur etiam illis tandem manifeſtari gloriam Dei, qui Spiritus ſancti ſequuntur ductum, áque illius monitis non abhorrent. Secundò videt Stephanus gloriam Dei, vt qui contumelias hominum ſuſtinebat, ſciret ſe gloriæ Dei fore participem. Tertiò videt Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, hoc eſt, in æquali gloria cum patre, quod magnæ conſolationi eſſe debuit Stephano, ſicut haud dubiè fuit. Quis enim non libens pro eo pateretur contumelias, quem videt Deo patri ad dexteram ſedere? Quartò non poteſt Stephanus ſua cælare gaudia, ſed continuò hæc exponit, dicens: Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. Filium hominis, inquit, vt arguat Chriſtum ſecundum quod homo eſt ad dexteram Dei: qua de re Paulus in Philippen. & Hebræis. Iam quæſtio eſt quomodo Stephanus videre potuerit cælos apertos: nos paucis reſpondemus. Neque Lucam, neque Stephanum hîc quicquam fingere ſcimus: quomodo verò Stephanus in cælos videre potuerit planè ignoramus. Vidit itaque Stephanus eo modo quo ipſi videre conceſſum eſt. Et Chriſtus eo modo ſe viſendum exhibuit quo ſibi placuit, quum omnia quæ ei placent facere poſſit. Extat inter opera quæ D. Auguſtino inſcribuntur, libellus ſub titulo de cognitione veræ vitæ, in eo legimus cap. 42. in hæc verba: Stephanus non corporeis oculis Dominum in cælo vltra firmamentum vidit, cùm nullius hominis viſus vllo modo vſque ad cælum pertingere poſſit: ſed & concio illa in qua Stephanus ſtans Chriſtum conſpexit, in domo aliqua fuit, cuius tecti culmen, ipſius corporeus oculus penetrare minimè potuit. Conſtat igitur quod non oculo corporis, ſed intuitu interioris hominis Chriſtum non in corporeo, ſed intellectuali cælo viderit. Hæc ille, quæ ſi

de naturali viſus humani acumine dicuntur, veriſſima eſſe non dubitamus: atqui nemo prohibet Chriſtum miraculosè Stephano apparuiſſe. Vnde & abſurdum & impium fuerit ſtatim negare poſſe fieri, quæ naturaliter fieri non poſſunt. *Exclamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant.* Sic ſcilicet oportet diſputare cum abominandis Chriſtianis: ſic ſoluta ſunt argumenta, ſic probata ſunt allegata, ſic interpretata eſt Scriptura. Sed tranquilliori animo rem omnem expendamus. Quare ſic clamant? quare ſic tumultuantur? quare obturant aures ſuas? propter blaſphemiam videlicet quam locutus eſt Stephanus. Dixit enim ſe videre gloriam Dei, & dixit Ieſum ſtare à dextris Dei, hoc eſt, æqualem eſſe Deo. Duplex itaque blaſphemia eſt ſi Iudæis credimus, & tanta quæ impunita eſſe non poſſit. Dixerat olim Eſaias: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eius blaſphemiæ pœnas Iudæi dedit. Dixit enim Dominus Deus: Non videbit me homo, & viuet. Dixerat Chriſtus in concilio ad Caiapham principem ſacerdotum: Veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Ad hæc ſummus ſacerdos, Blaſphemauit, aiebat, quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis. Iam ſi Eſaiæ non pepercerunt, ſi Chriſtum Dei filium ob tales voces in crucem egerunt, quomodo impunitum dimitterent diaconum? Laude igitur digni ſunt Iudæi, qui tales blaſphemos viuere diutius nolunt. Sed in re ſeria ſatis iocatum eſt. Quis non abominetur tale conſilium, in quo innocentia tantam iniuriam ſuſtinet? anné omnia Scripturis conſentanea dixit Stephanus? Quòd ſi dixit ſe videre cælos apertos, nihil incredibile dixit. nam Deus pollicitus eſt ſe affore eis qui pro ipſius nomine iniurias & tribulationes ſuſtinent: Cum ipſo ſum in tribulatione, inquit, eripiam eum, & glorificabo eum. Quòd dicit ſe videre Ieſum ſtantem à dextris Dei, tantiſper verum erit donec Iudæi probauerint in Chriſtum non competere quod in Pſalmis legunt: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Sed his nihil

mouentur pontifices: verùm voce magna clamant ne audiatur Stephanus ab aliis, & ipſi aures ſuas obturant ne veritatem audire cogantur, & vnanimiter impetum faciunt in Stephanum, vt non immeritò dixiſſet: Circundederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens ac rugiens. Poſtremò eiiciunt eum extra ciuitatem & lapidibus obrutum interficiunt, in hoc ſcilicet legi obtemperantes. Lex enim ſic habet: Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus, & ad filios Iſrael loqueris: Homo qui maledixerit Deo ſuo portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemauerit nomen domini, morte moriatur. Lapidibus opprimet eum omnis populus, ſiue ille ciuis fuerit ſiue peregrinus. Qui blaſphemauerit nomen domini, morte moriatur. Cùm itaque Deus tanta ſeueritate mandauerit blaſphemum lapidandum eſſe, non potuerunt pontifices Stephano parcere, ſed priùs probanda fuerat blaſphemia, & teſtibus non falſò ſubornatis, ſed veracibus confirmanda. Præſerua, ô bone Deus, iudices noſtros ne temerè quidquam contra innocentem ſanguinem tentare præſumant. Et, ô bone Ieſu, qui innocenter mortem pro nobis paſſus es, da omnibus innocentibus patientiam, vt impiorum morſus æquanimiter ferre valeant. Quotquot iniuriam & calumnias ſuſtinent miſeri homines, hîc habent vnde ſe conſolentur. Vides enim innocentibus dum iniurias ſuſtinent & cælos aperiri, & Ieſum aſſiſtere vt liberet eos, ſecúmque ad gaudia æterna perducat. Det dominus magiſtratui noſtro eam mentem, vt tanta ſeueritate animaduertant in veros blaſphemos, quanta illi ſæuierunt in innocentem Stephanum. Et hæc quidem hactenus. *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis qui vocabatur Saulus.* Et hæc feciſſent iuxta legem, ſi diuus Stephanus conuictus fuiſſet blaſphemiæ. Sic enim habet lex: In ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur, manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur. Ponunt autem falſi teſtes veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis Sauli, quo ſcilicet expeditiores ſint ad mittendum lapides in Stephanum. Sed quid eſt quod Lu-

Leui.24. *Deute.17.*

eas nobis tam diligenter deſcribit nomen adoleſcentis, videlicet quòd vocatus fuerit Saulus? Paraſceue eſt ad futuram hiſtoriam de conuerſione Pauli. Nam Saulus hîc adhuc adoleſcens videtur Chriſtianos & horum religionem ex animo odiſſe, quum lapidantibus adeſt & horum veſtes cuſtodit. Sed de Saulo in ſequentibus. *Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Dominus Ieſus pro nobis iam iam in cruce moriturus dicebat, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Hoc dicebat Chriſtus, qui tamen poteſtatem habebat ponendi animam ſuam & iterum ſumendi eam. Stephanus verò vt oſtenderet quantum fideret Chriſto, docerétque eum eſſe vnum Deum cum patre, precatur dicens: Domine Ieſu accipe ſpiritum meum. Vide pium ac manſuetum animum, non reluctatur, non conuiciatur, non iactat innocentiam, non imprecatur vindictam, ſed eum quem viderat inuocat, Domine Ieſu, inquit, ſuſcipe ſpiritum meum. Refert diuus Auguſtinus lib. 22. de ciuitate Dei, cap 8. hiſtoriam elegantem, & huic loco vt inſeratur digniſſimam: Fuit, inquit, vir ibi (in caſtello opinor Synicenſi) in ordine ſuo primarius nomine Martialis æuo iam grauis, & multum ab religione abhorrens Chriſtiana. Habebat ſanè fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum, qui cùm ægrotantem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent vt Chriſtianus fieret, prorſus abnuit, eóſque à ſe turbida indignatione ſubmouit. Viſum eſt genero eius vt iret ad memoriam ſancti Stephani, & illic pro eo quantum poſſet oraret, vt Deus illi daret mentem bonam qua credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & ſinceriter ardente pietatis affectu. Deindè abſcedens, aliquid de altari florum quod occurrit tulit, eíque cùm iam nox eſſet ad caput poſuit. Tunc dormitum eſt, & ecce ante diluculum clamat vt ad Epiſcopum curreretur, qui mecum tunc fortè erat apud Hiponem: cùm verò eum audiſſet abſentem, venire presbyteros poſtulauit. Venerunt, & ſtatim ſe credere dixit, admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus eſt: hoc quamdiu vixit in ore habebat, Chriſte accipe ſpiritum meum, cùm hæc verba Stephani beatiſſimi, quando lapidatus eſt à Iudæis,

vltima fuiſſe neſciret, quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multò pòſt etiam ipſe defunctus eſt. Hactenus diuus Auguſtinus, qui hoc recenſuit non ſolùm vt oſtenderet quãta miracula per merita diui Stephani Deus facere ſoleat, ſed etiam vt intelligeremus verba illà diui Stephani, quibus commendauit ſpiritum ſuum Ieſu Chriſto, etiam in vſum noſtrum vertenda eſſe. Domine Ieſu, inquit, ſuſcipe ſpiritum meum. Vide vt Ieſum pro domino & ſeruatore tuo habeas dum adhuc ſanus & incolumis exiſtis, & ſub mortis horam ſana conſcientia licebit dicere: Domine Ieſu accipe ſpiritum meum. *Poſitis autem genibus clamauit voce magna: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in domino.* Non poteſt non obdormire in domino, qui in tam multis dominum imitatur, qui tanta ardet charitate, vt etiam pro inimicis ſuis exorare non dubitet. Vide enim quod exemplum Chriſti imitetur. Chriſtus in cruce pendens, & peccata noſtra dependens ſic ad Patrem ſuum cæleſtem precatur: Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. Stephanus verò: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Illis. Quibus? qui me innocentem tanta crudelitate lapidare pergunt. Poſitis autem genibus orat, vt videas illum rem tantam ſeriò agere. Meminerat enim dominum dixiſſe: Mihi vindictam, & ego retribuam. Meminerat Chriſtum dixiſſe: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt, & orate pro perſequentibus vos, &c. Hoc præcepit dominus, hoc impleuit ſeruus. Tu autem ô Chriſtiane, quæris vindicari de aduerſario tuo qui tibi forſan iniuriam fecit, æſtuas, furis, anhelas, feſtinas vindicari. Attende medicum ægritudinis tuæ, ait Auguſtinus, attende redemptorem animæ tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondum eſt vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis talem ac tantum magiſtrum imitari? Ideo pati voluit, vt tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exẽplum. Sequitur. *Saulus autem erat conſentiens neci eius.* Saulus hîc dicitur quem nos Paulum vocamus: hunc itaque dicit conſenſiſſe in necem Stephani prothomartyris. Putabat enim Deo gratiſſimum exhiberi cultum, ſi quando interficeretur aliquis Chriſtianus: verùm non ita multò pòſt audiemus ex rapaciſſimo ac crudeliſſimo lu-

p mansuetiſſimum effici agnum. Neque enim ita multò pòſt deſcribet nobis Lucas conuerſionem Pauli, qui iam magna voluptate videt Stephanum lapidari. Non enim eſt dubium, quin lapidatio Stephani Saulum magna affecerit voluptate, non quòd delectaretur effuſione ſanguinis, ſed quòd tantus eſſet paternarum traditionum zelator. Quod igitur Lucas hoc in loco ſcribit Saulum & conſenſiſſe in necem Stephani, & lapidantium cuſtodiiſſe veſtes, non facit vt Saulum à peccato excuſare velit, ſed multò magis vt eum magnitudine peccatorum grauet: non quòd Saulum ex malitia traducere, ſed quòd nobis Dei miſericordiam erga Saulum declarare velit. Sed quoniam nobis hac de re in ſequentibus copioſior reſtat tractatus, nos relicto hoc capite ad ſequens nos recipiemus, non diffidentes quin & nobis propitius futurus ſit, qui diuum Stephanum ad ſe vocauit.

CAPVT VIII.

F*Acta eſt autem illa die perſecutio magna in Eccleſia quæ erat Hieroſolymis. & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos*. Impletur iam quod dominus noſter Ieſus Chriſtus iam olim diſcipulis ſuis dixerat: Antequam deſtruetur ciuitas Hieroſolymorum, iniicient vobis Iudæi manus ſuas, & perſequentur tradentes in Synagogas & cuſtodias, &c. Et ad ipſos Iudæos dixerat: Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, &c. Poſtquam enim Iudæi Stephanum occiderant, & viderent neminem ſuis ipſorum conatibus obſiſtere, tum impetum faciunt in omnes Chriſtianos, Chriſtianum populum funditùs extinguere, hoc eſt, rem impoſſibilem tentantes. Et hoc quidem malo odio in Chriſtianos agebant Iudæi: verum Dei prouidentia rem in diuerſum deduxit. Dum enim Iudæi perſequuntur Chriſtianos vt Chriſtianiſmus aboleatur, fit vt hîc per piorum peregrinationem propagetur. Quocunque enim Chriſtiani veniunt, Chriſtia-

Luce 21.

Matth. 23.

næ fidei ſemina ſpargunt, vt perpetuò humanum conſilium nihil efficere poteſt contra diuinum. Chriſtianus itaque populus diſperſus eſt per regiones Iudææ & Samariæ; Apoſtoli verò permanent Hieroſolymis, & hoc non vnam tantùm ob cauſſam. Prima eſt, vt Iudæis nulla remaneret tergiuerſandi occaſio, quaſi ob defectum Eccleſiaſtarum credere non potuerint. Secunda eſt vt Dei miſericordia erga Iudæorum populum declararetur, qui ob mortem Stephani non ſtatim offenſus illos ſtatim omnibus prædicatoribus ſpoliare voluit. Adde quod adhuc multi latebant in Iudæorum populo, qui rebus altiùs perpenſis relicto Iudaiſmo ad Chriſtum huiúſque religionem conceſſuri erant. Tertiò declaratur in hoc Dei virtus ac potentia, qua Iudæorum violentiam ſic cohibuit, vt Apoſtolorum choro nullam vim inferre valuerint. Neque enim dubium eſt Iudæos crudeliùs tractaſſe Apoſtolos ſi licuiſſet, quàm plebeios Chriſtianos: nec dubium eſt quin & reliquos Chriſtianos cuſtodire ac defendere potuiſſet, qui Apoſtòlos cuſtodiuit, ſi modò in rem Eccleſiæ fuiſſet. Tu itaque non ſtatim deſpondeas animum ſi quando præter meritum perſecutionem paſſus fueris, ſed cogita hoc Chriſtianorum fatum eſſe vt in hoc mundo rarò benè habeant. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum*. Stephanum infami coram mundo mortis genere extinctum curârunt honeſtè humandum viri quidam pietatis cultores, quòd intelligerent illum præter meritum per ſubornatos teſtes oppreſſum. Hoc ſtudio Ioſeph & Nicodemus curarunt funus domini noſtri Ieſu Chriſti: & ſenior Tobias plurimum commendatur ob ſtudium ſepeliendi mortuos. Teſtantur itaque viri illi qui Stephanum ſepelierunt, ſuam fidem in Chriſtum & charitatem in Stephanum. Niſi enim credidiſſent in Chriſtum, duxiſſentque pium pro Chriſto occumbere, nequaquam ſepultura dignati fuiſſent Stephanum, maximè cum tanto periculo. Non enim eſt dubium quin eiuſmodi viri malè audierint apud Iudæos, quòd hoſti Iudaicæ religionis tantum honoris impendunt. Amauerunt item Stephanum, quem non tantùm ſepelierunt honorificè, ſed etiam propter eum fecerunt planctum magnum. Quare planctum magnum?

gnum? non quòd huius animæ timerent, ſed quòd dolebant vicem Eccleſiæ, quæ tam fidum ac fidelem miniſtrum amiſerat. Et hic locus certè poſtulare videtur longiorem tractatum de mortuorum ſepulturis, & de omnibus quæ circa mortuos fieri ſolent. Nemo certè ſanæ mentis damnauerit moderatam & iuſtam mortuorum curam. Quis enim probauerit Scythicæ gentis inhumanum morem, quæ nullos impendit corporibus honores? neque enim latere vos puto quanta cura tenuerit priſcos patres, vt vbi vellent ſepelirentur. Non ſunt ergo contemnenda & abiicienda corpora defunctorum, vt diuus Auguſtinus, maximéque iuſtorum ac fidelium, quibus tanquam organis & vaſis ad omnia bona opera ſanctus vſus eſt ſpiritus. Si enim paterna veſtis & annulus ac ſi quid eiuſmodi tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes maior extitit affectus: nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò familiarius atque coniunctiùs, quàm quælibet indumenta quæ geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa, ipſique cùm viuerent, hæc de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus filiis mandauerunt. Et Tobias ſepeliendo mortuos Deum promeruiſſe teſte Angelo commendatur. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus domini de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum ſepeliendúmque curârunt. Hæc verò non in hoc dicuntur quaſi aliquis inſit ſenſus cadaueribus, ſed quia eiuſmodi pietatis officiis teſtamur fidem noſtram de futura corporum reſurrectione. Quod verò locum ſepulturæ attinet, placet mihi quod diuus Auguſtinus ſcriptum reliquit, inquiens: Si aliquid prodeſt impio ſepultura precioſa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exequias in conſpectu hominum purpurato illi diuiti turba exhibuit famulorum, ſed multò clariores in conſpectu domini hulceroſo illi pauperi miniſterium præbuit Angelorum: qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ ſinum ſuſtulerunt. Igitur ſi quis quærat ad quid proſit corpora mortuorum ſepeliri in ba-

Ex d. Auguſt. de cura pro mortuis gerenda.

ſilicas diuorum, reſpondeo cum eodem Auguſtino non niſi ad hoc, vt dum animi recolunt vbi ſint poſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem ſanctis illos tanquam Patronis ſuſceptos apud dominum adiuuãdos orando commendent): quod quidem facere poſſent, etiamſi talibus locis eos humare non poſſent. Cùm itaque recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Qui cùm defunctis à fidelibus chariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt his, qui cùm in corpore viuerent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt. Verùm etſi aliqua neceſſitas vel humari corpora, vel in talibus locis humari nulla data facultate permittat: non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus quorúmque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia: vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati vel amici, ab vna eis exhibeatur pia matre communi. Si autem deeſſent iſtæ ſupplicationes, quæ fiunt recta fide ac pietate pro mortuis; puto quòd nihil prodeſſet ſpiritibus eorum, quamlibet in locis ſanctis ex anima corpora ponerentur. Hæc hactenus omnia diximus ex diui Auguſtini ſententia: vnde intelligimus quæ tum fuerit Eccleſiæ ſententia de Chriſtianis vita defunctis, nimirum vt honorificè ſepeliantur, vt diuorum patrociniis commendentur, vt pro ipſis precemur & eleemoſynas demus. Quæ omnia niſi ſacris literis eſſent conſentanea, neque Eccleſia feciſſet, neque Auguſt. tantus ſcilicet antiſtes docuiſſet, atque magna diligentia defendere in animum ſuum induxiſſet. Nam illa quæ adduximus non iuuenis adhuc in Epiſcopatu ſuo ſcripſit, ſed quum iam multa legendo & ſcribendo didiciſſet, nec ſemel talia ſcripſit, ſed ſæpiùs & in multis locis. Neque ab aliquo vnquam hoc nomine accuſatus fuiſſe legitur, niſi quòd aduerſarij noſtri calumniantur pium alioqui Epiſcopum in re mortuaria, vt ita dicam, lapſum fuiſſe. Sed forſan alibi plura de hac re dicemus: nunc ad contextum noſtrum reuertimur. *Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac*

mulieres tradebat in cuſtodiam. Quoniam Lucas noſter in ſequentibus deſcripturus eſt, quanto ſtudio diuus Paulus propagaturus & propugnaturus eſt Eccleſiam Chriſti, ideo iam deſcribit etiam quanto ſtudio idem Paulus iam propugnat Synagogam, vt ſic appareat Dei magna miſericordia & potentia, qua tantum Chriſtianæ fidei hoſtem in ardentiſſimum fidei præconem conuertit. Neque enim Lucas hanc tyrannidem Pauli depingit calumniandi vel conuiciandi libidine, (abſit hoc à ſanctiſſimo viro) ſed multis aliis de cauſſis. Vnam nec poſtremam iam diximus, nimirum quòd his declaratur Deum verè poſſe ex lapidibus Abrahæ filios facere, poſſe & mortificare & viuificare, poſſe ad inferos ducere & reducere, poſſe hominem leone crudeliorem ſic cicurare, vt putes leonem in ouem manſuetiſſimam mutatum. An non magnam crudelitatem Sauli iam audimus? deuaſtat Eccleſiam, Chriſtianis moleſtus eſt, intrat domos Chriſtianorum, vi extrahit, tradit in cuſtodiam, nec viris nec fœminis parcit, nullum hîc humanitatis veſtigium vides, nihil niſi ſanguinem Chriſtianorum ſitit: felicem igitur Eccleſiam quæ tanto hoſte liberatur. Sed quis credet fore vt Saulus non ſolum deſiſtat impugnare Eccleſiam, ſed etiam magno ſpiritu illam pergat & propagare & propugnare? vèrùm in ſequentibus videbimus mutationem excelſi. Altera cauſſa eſt quare Stephanus tyrannidem Pauli deſcribit, quòd nobis indicare voluit tribulationes & perſecutiones fratrum noſtrorum primitiuæ Eccleſiæ, vt nobis non videatur nouum, etiamſi non omnia ſtatim nobis ex animi ſententia ceſſerint. Tertia eſt ne facilè de aliquo quantumuis malo deſperemus, quum tantus Eccleſiæ perſecutor animum mutauerit. Sed hac de re forſan in ſequentibus rurſum dicemus. *Igitur qui diſperſi erant pertranſibant, euangelizantes verbum Dei.* Hoc eſt quod in ſuperioribus diximus, videlicet impiorum conſilia quæ contra pietatem inſtituunt, perpetuò in contrarium verti. Chriſtiani hoc tantùm nomine à Iudæis affliguntur, tribulantur, diſperguntur, ne Chriſtianiſmus propagetur, & dum hoc cauere volũt, promouent. Chriſtiani enim quócunque perueniunt, prædicant Chriſti fidem, annunciant Euangelium, & ſic multos conuertunt ad Chriſtianiſ-

retur, Euangelium quod Iudæis diſplicebat, Samaritano & reliquos infideles amplexaturos. Ait enim Lucas: Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur. vnanimiter audientes. Magna laus eſt Samaritanorum quòd diligenter auſcultant verbis diaconi, & hoc vnanimiter & magno conſenſu. hoc enim dicitur, ne exiſtimemus aliquid apud illos per tumultum fuiſſe factum. Et ex Euangelio apparet Samaritanos fuiſſe homines humanos & parùm difficiles, & qui etiam nonnullam ſpem de futuro Meſſia conceperant. Quis enim non legit pulcherrimum illum dialogum in Euangelio Ioannis inter Chriſtum & Samaritidem? Mulieris verba ſunt: Domine, vt video, Propheta es tu. Patres noſtri in monte hoc adorauerũt, & vos dicitis quia Hieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet. Et iterum: Scio quia Meſſias venit qui dicitur Chriſtus, cùm ergo venerit, ille annunciabit nobis omnia. Et rurſum: Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: nunquid ipſe eſt Chriſtus? Si igitur hæc mulier non admodum pudica, vt apparet, tam piè de Meſſia commentatur, facilè iudicandum eſt quid reliquus populus de illo ſenſerit. Cùm itaque res ſic ſe habeat cum Samaritanis, non eſt mirum quòd Philippus beneuolos auditores habuerit, maximè quòd prædicationi illius etiam multa miracula ſucceſſerint.

Multi enim eorum qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna, exibant: multi autem paralytici & claudi curati ſunt. Factum eſt ergo gaudium magnum in illa ciuitate.

Diuerſi ſunt effectus Euangelij. Dæmones audientes nomen domini Ieſu Chriſti, vociferantur, clamant, & vlulant, vt qui ſentiunt & experiuntur iam adeſſe eum, qui ex illorum captiuitate & tyrannide miſeros homines liberare valeat. Sic in Euangelio clamant: Quid tibi & nobis Ieſu Nazarene? veniſti ante tempus torquere nos. Hactenus enim vniuerſam terram occupauerant, populum ſibi ſubditum ac deuotum reddiderant, & nuſquam non tanquam dij culti fuerant: iam ergo conſpectum vnius Chriſtiani hominis ferre non poſſunt, & audientes tantum nomen Ieſu Nazareni, ex hominibus quos poſſederant exire compellebantur. Hinc illæ lachrymæ, hinc eiulatus illi, hinc tanti clamores. E contra verò Sa-

maritæ audientes Euangelium ſalutiferum de Chriſto, videntes dæmones effugari, paralyticos & cæteros malè habentes curari, maximo afficiuntur gaudio, hoc quod nobis Lucas noſter occultare noluit. Vides igitur hîc quem nobis referunt qui Euangelium audire nolunt, & qui alienæ inuident ſaluti: nimirum ipſum dæmonem malum qui inuitus exit ab homine, & cui magna pœna eſt audire veritatem Euangelij. Valeat itaque Satan cum ſua inuidentia: nos potiùs imitemur Samaritas illos qui diligenter & vnanimiter ſtudent Euangelio Chriſti, & ob incolumitatem proximorum lætantur quàm plurimùm.

Eccle. hiſt. lib. 1. cap. 1.

Vir autem quidam nomine Simon, qui anteà fuerat in ciuitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum: cui auſcultabant omnes à minimo vſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propterea quòd multo tempore magicis ſuis dementaſſet eos.

Lib. recognitionum. 2.

Multa de peſſimo hoc homine Simone Mago ſcribuntur à veteribus, quæ omnia huc referre conſultum mihi videtur minimè. Diuus Clemens Petri & Pauli Apoſtolorum diſcipulus multas eius recenſet præſtigias, & longam ipſius diſputationem, quam aduerſus Petrum Apoſtolum inſtituerat. Epiphanius in hæc verba de illo ſcribit: Hîc Simon præſtigiator erat, & à Gittharum ciuitate in Samaria originem trahebat, quæ nunc vicus exiſtit. Incantationibus autem Samaritas decipiebat, fallebátque & ineſcabat. Dicebat ſe ipſum eſſe magnam virtutem Dei, & ex ſupernis deſcendiſſe. Patrem verò dicebat ſeipſum eſſe apud Samaritas: apud Iudæos verò ſe filium eſſe dicebat, paſſum autem ſe non eſſe, ſed ſolum apparentia. Et poſt pauca de eodem ſcribit. Nam cum reperiſſet ſibi ipſi mulierem circulatricem Helenam nomine à Tyriorum vrbe ortam, ipſam in vxorem ducit, nõ iudicans ſe cõſuetudinem cum ipſa habere: verùm in abſcõdito turpitudine mulieri permixtus ille præſtigiator, fabuloſam quãdã amœnitatẽ diſcipulis ſuis exponebat, nimirum dicẽs ſeipſum virtutem Dei eſſe magnam: cõiugẽ verò ſcortatricẽ, Spiritũ ſanctum eſſe dicere auſus eſt, & propter hãc ſe deſcẽdiſſe dixit. Hęc & multa alia ab-

ſurda & impia de illo peſſimo præſtigiatore ſcribit Epiphanius Tomi ſecundi libro 1. cap. 21. Ibidem ſcribit de Simone Mago quod in media Romanorum vrbe collapſus interierit. De hoc itaque nequiſſimo impoſtore ſcribit hic Lucas noſter, quod ille gentem Samariæ ſeduxerit, ita vt hominem impiiſſimum diligenter & ſtudioſiſſimè coluerint: mihi verò videtur quòd res ſic ſe habuerit. Samaritanis non ſecus atque Iudæis perſuaſum erat, Meſſiam certò venturum, & hoc in breui, illúmque admiranda ope raturũ. Satan itaque animaduertens hanc hominum ſimplicitatem, excitauit organum ſuum Simonem Magum, qui magicis ſuis artibus populum ſimplicem ſeduceret, quo minus verum Meſſiam poſteà amplecterentur. Nam Chriſtus, ſicut nouimus, ab infantia pauca miraculosè operatus eſt, & nihil magnificè ſuper cæteros homines præ ſe tulit: quum autem Simon magicis ſuis artibus tam admiranda operaretur, facilè fidem inuenit apud ſimplicem ac credulum populum. Atqui Deus populi huius ſimplicitatem nolebat diutiùs ſeduci: vnde miſit Philippum diaconum ad illum, qui & ipſe multa admirãda faceret, non magicis artibus, ſed virtute Chriſti. Quæ cum eſſent multa & aperta, ſic vt nemo eis contradicere poſſet, facilè defecit populus nouarum rerum cupidus à Simone, & adhęſit Diuo Philippo. Quin & Simon ipſe videns Philippi miracula eſſe vera, & ſibi malarum artium conſcius, ad Philippum acceſſit, ab eóque baptiſmum accepit, hoc quod Lucas continenter ſcribit. *Cùm verò credidiſſent Philippo Euangelizanti de regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipſe credidit, & cũ baptizatus eſſet adhærebat Philippo. Videns etiã ſigna & virtutes maximas fieri, ſtupẽs admirabatur.* Sunt qui exiſtiment Simonem hunc magũ non verè & ex animo crediдiſſe, ſed fidẽ ſimulaſſe. Horũ opinionem reiicere nolim, ſed videtur mihi veriſimile quod verè crediderit, vereq; baptizatus fuerit, ſed poſt baptiſmũ à Chriſto rurſum deſciuerit, ac Satanã priſtinũ ſuum dominũ ſecutus fuerit Neq; enim adeò rarũ eſt hominẽ benè incipere & aliquãdiu ſuũ officium ſtrenuè perficere: poſteà verò vel à Satana vel à propria carnę deceptũ poſt Satanã ire. Vtinã exempla nõ extarent plura quã velim. Sunt enim multi qui cũ vxore iuſti Loth Sodo-

mā deſerūt ſed paulum progreſſi reſpuunt. Sunt qui cum Iſraëlitis ex Aegypto proficiſcūtur, mare rubrū tranſeunt, māna veſcūtur: ſed poſteà in cordibus ſuis Aegyptios repetunt. Sunt qui manum aratro dominico admouēt, ſed tædio victi poſt tergum reſpiciūt, ſéque regno Dei indignos faciunt. Sic, inquam, mihi perſuadeo Simonem prædicatione ac miraculis Diui Philippi commotum in Chriſtum credidiſſe, baptiſmum verè accepiſſe, ſed poſteà rurſum relicto Chriſto ad Satanam conceſſiſſe. Nam Lucas diſertis verbis dicit: Cùm credidiſſent Philippo Euangelizanti de regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon ipſe credidit, & baptizatus eſt, & adhæſit Philippo. Vidésne quàm apertè dicat eum & credidiſſe, & baptizatum eſſe, & Philippo adhæſiſſe. Nullius hypocriſis meminit Lucas, immò addit: Videns etiam Simon ſigna & virtutes maximas fieri à Philippo videlicet, ſtupens admirabatur. Videbat enim haud dubiè Philippum hîc nihil agere per magicas artes, ſed omnia virtute nominis Chriſti. Admirabatur itaque non calumniabatur ſigna & virtutes, quo nomine vituperari non debet. Igitur Simon hic exemplo nobis ſit, vt miniſtris Dei, hoc eſt, hominibus probis libenter adhæreamus, malorum verò conſortia ex animo fugiamus. Exemplo autem tubæ diſcamus, vt poſtquā ſemel Chriſto nomen dedimus, nunquam deindè ab ipſo deficiamus: nam Simonem poſteà defeciſſe, in conſequentibus audiemus. Cæterùm quod hîc legimus viros & mulieres baptizatos in nomine Ieſu Chriſti, non ſic intelligendum eſt, quaſi Philippus non baptizauerit illos, in nomine Patris & filij & Spiritus ſancti (hoc enim haud dubiè fecit): ſed dictū eſt in nomine Ieſu Chriſti baptizatos eos fuiſſe, vt intelligamus eos ideo baptizatos, quia crediderūt in nomine Ieſu Chriſti. Sequitur. *Cùm autem audiſſent Apoſtoli qui erāt Hieroſolymis quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioānem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis vt acciperent Spiritū ſanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Multi hoc in loco multas quæſtiones mouent, quas omnes ad viuum, quod dicitur, excutere non eſt huius inſtituti nec huius temporis.

Nos itaque breuitati ſtudentes, omnia non tam dilucidè quàm breuiter adeóque & ſimpliciter interpretari conabimur. Dominus itaque Ieſus in cælum aſcenſurus aiebat ad Apoſtolos ſuos: Eritis mihi teſtes in Hieruſalē,& in omni Iudæa & Samaria,& vſque ad vltimum terræ. Samaritani ergo negligendi erant minimè, vt quos credituros eſſe dominus prædixerat. Cùm igitur audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis quòd & Samaritani credidiſſent in Chriſtum, & baptiſmum ſuſcepiſſent, neque tamen in illos veniſſet Spiritus ſanctus viſibili aliqua ſpecie, neque ſe aperta Spiritus ſancti dona in credentibus exererent, vt eſt donum linguarum,donum prophetiæ, donum virtutum, aut aliquod aliud ſimile, qualia apud alios fideles tum cernebantur:cùm, inquam, Apoſtoli hæc audiſſent, miſerunt ad illos Petrum & Ioannem,hoc eſt, cōſilio inito decreuerunt,vt Petrus & Ioannes qui pręcipuè iam inclaruerant hominibus, ad Samaritanos proficiſcerentur. Ex hoc loco quidam colligunt D.Petrum nullum habuiſſe primatum inter reliquos Apoſtolos. Miſſum enim dicunt Petrum ab aliis,non alios à Petro miſſos.egregiè ſcilicet. Sic & quotquot à Senatu legationis nomine aliquo mittuntur,ſtatim non amplius ſunt Conſules vel Tribuni plebis.Et Dei filius patre minor eſt, iuxta Arrij hæreſim, eò quòd à Patre in hunc mundum miſſus eſt. Sed valeant hæc iam non dogmata, ſed portenta:ad rem. Apoſtoli ergo cùm veniſſent ad Samaritanos orauerunt pro ipſis vt acciperent Spiritum ſanctum. Quid hoc?an hactenùs caruerunt Samaritæ Spiritu ſancto?nequaquam.Si enim crediderunt in Chriſtum, & fides Dei donum eſt, neceſſe eſt vt habuerint Spiritum ſanctum : etſi verè baptizati ſunt, non caruerunt Spiritu ſancto,quum baptiſmus ſit lauacrū regenerationis Spiritus ſancti. Quid igitur eſt quod Apoſtoli orāt vt Samaritæ accipiant Spiritum ſanctū,ſine quo nec credere, nec verè baptizari potuerūt?& ſequitur. Nōdum enim in quenquam illorum venerat Spiritus ſanctus. Et tertiò. Tunc imponebant illis manus,& accipiebāt Spiritum ſanctum. Quidquid hîc dicitur de Spiritu ſancto, intelligendum eſt de externis quibuſdam Spiritus ſancti donis,quemadmodū paulò antè diximus. Nā in primitiua Eccleſia aliquādo dabatur Spiritus ſanctus ſub ſpecie qua-

dam viſibili, vt in die Pentecoſtes viſum eſt, & credentes baptizati omninò in alios homines, vt ita loquar, trãſformabantur, vt res ipſa declararet eos non fruſtrà baptizatos. Accipiebant enim varia illa dona Spiritus ſancti, de quibus Apoſtolus in Corinthiis loquitur. Talia itaque dona Samaritani tum à Philippo baptizati non acceperãt, & ideo periculum erat, ne rurſus à Chriſtiana religione deficerent, arbitrantes ſe vel non rectè baptizatos, vel donis ſpiritus indignos reputatos. Ne igitur ſic ſcandalizarentur Samaritani, miſſi ſunt ad eos duo Apoſtoli Petrus & Ioannes, per quorum manuum impoſitionem, & deuotam imprecationem acceperũt illi Spiritum ſanctum, hoc eſt, dona illa externa & manifeſta Spiritus ſancti de quibus diximus, & haud dubiè maiorem & copioſiorem eiuſdem Spiritus ſancti gratiam. Quare verò Samaritani illi non ſtatim ab initio fidei ſuæ & dum baptizarentur acceperint externa illa dona ſpiritus ſancti, planè ignoro, licèt eius aliquas cauſſas, nec impias dicere poſſemus. Signa propter infideles fieri, nimirum vt fideles fiant, ex Apoſtolo certum eſt, nec vnquam legimus viſibilia illa dona in baptizatos veniſſe, niſi ad impoſitionem manuum Apoſtolorum. Vnde & in decimo nono huius libri audiemus, quod ad impoſitionẽ manuum Pauli venerit ſpiritus ſanctus in Epheſios, ita vt loquerentur linguis & prophetarent: ad quem locum cum peruentum fuerit, diſſeremus, quę dominus dederit, de Sacramẽto confirmationis. Nam ex his duobus locis argumenta & probationes ſumunt, qui Sacramentum illud Eccleſiæ commendant, nec deſtituuntur teſtimoniis antiquiſſimorum patrum, Põtificum & Martyrum. Et ſi vnquam fuerat neceſſitas hoc ſacramẽtum adminiſtrari in eccleſiis, certè hoc noſtro ſæculo, in quo tam variæ de Baptiſmi ſacramento ſententię, ſumma eſſet neceſſitas vt paruulis conferretur, licèt Epiſcopi noſtri ad hæc tam negligenter habeant ſeſe, vt multis perſuaſum ſit nec illos illud ſacramentum magni facere. His igitur ſic declaratis, ad ſequentia eamus. *Cùm vidiſſet autem Simon quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem: vt cuicũque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctũ.* Sicut in veteri Teſtamento Iudæorum multi à Pharaonis

tyrannide liberati, ex Ægypto educti per mare tranſie-runt, neque tamen vſque ad poſſeſſionem terræ ſanctæ peruenerunt, non quod Deus non potuerit, ſed quod illi noluerunt: ita & multi per baptiſmi Sacramentum ex Satanæ liberantur tyrannide, nec tamen hæredes fiunt vitæ æternæ: non quod Deus non ſit verax, nec quod baptiſmus ſit inefficax, ſed quod illi volentes relicto Deo ad Satanę caſtra concedunt, atque fœderis inter Deum & ipſos facti ruptores & præuaricatores fiunt. Hac de re loquitur Diuus Paulus in Corinthiis ſcribens: Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, &c. Et addit: Neque tamen in omnibus illis beneplacitum eſt domino. Sic Simon ille Magus ex Ægypto quidem abierat, mare tranſierat, Pharaonem effugerat: verùm ſimulátque ſibi ſuccurrunt ollæ Aegypti orũ, corde & corpore reuertitur in Aegyptum, & volens ſeſe rurſum grauiſſimæ Pharaonis ſeruituti ſubiicit. Hoc eſt, Simon ille verè haud dubiè baptizatus fuerat, ceu ſuprà diximus, ſed ſtatim obliuiſcitur voti ſui, pœnitet eum profeſſionis, aut potiùs conatur ſub profeſſionẽ Chriſtianæ religionis Satanæ inſeruire, & iuxta veterẽ hiſtoriam in terra ſancta Idolo Moloch ſacrum facere. Cùm enim vidiſſet Simon quia per impoſitionem manus Apoſtolorũ daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicẽs: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Quare hanc poteſtatem ambit? quid conſilij cæpit Simon? audi diligenter ac attentè, intelliges quid voluerit beſtia. Simon Magus nõ aliter reputat Chriſtianiſmũ, atque ſi eſſet mercatura aliqua inſtitoria, in qua merces precio emuntur, vt pluris emptoribus obtrudantur & reuendantur, Sic enim in animum ſuum induxit Simõ, quid ceſſas? quid torpes? en oblata eſt tibi maxima cõquirendi lucri occaſio. Apoſtoli hoc habẽt donum, vt cuicunque velint cõmunicent donũ Spiritus ſancti. Vides autem ipſos eſſe imperitos homines, qui ſua cõmoda negligũt: proindè enitere tu, vt ab ipſis hanc facultatẽ coëmas. Sic enim paruum ſumptũ facies, ſed ingens lucrũ parabis, paucos nũmos expendes, ſed hinc multos theſauros nõ diuitiarũ ſolùm, ſed & honoris & glorię acquires. Quiſquis enim voluerit à te hoc dono particeps fieri, nꝙ paruo precio id impetrabit. Hæc & huiuſmodi haud dubiè cogita-

uit Simon,nimirum ex eorum numero exiſtens,qui,iuxta
1.*Timo.6.* quod Paulus conqueritur,exiſtimant quæſtum eſſe pietatem : quales haud dubiè noſtro ſæculo multos reperire licet ſiue ad nos,ſiue ad aduerſarios noſtros reſpexeris. Multi enim nobiſcum iam manent,qui niſi timerent inopiam & egeſtatem , permanerent minimè . Aduerſariæ autem partis concionatorum tales ſunt querelæ : Simoni huic , aiunt , maximè ſimiles ſunt , qui noſtra tempeſtate Euangelio ſubſcribunt , non quia magno deſiderio requirant veram iuſtitiam & beatitudinem : ſed quia inhiant in opes Eccleſiaſticas, ambiunt principatum ſuper ſacerdotes, quærunt famam apud exteros , ſtudent deliciis , & amant licentiam audendi ac faciendi quíduis:ſic Euangelici ſunt. Hactenus illi. Cæterùm , vt rurſum ad Simonem redeamus , ſi in hoc affectaſſet poteſtatem imponendi manus quo pluribus prodeſſet, & multos ad Chriſtianiſmum adduceret,nequaquam in accuſationem veniret (Apoſtolus enim dicit, Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat): quoniam verò cupiuit per hanc poteſtatem magnas ſibi opes acquirere , meritò accuſatur . Nemo poteſt
1.*Timo.6.* enim duobus dominis ſeruire,ait Chriſtus. Et Apoſtolus: Radix omnium malorum eſt cupiditas, hoc eſt, amor habendi. Quòd ſi ſeſe totum conſecraſſet Deo Simon, nulla foret neceſſitas ſollicitum eſſe pro diuitiis, honoribus, & poteſtatibus : Deus enim filios ſuos nũquam derelinquet. Ait enim ſcriptura : Nemo vnquam ſperauit in Deo , & confuſus eſt. Obſerua hîc Simonem eodem morbo laborare , quo laborauit Ananias cum vxore ſua Saphira. Sed quid ad hanc petitionem Apoſtoli? *Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem,quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poßideri, non eſt tibi pars,neque ſors in ſermone iſto. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo,*

Perdat, inquit, te Deus cum tua pecunia , quoniam de profeſſione noſtra , hoc eſt , de Chriſtianiſmo tam impiè ac iniquè iudicas . Exiſtimaſti enim donum Dei pecunia poſſideri. A Deo eſt quidquid habemus & ſumus , & ille cùm ſit creator omnium nulla re opus habet.Et quod nos ab illo accepimus,neque meritis,neq; aliquo precio comparauimus, ſed ab humaniſſimo Deo dono & gratis accepimus,& ſicut gratis accepimus,ita & gratis dare debemus

aliis. Quum igitur tam iniquus ſis rerum æſtimator, tibi in nullo nobiſcum conuenit, neque in ſocietatem noſtram te recipiemus: cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Licet enim baptiſmum acceperis, Chriſtianis te adiunxeris, tamen cor tuum non eſt rectum coram Deo. Hypocrita es, aliud externè ſimulas, aliud internè cogitas, cor tuum non eſt rectum coram Deo. Etſi enim reliquos homines lateat quod corde concepiſti, tamen Deum latere non potuiſti, cor tuum non eſt rectum coram Deo. Pollicitus es in baptiſmo te renunciaturum Satanæ & omnibus pompis eius, & iam rurſum ad illius caſtra conceſſiſti. Pollicitus es te in omnibus & gloriæ Dei, & fraternæ charitatis ſtudioſum fore, & ecce poſito timore Dei, contempta charitate proximi in hoc totus es, vt glorioſus appareas & diues euadas quidquid tandem de Chriſto vel Chriſtianis fiat. His addit Petrus & alia præmiſſis nequaquã mitiora.

Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.

Præmiſſis verbis exprobrauit illi Petrus ingens peccatum illius: nunc verò ad pœnitentiam adhortatur. hoc enim muneris Apoſtolici eſt, videlicet homines ob peccata arguere deindè quomodo peccatorum remiſſam accipere poſſint oſtendere. Dicit itaque Petrus ad Simonem: Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, hoc eſt, pœniteat te mali conſilij tui, deindè roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Licet opere non perfeceris quod corde cogitaſti, tamen nequaquam immunis à peccato es. Deus enim ad cor reſpicit magis, quàm ad opera. Quoniam itaq; certò ac firmiter apud te ſtatuiſti ſub prætextu nominis Chriſti lucris tuis ſtudere, & hoc cum aliorum incommodo, Deum grauiter aduerſum te prouocaſti: hunc itaque roga quatenus tibi hanc peſſimam cogitationem, & iniquum conſilium remittat. Addit Petrus: In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Poterant verba Simonis Magi aliquo modo apud homines qui amicorum conſilia non cernunt, excuſari. Poſſet enim quis dicere: Quod Simõ Apoſtolis pecuniam dedit, laude dignum eſt. Nam ex Chriſtiana & fraterna charitate illud fecit ad exemplũ illorum Chriſtianorum,

facere, & Mammonæ ſtudere: in Simone verò declarat in hac vita non eſſe locum omnimodæ retributionis, Deúmque non ſtatim ſe de peccatore vindicare. Si enim Deus omnes impios in præſenti puniret, poſſent homines de vita futura dubitare: ſi autem neminem puniret, putare poſſent homines, Deum impietate noſtra nequaquam offendi. Punit itaque aliquos, vt ſciamus Deum odire iniquitatem & curare res noſtras: parcit autem aliquibus, vt vel ad pœnitentiam in tempore conuertantur, aut ſi minus pœnitentiam egerint, in futuro puniantur. Sed hæc hactenùs. Tertium quod obſeruatione dignum putamus hoc eſt, quòd Petrus dicit Simonē in felle amaritudinis eſſe, quod nihil aliud eſt dicere niſi Simonem inuidia quadam teneri aduerſus Apoſtolos, & atra, quod dicitur, torqueri bile: ſicut & nos vulgo dicimus: **Er iſt gantz verbittert**, aut aliis verbis, in eundem tamen ſenſum **Es iſt gifft vnd gall vbaſz er redt.** Sic ergo Simon non poteſt aurea & blanda verba loqui, ſed totus peruerſus eſt in corde ſuo, nihil niſi cicutā ſpirat, omnibus malè, ſibi verò benè vult. Quartum eſt quod dicit eam eſſe in obligatione iniquitatis, hoc eſt, iniquitatibus implicatum ita, vt ſe amplius explicare nequeat. Hoc enim plerunque fit, vt qui vitiis aſſueuerunt & in peccatorum profundum peruenerunt, rarò ad meliorem mentem redire queant. Iam verò de Simone illo Mago abundè diximus, & locus poſtularet, vt etiam de illius hæredibus diceremus. Nam quotquot in Eccleſia Chriſti non Chriſtum neque Eccleſiæ, ſed ſuum commodum quærunt, Simoniani ſunt, & ſicut Simonem peccantem imitantur, ita pœnas dantem haud dubiè ſequentur. Bone Deus, quot Herodes peſſimus ille nequam poſt ſe reliquit? Quid enim non eſt venale in Eccleſia? quotuſquiſque ad ſacerdotium accedit vt Eccleſiæ inſeruiat, & non potiùs vt ipſe ab Eccleſia alatur ſiue Chriſto, ſiue Satanæ inſeruiat? Sed nolim hîc prolixiorem querulationem inſtituere: vtrinque peccatur & à clericis & à Laicis. Nos toti ſtudemus auaritiæ, illi toti rapinæ: nos plura cupimus ſemper, illi etiam debitam mercedem nobis denegant, ita fit vt alter alteri ne teruncio quidem præualeat. Det dominus vt nemo non ſui officij tandem memor ſit: nos ad hiſtoriam noſtram nos recipiemus.

Reſpondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad dominum, vt nihil veniat ſuper me horum quæ dixiſti.

Bona ſunt verba licèt ſit quod in his non immeritò deſideremus. Petrus illum adhortatus fuerat ad pœnitētiam: atqui Simon tacita pœnitentia rogat tantùm vt pro ſeipſo orent Apoſtoli. Sic enim hominum genius eſt, vt cuperēt quidem benè ac beatè viuere, ſi modo hoc illis contingere poſſet alienis laboribus, vt illi ſcilicet interim genio indulgerent & cutem curarent. Obſeruandum & hoc, quod non dicit, Precamini pro me, vt peccatorum venia impetrata poſthac & Chriſto & Chriſtianis inſeruiam diligentius, ſed vt nihil horum quæ vos mihi comminati eſtis ſuper me veniat. Verum enim eſt quod Ethnicus ille dicit: Oderunt peccare boni virtutis amore. Oderunt peccare mali formidine pœnæ A peccatis enim diſcedēdum eſt, & pœnitentia agenda eſt, non ſolùm vt pœnas effugiamus, ſed etiam vt Deo gratum faciamus. Nam qui ſolius pœnæ metu à vitiis ſe abſtinet, non deteſtatur ſcelera, ſed odit iuſtitiam. Sed ad Simonem redimus. Hic ab Apoſtolis increpatus non poteſt tergiuerſari, nec impietatem ſuam negare, ideóq; fatetur culpam, timet pœnam, & rogat veniam: verùm quod petiit non impetrauit, quia non vt debuit poſtulauit. Neque enim ſuffecerit dicere, Peccaui, ſed à peccatis ceſſandum, & piis operibus poſthac incumbendum eſt, & ſic frugifera erit pœnitentia. Simon autem confuſus & increpatus non deſiit à nequitia, ſed Romam profectus ibi multos dementauit, omnibus Chriſtianis, & Petro ipſi moleſtus fuit: hoc quod ex Clementis & aliorum hiſtoriis probatur. *Et illi quidem teſtificati & locuti verbum Domini redibant Hieroſolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.* Tam aperta ſunt hæc, vt nulla interpretatione opus habeant: poſſunt tamen nobis nonnullam dare occaſionem commonendi vos, vt & vos ipſi ad exemplum Apoſtolorum relicta Samaria Hieroſolymam conſcendatis, hoc eſt, vt contempto mundo ad cæleſtem patriam meditemini profectionem. Sic enim loquitur Apoſtolus: Si conſurrexiſtis, inquit, cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite vbi Chriſtus eſt in dextera patris, quæ ſurſum ſunt ſapite non quæ ſuper terram. Et iam reſpice ad exemplum Apoſtolorum, qui in Samariam miſſi verbo

Dei

Dei annunciando occupantur,Euangelium deprædicant, vt ſcilicet ex Samaritanis Chriſtianos faciant, non vt Apoſtoli Samaritanorum mores induant: ſic & noſtrum erit quandiu ſumus in hoc mundo non conformari huic ſęculo, ſed verbis & factis operam dare, vt homines deditos mundo lucrifaciamus Chriſto. Sic enim Apoſtolos feciſſe Lucas noſter teſtatur, licèt non exponat quæ & qualia, quibúſue verbis euangelizauerint. Euangelizârunt autem haud dubiè qualia à Chriſto didicerant,& inſtituerunt Samaritanos in omnibus quæ ad Chriſtianam religionem pertinent,& deindè redierunt Hieroſolymã,quum tamen haud dubiè apud Samaritanos & quietiùs & honoratiùs viuere potuiſſent. Nondum enim ceſſauerat Iudæorum tyrannis contra Chriſtianos. Atqui quiſquis euangelizandi munere ritè fungi cupit, is vt huius mundi procellas nihili faciat neceſſe eſt.

Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge & vade contra meridiem, ad viam quæ deſcendit ab Hieruſalem in Gazam: hæc eſt deſerta. Et ſurgens abiit.

Bonis perpetuò benefaciendi offertur occaſio. Philippus ille diaconus gnauiter iam laborauerat, & hoc cum magna fidelium ad Eccleſiam acceſſione: accipit igitur iam in mandatis vt aliò ſe conferat, nimirum rurſus operam ſuo Chriſto locaturus. Vide autem hîc promptiſſimam Philippi obedientiam. Mandatûr ei ab Angelo, vt ad eam viam vadat quæ ducit ad Gazam vrbem Philiſtinorum: ille autem confeſtim mandato Angeli obſequitur, nihil reſponſat, nihil requirit, nihil interrogat quid illic facturus aut paſſurus ſit, num prędicaturus Euangelium,&c. ſed ſtatim Angelo vocanti obſecundat. Exemplum itaque hoc nobis imitandum eſt, vt ſcilicet præcepta Dei quæ nobis diuinitùs proponuntur non curioſè ſcrutemur, ſed pia ſimplicitate eis obediamus. Etenim Dominus Deus noſter hanc ferè conſuetudinem habet, vt in mandatis ſuis quæ in pręſentiarum quidem facienda ſunt, palàm præcipiat: quæ verò in futurum facienda ſunt, ea vſque ad ſuum tempus reuelanda cælet. Sic præcepit Abrahamo, vt exiret de terra, *Gen.12.*
de cognatione, & de domo patris ſui, & veni, inquit, in terram quam monſtrauero tibi. Exire iubet, terram autem ad quam exire debet, vſque ad ſuum tempus reuelandam cæ-

1. *Reg*.16. lat. Sic Samuëli præcipit vt impleat cornu ſuum oleo, & vadat ad Iſaï Bethleemitam, vt vnũ ex filiis eius in regem vngat: nec tamen ei reuelat quémnam ex omnibus vngere debeat. Sic & Angelus Philippo præcipit, vt abeat ad viam quæ ducit ad Gazam: non autem oſtendit ei quid illic agere debeat, donec ad eum locum perueniat. Diſcamus itaque & nos Dei mandatis ſedulò obedire, exitum rei Deo præceptori committentes. Neq; enim æquanimiter feret Dominus cenſores ſuorũ mandatorum, ſed factores. Sed audiamus quid rerũ agere debeat Philippus. *Et ecce vir Aethiops Eunuchus potens Candaces Reginæ Aethiopum, qui erat ſuper omnes gazas eius, venerat adorare in Hieruſalem, & reuertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legénſque Eſaiam Prophetam.* Quænam & qualis fuerit regina hæc Æthiopum nomine Cãdace, & quis ille dynaſtes ſiue præfectus regij theſauri, non habebit nos diu occupatos: ad alia enim, & magis neceſſaria properamus. Et multis quidem nominibus commendatur Eunuchus ille, nimirum à muneris ſui dignitate & potentia, vt qui aliis omnibus regiis miniſtris prælatus fuerat. Deindè à pietate, ſi modò vir Ethnicus pietatis nomine commendari meretur. Sed tantũ profecerat in pietate, vt nihil illi niſi cognitio Chriſti deeſſet, ſine qua certè ſaluari non potuiſſet. Pium verò eius animum declarat, quod pietatis, & religionis ergô tantum itineris conficere non dubitauit, ſed profectus Hieroſolymam preces ſuas illic abſoluit. Tanta enim fuit apud omnes Gentes templi Iudaïci gloria & opinio, vt ex remotiſſimis etiam terris religionis gratia Hieroſolymam venirent. Nam & in 2. Machabæorum libro, capite ſecundò ſcribitur, templum illud famoſiſſimum fuiſſe in toto orbe. Et in Ioannis Euangelio legimus gentiles etiam in feſtiuitatibus templi huius Hieroſolymam veniſſe religionis gratia: & hoc nomine etiam Eunuchus ille Hieroſolymam venerat. Cæterùm cùm pararet reditum, & iam in itinere curru veheretur, habebat ſecum librum Eſaiæ Prophetæ, inque hoc legebat: quo nomine etiam meritò commendatur. Si enim currui inſidens atque in ipſo itinere ſacris literis ſtudioſè inſiſtit, quid putamus eum feciſſe, ſi quando domi vacationem ab aulicis negotiis habere potuit? Diſcamus, ô boni, exemplo huius Gentilis, quo-

modo à templis diſcedere oporteat. Ego non dubito quin Æthiops ille etiam in adeundo templum non fabulis,iocis,aut aliis nugis in curru ſtu luerit,quum in redeundo tam pius nobis depingitur. Quid verò nos? dum adimus templa inanibus fabellis fallimus iter, in ſacro ipſo corpore quidem aris aliquantiſper adſtamus, corde verò in foro vel œnopolio verſamur. Finito verò ſacro (ſi modò finem huius exſpectamus) ſic vadimus domum noſtrã, vt qui nos vident, neſciant è templóne,an è meritoriis tabernis veniamus,quaſi ſcilicet ſuffecerit vno atque altero verbulo Deum diuóſque ſalutaſſe. Longè igitur à tergo nos cum noſtra pietate relinquit Eunuchus ille. Sed miraris forſan quid homini Ethnico cum libris ſacris? Ad hanc quæſtionem poſt alios reſpondemus, Eunuchum illum forſan fuiſſe proſelytum, hoc eſt, ex Ethnico in Iudæum conuerſum: quod ſi verum eſt, non miramur illum Propheticæ lectioni incubuiſſe. Deindè tanta fuit ſemper Æthiopibus cum Iudęis familiaritas,vt aliquando etiam publico nexi fuerint fœdere,id quod Eſaias decimo nono capite teſtatur. Non itaque mirum etiamſi, Æthiopes nonnihil delectati fuerint Iudæorum ſcriptis. Quid? quòd ante ducentos annos rex Ægyptiorum Ptolomæus curauerat legem Iudaïcam opera ſeptuaginta interpretum transferri in linguam Græcanicam, quæ tunc temporis omnibus ferè nationibus erat notiſſima, ac Ægyptiis maximè. Sed hac de re plus ſatis. *Dixit autem ſpiritus Philippo: Accede & adiunge te ad currum iſtum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Eſaiam Prophetam, & dixit: Putáſne intelligis quæ legis?* Vbi res per ſe aperta eſt, conabimur etiam breuiter rem ipſam abſoluere, vt videlicet circa loca difficiliora longiores eſſe poſſimus. Nihil autem hoc in loco difficultatis eſt,niſi fortè hîc aliquis quærere velit,quomodo aut qualiter ſpiritus Domini ad Philippum locutus fuerit, interněne,an externè: ſed parùm refert vtcunque accipiamus,quum vtroque modo commodè potuerit fieri. Vide autem quomodo Philippus ſucceſſiuè quaſi manu ducatur ad catechizandum Eunuchum. Primò iubetur Philippus ad viam illam abire,nec dicitur ei quid ſe facere oporteat. Secundò iubetur ſe ad currum illum in quo ſedebat Eunuchus, conferre, & necdum audit quid rei ſit.

Cùm autem ad currum venit,& Eunuchum legentem audit, non putat ſibi exſpectandum donec vltra admoneatur,ſed ſtatim alloquitur illum,rogitans num quæ legeret intelligat. putabat enim ſe non præter cauſſam ad hunc currum miſſum. Quid igitur hîc admonemur aliud,niſi vt perpetuò Deum ob oculos habeamus?& nunquam patietur nos errare. Admonentur & Euangelij pręcones,vt diligenter verbi Dei ſementem faciant,& Deus perpetuò illis de bona & frugifera terra prouidebit. Qualis verò eſſe terra debeat quæ digna cupit eſſe ſemine verbi Dei, iam audiemus. Sequitur enim.

Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? Rogauitque Philippum vt aſcenderet, & ſederet ſecum.

Vides quàm humilis ſit, & quàm ſubmiſsè ſe gerat Eunuchus. Etſi enim vir potens ſit, & magni nominis apud ſuos,tamen nihil arroganter dicit vel facit, ſed omninò ſe gerit ac ſi ex infima plebe quiſpiam eſſet. Ecce enim vir potens multa humanitate Philippum inuitat ad ſe in currum ſuum, & huic apertè ignorantiam ſuam fatetur. Sed ait quiſpiam: Quis non ad ſe vocaſſet tam ſanctum & iuſtum virum?quis non libenter diſceret ab illo, qui Spiritu ſancto plenus eſt?Atqui neceſſe eſt vt cogites,Eunuchum non cognouiſſe quiſnam eſſet Philippus,quid ſciret,quantáque poſſet: ſed incognitum, & fortè fortuna obuium ad ſe inuitat, & ſe non intelligere quæ legebat, fatetur. Quum igitur homini incognito tantum honoris defert, quid non feciſſet noto Chriſti diſcipulo? Hæc autem tum rectè intelliges, quando mores huius ſæculi penitiùs expendes. nam multi noſtrûm quam longiſſimè ab his virtutibus abſumus. Si enim vel pauciſſimo honore in hoc ſæculo præditi ſumus quaſi nos ſoli viueremus: ita alios præ nobis faſtidimus, ac præſumimus nos omnia, non ſolùm quæ ad ciuilem rerum adminiſtrationem, ſed etiam quæ ad religionem pertinent, ſcire, nec cuiuſquam indigere,qui nos in rebus ſacris erudiat. Quid autem iſta arrogantia efficiunt, niſi vt dum ſe exiſtimant ſapientes, ſtultiores efficiantur, ignorantes quid doceant, & de quibus affirment? Tritiſſimum eſt apud nos prouerbium, neſcire non eſſe dignum confuſione ſiue pudore, ſed nolle diſcere & confuſionem parit, & confuſionę & contemptu di-

gniſſimum exiſtit. Tu itaque cum Maria Magdalena ad Domini pedes ſede, & illius verbis rectè ac probè ædificaberis. *Locus autem ſcripturæ quam legebat erat hic: Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius.* Non eſt alius Propheta qui clarius & dilucidius de Ieſu Chriſto ſcripſerit quam Eſaias, quem diuus Hieronymus putat Euangelium potiùs, quàm prophetiam texere, ideóque eum non tam Prophetam, quàm Euangeliſtam appellandum iudicat. Et noſtri Euangeliſtæ teſtimoniis huius Prophetæ ad illuſtrandum negotium Chriſti frequentiſſimè vtuntur. Eſt & huius Prophetæ liber oblatus Chriſto ſurgenti ad legendum in Synagoga Nazarethana, & ſtatim vt Chriſtus librum explicauit, inuenit locum vbi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, &c. Vnde apparet Eſaiæ prophetiam in magna auctoritate, & in frequenti vſu apud Iudæos fuiſſe, illámque omnibus vt Meſſiæ præconem commendaſſe. Et Diuus Auguſtinus meus dum iam aliquantulum aſpiraret *Confeſſio.* ad Chriſtianiſmum, inſinuauit votum ſuum per literas *li.9.cap.4.* Diuo Ambroſio Mediolanenſium Epiſcopo, rogans quid legere deberet, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiórque fieret. At ille iuſſit Eſaiam Prophetam legeret Auguſtinus. Credo, inquit Auguſtinus, quòd præ cæteris Euangelij, vocationíſque gentium ſit prænunciator apertior. Cæterùm idem contigit Auguſtino, quod Eunucho. De ſe enim ſcribit Auguſtinus: Veruntamen ego primam Eſaiæ lectionem non intelligens, totúmque talem arbitrans, diſtuli repetendum exercitatior in dominico eloquio. Sic Eunuchus quidem legit, ſed non intelligit, ſicut ſequentia docebunt. Nos porrò ſenſum Eſaiæ vaticinij breuiſſimis aperiemus. Locus eſt apud hunc Prophetā cap. 53. ſignificat autem Chriſti Ieſu Domini noſtri innocentem ac voluntariam paſſionem. Nam ipſe agnus ille eſt, qui tollit peccata mundi, & ille eſt quem tot bruti agni in veteri Teſtamento præfigurârunt, vnde etiam Ioannes in Apocalypſi dicit, agnum illum ab origine mundi occiſum fuiſſe. Et D. Paulus, Paſcha noſtrum, inquit, immolatus eſt Chriſtus. Quòd ſi quæras vbi tāquam ouis ad occiſionem

ductus fuerit,& vbi non aperuerit os ſuum,vide Dominicæ paſſionis hiſtoriam,& inuenies eum à Iudęis tanquam à rabidis lupis raptum ad Pilatum duci, vbi tam pauca reſpondit vt etiam miraretur Præſes. Quid verò eſt quod in Propheta ſequitur, In humilitate iudicium eius ſublatum eſt? Diuus Hieronymus ideo dictum putat,quod de tribulatione atque iudicio ad patrē victor aſcenderit,ſiue quòd iudex omnium iudicij non repererit veritatem : ſed abſq; vlla culpa, ſeditione Iudæorum & Pilati voce damnatus ſit. Mihi videtur quòd Apoſtolus Paulus hunc locum explicarit,dum in Philippēſium Epiſtola ſcribit Ieſum Chriſtum patri ſuo cæleſti obediiſſe vſque ad mortem,mortem autem crucis. Et addit:Propter quod exaltauit eum Dominus, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen,&c. In primo ergo habes humilitatem,dolores,afflictiones:in altero gloriam & honorem. Sequitur deindè: Generationem eius quis enarrabit? Non immeritò rapitur Propheta in admirationem, quum Deus diuina ſua conſilia tam mirabiliter diſpenſat, vt filium ſuum tam miſerè ſinat tractari,& deindè ad dexteram ſuam collocet in excelſis. Solutis enim doloribus inferni,ſuſcitauit illum Deus, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. Vnde poſtquam de anguſtia & de iudicio ſublatus eſt reſurgendo à mortuis, vt iam non moriatur amplius,& mors vltra illi non dominetur,quis generationem eius eloquetur? Siue enim de diuina,ſiue de humana generatione Prophetam loqui putes, vtraq; ineffabilis eſt. Videmus quidem Ieſum Chriſtū verum eſſe Deum,& verū hominem,vtrunq;,inquam,videmus & reipſa experimur:quomodo verò filius Dei ab ęterno ex paterno corde genitus ſit,aut quomodo verbū caro factum ſit,quis eloqui poterit? Itaq; Deum & dominū noſtrum Ieſum Chriſtum Dei viuentis eſſe filium ab æterno,& eundem virginis Mariæ verum eſſe filium, ex tempore firmiter credamus : quomodo verò hoc vel illud factum ſit, ei committamus cui nihil eſt impoſſibile. Addit Propheta: Quoniam tolletur de terra vita eius. Hæc augent admirationem illam, & negotium hoc reddunt ineffabile. Si enim mori poteſt, quomodo non poteſt enarrari ipſius generatio ? etſi in hunc mundum venit ſaluare quod perierat, quomodo ſeruabit alios qui ipſe à Iudæis

occiditur? Sed nobis hæc inenarrabilia ſunt, non autem incredibilia: ad contextum itaque nos recipiemus. Sequitur enim continenter. *Reſpondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obſecro te, de quo Propheta dicit hoc? de ſe, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens à ſcriptura iſta, euangelizauit illi Ieſum.* Non poteſt non ingens eſſe profectus, vbi alter docendi auidus accurrit, alter diſcendi cupidus inuitat ad conſeſſum. Vix poteſt diſcerni vter auidior ſit verbi Dei æſtimator. Philippus gaudet ſibi oblatum diſcipulum: Eunuchus gratulatur ſibi oblatum doctorem & magiſtrum. Vide diligens & ardens ſtudium diſcendi in Eunucho, audi quàm prudenter interroget, quàm humiliter precetur inſtrui. Obſecro, inquit ad Philippum, de quo dicit Propheta hoc? de ſe, an de ali quo alio? Perſuaſum habet ſcripturam eiuſmodi nõ eſſe vanam, non eſſe contemnendam, ſed piè intelligendam. Et fortè intellexerat Eunuchus locum ſiue contextum illum non conuenire in Prophetam ipſum. Et ſcribit quidem hæc Eſaias, & paſſus eſt multa dura ſub rege Manaſſe, à quo dicitur eſſe in duas partes ſectus: ſed neque præcedentia, neque ſubſequentia in alium quàm in Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum conueniunt. Præcedit enim in loco illo Prophetæ huius: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Ac mox: Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, &c. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Quî poſſunt hæc vel in Eſaiam, vel in quemuis alium aut Patriarcham, aut Prophetam, aut martyrem conuenite? Tametſi enim Eſaias & multi alij iniuriam à perſecutoribus paſſi ſint: nullus tamen eorum languores noſtros & dolores portauit, nullus propter ſcelera noſtra occiſus eſt. Quin & ipſi quoque Patriarchæ, Prophetæ & Martyres ad eum quoque catalogum pertinent, de quo Eſaias dicit: Omnes nos quaſi oues errauimus. Aperiens itaque Philippus os ſuum, euangelizat Eunucho Ieſum, ſumens exordium ab eo loco, quem iam ex Eſaia audiuimus. Et cuperem quidem concionem hanc Philippi extare, vt ſciremus quanta dexteritate Prophetas enarrauerit: verùm quoniam non extat, his quæ ſcri-

pta ſunt contenti ſimus. hæc enim ſuffecerint hominem ad perfectionem vſque inſtituere. *Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Quando quidem Lucas noſter ſcribit Philippum expoſuiſſe Eunucho negotium Chriſti, veriſimile eſt quod etiam expoſuerit rationem, vſum, & fructum baptiſmi, qui etiam, ſicut alia noui teſtamenti, in veteri teſtamento & typis prælusus, & à Prophetis non tam prædictus quàm promiſſus eſt. Nam mare rubrum fuiſſe typum baptiſmi noſtri, teſtatur diuus Paulus, quando dicit patres noſtros mare tranſiiſſe, in Moyſe & in nube baptizatos fuiſſe: diluuium item figuram fuiſſe baptiſmi noſtri diuus Petrus teſtatur. Iam per Prophetam dicit dominus: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor nouum & ſpiritum nouum, &c. Hæc & fortè huius generis alia veriſimile eſt Philippum narraſſe & recenſuiſſe Eunucho ſpiritu etiam ſancto interim in huius corde efficaciter operante, quibus permotus Eunuchus & ad aquam veniens, rogat num ibi liceat baptizari. Vide autem humilitatem pariter & prudentiam Eunuchi. Non dicit, Ecce aqua, deſcende ergo & baptiza me, ſed dicit, Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Neſcit enim capáxne ſit baptiſmi, an non. Licétne baptizari? hoc eſt, quid me facere neceſſe eſt? quid à me cupis, vt & ipſe Chriſto per baptiſmum inſerar? *Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait: Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Hîc mihi rurſum appellandi veniunt Anabaptiſtæ, & reliqui baptiſmi Eccleſiaſtici impugnatores, qui venari ſolent vbique, vnde poſſint Eccleſiæ negotium faceſſere. Anabaptiſtæ ex hoc loco videntur ſibi egregium habere argumentum, quare pueros ſiue infantes baptiſmo abſtineant, quòd iſti ſcilicet nullam fidem habeant: Philippus verò noluerit Eunuchum baptizare, niſi prius fateretur ſe ex toto corde credere. Quum igitur infantes ex toto corde credere non poſſint, aiunt illi, ergo baptizandi ſunt minimè. Ad hæc ego iam paucis reſpondebo: Eunuchus quidem dicit ſe credere Ieſum eſſe filium Dei, ſed quis certò teſtabitur Philippo illum ex animo credere? Quid ſi hypocritam

Ezech. 36.

ageret? non minus enim certus eſt Philippus de vera fide Eunuchi, quàm de fide infantis. Niſi non poſſit Deus in infante veram operari fidem, quum Satanas in adultis poſſit operari hypocriticam fidem. Sed de hoc in ſequentibus. Iam ſunt alij hoſtes Eccleſiæ, qui ſic ſolam fidem extollunt, vt cætera quæ Eccleſia baptiſmo addit, porrò reiiciant. Inquiunt enim Philippum hoc in loco ſimplici aqua baptizaſſe Eunuchum, nullámque fieri hîc mentionem vel chriſmatis, vel exorciſmi, vel ſalis, vel ſputi: hinc probari verum eſſe baptiſma etiamſi horum nihil acceſſerit. Ad hæc omnia in ſequenti capite reſpondere curabimus, hoc vnicum adiicientes quod aduerſarij noſtri qui pædobaptiſmum probant, occaſionem dederunt Anabaptiſtis, dum hi ex illis audierunt nihil faciendum quod non expreſſis verbis in ſacris literis habeatur, licerèque impunè ab Eccleſiæ conſuetudinibus & legibus deficere. Et certè qua auctoritate aduerſarij noſtri ſaniores cæremonias baptiſmi reiiciunt, eadem Anabaptiſtæ neminem niſi qui fidem profiteri per ſe poteſt baptizant. Nam Lucas qui ſcripſit Philippum in ſimplici aqua baptizaſſe Eunuchum, quod probatur illis, idem Lucas ſcribit fidei profeſſionem Philippum ab Eunucho baptizando poſtulaſſe, hoc quod vrgent Anabaptiſtæ. Hæc non dicuntur à me pro defenſione impiorum Anabaptiſtarum, quorum dogmata angue peius & cane odi: ſed in hoc produxi, vt intelligas quomodo vnus error alium errorem pariat, & quomodo qui ſemel ab Eccleſia deficit, ſemetipſum & alios ſic erroribus inuoluat, vt difficilè ſe hinc explicare queat. Sed redeamus tandem ad hiſtoriam. Benè facit Philippus quod fidei profeſſionem ab Eunucho rogat, ab eo ſcilicet homine, qui iuxta conſecutam ætatem potuit ex auditu verbi corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Quid autem poſtulas ab infante confeſſionem fidei, quum nec alia effari poſſit? Poſtula ab eodem, ſi lubet, vt dicenti obtemperet, vt præeuntem te ſequatur, vt onera ferat: ea enim ratione hæc ab illo poſtulas, qua fidei confeſſionem. Iam ſi rurſum tam iniquus verborum cenſor eſſe voles, vide quæ abſurda ſequantur. Si credis ex toto corde licet baptizari, inquit Philippus. Quid deberet credere? hoc nimirum quod à Philippo in-

Vide Aug. de Fide & operib. cap. 9. & 12.

terpretante Prophetam audierat. Reſpondet ergo Eunuchus: Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum, an hæc ad
Roma.10. ſalutem conſequendam ſufficiunt? Paulus dicit, Quod ſi confitearis in ore tuo dominum Ieſum, & in corde credideris quod Deus illum ſuſcitauerit à mortuis, ſaluus eris. Hæc Paulus. Quid? ſi quis reliquos fidei articulos non
Matth. 28. credat, num & ille ſalutem conſequetur? Atqui Chriſtus amandans diſcipulos ſuos ad prædicandum dicebat: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Vide qualis & quanta ſit differentia inter Chriſti, Pauli, & diaconi Philippi doctrinam: immò nulla eſt ſi modo tu ſingula commodè, ac vt oportet intelligas. Lucas breuiſſimis deſcribit conuerſionem Eunuchi, nimirum eis ſcribens, qui non ignorabant quæ à baptizandis rogarentur. Et Eunuchus dum fatetur ſe credere Chriſtum Ieſum eſſe filium Dei, omnia fatetur vera eſſe quæ ad integrum Chriſtianiſmum pertinent: ideóque baptiſmo dignus iudicatur. Sic enim ſequitur. *Et iuſſit ſtare currum, & deſcenderunt vterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.* Rurſum hîc dico, ſi quis ſcripturam calumniari quam interpretari malit, non defore occaſionem. Rogat hîc quis vbi exorciſmus, vbi ſal, vbi panis, vbi aqua conſecrata? ego è contra rogo, quibus verbis baptizauerit Philippus Eunuchum. Quid facit vterque in aqua? quare non deſcendunt etiam aduerſarij cum ſuis Catechumenis in aquam fluẽtem? Quid faciunt in templo? quid ſibi vult conuentus populi? Vide quot abſurda ſeſe exerunt, quoties magis noſtrum quàm ſcripturæ ſenſum ſequi volumus. Cæterùm non dubitamus quin Philippus omnia rectè & ſuo ordine perfecerit, nec video quid hac de re magis adiicere debeam, quum receperimus nos in capite ſequenti peculiarem de baptiſmo diſputationẽ inſtituturos. Ad ſequentia itaque properemus. *Cùm autem aſcendiſſet de aqua, Spiritus domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus: ibat autem per viam ſuam gaudens.* Quiſquis ſemetipſum totum quantus quantus eſt Deo committit, nunquam non proſperabitur in omnibus actibus ſuis. Philippus itaque noſter ad omnem Dei voluntatem paratus eſt, malens præ-

ceptorum Dei ſedulus eſſe executor, quàm illorum curioſus cenſor: hinc illi omnia cedunt ex animi ſententia. Iam Eunuchum baptizauerat, & ecce ſtatim aliò rapitur, nimirum vt & alibi Euangelium Chriſti annunciare pergat. Quare autem ſic rapuit Philippum ſpiritus domini? nimirum vt Eunuchus intelligat qualis ſit Philippus à quo miſſus, & ſic conſtantior permaneat in fide Chriſtiana. Quantum enim Eunuchus ex hac re lucratus fuerit, conſequentia textus abundè docet. Eunuchus enim, Luca teſte, ibat per viam ſuam gaudens. Ego putaſſem eum plurimum contriſtatum fuiſſe, quòd tali ac tanto congerrone priuaretur: atqui ille gaudet ac lætatur quòd Deus ipſi talem Catechiſtam miſerit, à quo in perfectam Chriſti cognitionem perductus fuerat. Et ſic planè conueniebat, vt Eunuchus Æthiopibus ſuis Euangelium prędicaret: Philippus verò alibi verbi ſementem faceret. Obſerua hîc verum eſſe quod in Euangelio didicimus, ſeruum in modico fidelem à domino ſuper longè plura conſtituendum. Ecce enim Eunuchus ille ſacræ ſcripturę ſtudioſus eſt, quam tamen non intelligit, & meretur vt a domino ad illum Philippus mittatur. Sed de hoc in ſuperioribus. Obſerua & hoc quod Eunuchus ad vnam ſolam concionem Philippi reſipiſcit, quum tamen à pueritia inter idololatras educatus fuerit, miracula nulla viderit: nos verò qui ab infantia Chriſtum nouimus, qui ſingulis diebus manum domini nobis minantem videmus & ſentimus, nihilo meliores reddimur. Eunuchus itaque, ſicut Ionas contra Niniuitas, etiam contra nos ſurget in iudicio, quia ille ad vnicam Philippi concionem, ſicut diximus, reſipuit: nos verò nullum quantumuis improbum monitorem admittimus. *Philippus autem inuentus eſt in Azoto. Et pertranſiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream.* Azotum non admodum longè diſtare à Gaza teſtantur Geographi. Cæſarea verò, cuius etiam in Euangelio alibi mentio fit, vrbs eſt clariſſima Palæſtinæ antea turris Stratonis vocitata, quam bellis fractam Herodes Antipatri filius continuò decennio non æſtimandis ſumptibus extructam, Cæſaream in gratiam Auguſti Cæſaris vocauit. In hac ciuitate audiemus Petrum baptizare Cornelium illum famoſiſſimum Centurionem.

Habuit etiam Philippus cuius hiſtoriam hîc tractamus domum in illa, quemadmodum in ſequentibus audiemus. Aluit hęc vrbs etiam Origenem illum celeberrimum Gręciæ Theologum. Huius Cæſareæ epiſcopus fuit Euſebius ille Pamphili cognomento nobilis, cuius opera adiuuante etiam Pamphilo inſtructa eſt nobilis illa Bibliotheca, cuius diuus Hieronymus toties mentionem facit. Sed ad hiſtoriam. Eunuchus quidem ille ignorabat quò raptus fuiſſet Philippus, ſed hic inuentus eſt in Azota. Verùm nón diu in hac vrbe permanſit ſed pertranſiuit reliqua circumiacentia oppida non vagus & ocioſus ſpectator, ſed diligens & fidelis ſancti Euangelij annunciator. Nam ſicut ex Luca audimus Philippus pertrāſit, & euangelizat cunctis: cunctis, inquam, ad quos ipſum venire contigerat, nō tam gentibus quàm Iudæis. Ad Apoſtolos enim dixerat dominus: Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangeliū omni creaturæ. Item: Euntes, inquit, docete omnes gentes. Et rurſum. Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terrę. Philippus itaque noſter hæc etiam ad ſe pertinere arbitratus, gnauiter in Euangelio laborat, donec venit Cæſaream, in qua haud dubiè ocioſus non fuit. Qui enim alienis & alienigenis tam fideliter prædicauit Euāgelium, quomodo ſuos negligeret conciues? Et hactenùs quidem accepimus quomodo Philippus negotium ſuum expedierit: iam continenter conuerſionem Diui Pauli in ſequenti capite audiemus, Det dominus vt in tempore etiam nos ad dominum conuertamur, vt in tempore opportuno veniam conſequamur,

AMEN.

CAPVT IX.

SAulus autem adhuc ſpirās minarum, & cędis in diſcipulos domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem.

In pręcedentibus attigit Lucas pauciſſimis crudelitatem

Sauli, dicens eum conſenſiſſe in necem D. Stephani, cuſtodiiſſéque veſtes illorum qui lapidabant Stephanum, & addit. Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in cuſtodiam: hæc, inquam, pauciſſimis quaſi prælibando attigerat Lucas. Verum quoniam Philippi diaconi hiſtoriam ſibi ſumpſerat deſcribendam, non potuit hiſtoriam Sauli latiùs proſequi: hanc igitur perficiendam ſibi hoc loco reſumit. Nos quæ in hac hiſtoria aperta ſunt breuiſſimis abſoluemus, vt circa abſtruſiora citra tædium prolixiores eſſe poſſimus. Inquit ergo: Saulus autem adhuc ſpirans minas & cædes contra diſcipulos domini. Vide ſingula verba. Saulus ſpirat minas & cædes, hoc eſt, furit, inſanit contra diſcipulos domini, hoc eſt, contra eos, qui ſiue Iudaïſmo ſiue Ethniciſmo reiecto nomen dederant Chriſto. Saulus ſpirat minas & cædes. Nemóne alius? immò & multi alij, ſed nemo maiori ſtudio, aut potius nemo crudeliori odio quàm Saulus. Saulus adhuc ſpirat &cet. Quid eſt adhuc? hoc eſt, iam diu hoſtiliter perſecutus eſt Chriſtianos multos perdidit, multis moleſtus fuit, neque tamen adhuc ceſſat, nondum ſatiatus eſt Chriſtianorum ſanguine. Videt ſe inanem ludere operam, videt ex vnius Chriſtiani ſanguine multa milia Chriſtianorum renaſci, videt Chriſtianiſmum indies latiùs porrigere ſua pomeria, videt Iudæorum religionem à multis contemni: nihil tamen his mouetur ad pœnitentiam, ſed adhuc ſpirat minas & cædes contra diſcipulos domini. Primò Chriſtianis ni abnegare velint Chriſtum, grauia ac dira minatur: vbi verò videt ſeminis apud Chriſtianos nihil proficere, ad cædes vertitur, perſuaſum habens Chriſtum apud homines non eſſe tanti, vt quis pro illo mortem ſubiret. Sequitur. Saulus acceſſit ad Principem ſacerdotum (nam hic non erat tum omni poteſtate exutus) & petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum. Proximè Galilæam & Libanũ illum ex quo Iordanis naſcitur, Damaſcus iacet. Vide rurſum exempla diræ crudelitatis in Saulo. Non contentus eſt Chriſtianos perſequi in ciuitate Hieroſolymorum, ſed etiam ad exteras ciuitates pergit, non alio nomine quàm vt Chriſtianis valdè moleſtus ſit. Et vt maiori auctoritate negotium hoc peſſimum agat, immò vt nemo illius impiis & ſanguino-

lentis conatibus ſe opponat, literas petit a ſummo Sacerdote, ſcriptas ſcilicet ad Synagogas Iudæorum in Damaſco, vt his ex auctoritate ſummi ſacerdotis opitulantibus, quæ vellet perficere commodius poſſet. Hoc eſt ſicut Lucas dicit, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem haud dubiè puniendos, & ni abnegarent Chriſtum interficiendos.

Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damaſco, & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saul, Saul, quid me perſequeris?

Tanto odio tantáque inuidia accenſi erant Iudæorum proceres Hieroſolymis contra Chriſtianos, vt Saulus non difficilè impetrauerit literas delegatorias quas petierat, vt ſic appareat quam nullus fuiſſet Chriſtianorum profectus, ſi hos non ſeruaſſet Chriſtus. Et quomodo poſſent Chriſtiani proficere in tanta Iudæorum tyrannide, vbi ſummi Sacerdotes tam crudeli homini indulgent, vt pro animi ſui libidine poſſit in Chriſtianos ſæuire? Lætantur ſummi ſacerdotes quod tantum Chriſtiani homines hoſtem habeant, lætatur Saulus de accepta poteſtate. O miſeros igitur Chriſtianos, in quos non ſecus atque in furentes canes ſæuire licet: ſed fidelis Deus, qui non ſinit ſuos tentari vltra quàm ſufferre poſſunt. Ecce enim Saulus acceptis literis delegatoriis totus in hoc eſt, vt ſi fieri poſſet, funditùs perderet Chriſtianiſmum, & huius rei gratia accingit ſed ad iter, habet ſecum comites, ad hoc videlicet, vt etiam repugnantibus Chriſtianis præualere poſſet. Recta igitur proficiſcitur Damaſcum verſus. Quid acturus? vt ſi quos inueniret Chriſtiani nominis tam viros quàm mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem. Quid? an perpetuò ſilebit dominus ad tantam crudelitatem? an perpetuò
1. Pet. 2. negliget ſuos? an ad exemplum Stephani omnes interficiendi ſunt? neququam. Nouit enim dominus pios de tentatione eripere. Ecce enim ſimulátque Saulus appropinquat Damaſco, & putat haud dubiè ſibi omnia ex voto ſucceſſura, nihílque iam ampliùs obſiſtere quo minus comprehendat Chriſtianos, ſubito circumfulget eum lux de cælo: ipſe verò præ timore nimirum in terram cadens, audit vocem dicentem ſibi, Saul, Saul, quid me perſequeris? Repentinus ille fulgor arguebat non eſſe humanum

quod fiebat. Et carnis noſtræ fragilitas maieſtatis diuinæ vel modicam ſpeciem ferre non poteſt. Sic in transfiguratione domini legimus, ad tantū fulgorē, & ad Dei vocem tres diſcipulos valde fuiſſe perterrefactos. Cæterùm nihilo melior factus fuiſſet Saulus ex fulgore illo inopinato, niſi & verba domini audiuiſſet dicētis, Saul, Saul, quid me perſequeris? Verba hæc, inquit Chryſoſtomus, non tā arguentis, quā defendētis ſunt. Quid me perſequeris? Multa bona vobis Iudæis oſtendi, propter quod illorum tu Iudæe me perſequeris? an quod mortuos veſtros ſuſcitaui, vel quod leproſos purgaui, vel quod dæmones effugaui? Saul, Saul, quid me perſequeris? ecce iaces ſupinus, ecce ligatus abſque catena. Quò nunc peruenit ferorum ille furor tuus? vbi inſania? vbi zelus intempeſtiuus? vbi vincula & circūcurſationes? Saul, Saul, quid me perſequeris?

Qui dixit, Quis es domine? Et ille: Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

Pauca ſunt hæc verba, ſed multum precioſa, & digna quæ probè expendantur. Det dominus vt illa pro merito excutere poſſimus. Sed exponamus primum corticem literarum, deinde abſtruſiora expediemus. Saulus, ſicut auditum, eſt inopinato fulgore ſic perterritus vt in terram caderet, audit dominum loquentem, Saul, Saul, quid me perſequeris? Reſpondet ergo, Quis es domine? Ignorabat enim quęnam eſſet hæc vox, & nihil minus putabat quam Deum eſſe quem perſequeretur, aut potius cuius diſcipulos perſequeretur. Nam ſi dominus dixiſſet, Saul, Saul, quare perſequeris diſcipulos meos, faciliter potuiſſet intelligere quid ille vellet: iam verò omnia illi ſunt occulta. Non enim credit Ieſum in cælis dominari, nec huius diſcipulos putat Deo curæ eſſe, nec quenquam alium noluit Saulus cui moleſtus ſit præter Chriſtianos: immò perſequendo hos putat ſe gratum ſacrificium exhibere Deo. Inquit ergo, Quis es domine? Dominum appellat, non dubitans aliquid homine maius adeſſe. Reſpondit autem Ieſus, dicens: Ego ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris. Quare non dicit, Ego ſum Ieſus Chriſtus filius dei viuentis, verus Deus, verbum Dei ab æterno apud patrem exiſtens? Poterat quidem Chriſtus hæc & eius generis alia dicere, ſed vo-

luit indicare ſuam humilitatem iam ad dexteram patris exaltatam. Sic D. Stephanus in cælum ſuſpiciens inquiebat: Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. Et Chriſtus alibi: Videbitis filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna, Sic vbique nobis commendatur humilitas Chriſti, qua dignatus eſt carnem noſtram in ſe ſuſcipere, caro & frater noſter fieri. Si dixiſſet dominus, Ego ſum filius Dei, fortè nõ intellexiſſet Saulus quem vellet: quũ verò dicit, Ego ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris, facilè potuit intelligere quid vellet. Sed quare non dicit dominus, Ego ſum Ieſus Nazarenus, cuius diſcipulos tu perſequeris? quoniã Saulus magis Chriſto infenſus erat, quam Chriſtianis. Quidquid enim feciſſent homines non curaſſet Saulus, modo non ſeſe tradidiſſent in diſcipulatũ domini. Et ſucceſſu temporis nihil magis rogabatur à Chriſtianis, quàm vt abnegarēt Chriſtum. Chriſtum igitur magis odio proſequebantur Iudæi, quàm Chriſtianos. Rectè ergo dicit, Ego ſum Ieſus ille Nazarenus, quem tu perſequeris, cuius religionem odis, cuius nomini contumeliam facis, quem Moſi præferri non vis, &c. Eſt & alia ratio horum verborum, quæ altiorem ſenſum poſtulat, Quoniam enim Chriſtus & Chriſtiani vnum corpus ſunt, ille caput, nos membra, ille ſponſus, nos ſponſa, & ea eſt communicatio inter Chriſtum & Chriſtianos, quę eſt inter vnius corporis mẽbra: meritò cõqueritur Chriſtus ſibi irrogatam iniuriam, ſi quãdo ipſius membra iniuriam ab aliquibus ſuſtinent. Sed audiamus Apoſtolum: Sicut corpus vnum eſt & mẽbra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Et poſt aliqua dicit: Membra autem in idipſum pro ſe inuicem ſunt ſollicita, & ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Et ne quis putaret Apoſtolum hæc tantum dicere de noſtris corporibus quæ ſic nobiſcũ circumferre cogimur, ſtatim adiicit: Vos autem eſtis corpus Chriſti, & mẽbra de membro. Eadem ferè & propè iiſdem verbis ſcribit idẽ Apoſtolus ad Romanos inquiens: Sicut in vno corpore multa mẽbra habemus, omnia autem mẽbra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus

Ephe.5. *1.Cor.12.* *Roman.12.*

ſumus

ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Huc pertinet quod rurſum in Corinthiis dicit: Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Et ibi docet quòd peccantes non tantùm in ſe, ſed etiam Chriſtum peccent. Vt ſicut vir non habet poteſtatē ſui corporis, ſed mulier, & è conuerſo: ita & homo non habet poteſtatem ſui corporis (de Chriſtianis loquimur) ſed Chriſtus. Hinc eſt quod Paulus rurſum dicit: An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? empti enim eſtis precio magno. Vides quanta ſit cōmunio inter Chriſtum & Chriſtianos? Chriſtus caput noſtrum eſt, nos ſumus corpus illius: immò, ſicut Paulus in Epheſiis loquitur, non ſolùm ſumus membra corporis eius, ſed etiam de carne eius & de oſſibus eius. Huc etiam referri debet parabola illa Euangelica, in qua ſe dicit vitem veram, nos autem palmites eius vitis. Quæ autem maior poteſt eſſe communio quàm palmitum ad vitem? membrorum corporis ad eiuſdem corporis caput? ſpōſi ad ſponſam, de quibus ſcriptum eſt, Erunt duo in carne vna? Iam vtri coniugum contumeliam feceris redundabit in alterum, & ſi palmites perdas viti moleſtus es, & ſi aliquod membrum corporis tui lædas, toti corpori incommodaſti. Nam membra ſicut ex Apoſtolo auditum eſt, & ſicut experientia ipſa probat, pro ſe inuicem ſunt ſollicita, & ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Exemplum hoc ſit ex Diuo Chryſoſtomo: Calcaneo ſpina infixa eſt, ſentit totum corpus, cruciatúrque, incuruatur dorſum & venter, fœmora corripiuntur, manus ceu ſatellites miniſtríque properantes retrahunt infixam, inflectitur caput, ſolliciti oculi intuentur: ita fit vt pes, quantum relinquitur aſcendere non valēs tanto ſuperet, ad ſe caput quod ſummū eſt deducens, idque nō amicitia, ſed debiti & officij iure. Iam aliud ex D. Auguſtino adiiciam: Caput noſtrū ſurſum eſt, inquit, pedes in terrà ſunt, tamen in aliqua cōſtipatione hominum. Quando quis tibi pedem calcat, nónne dicit caput, Calcas me? nec caput tuū, nec linguam tuam quiſquam calcauit. Surſum eſt, in tuto eſt caput, nihil ei mali contigit: & tamen quia per connexionem charitatis vnitas eſt à capite vſque ad pedes, non ſe inde lingua ſepara-

1. Cor. 6.

uit,ſed dixit,Calcas me,cum eam nemo contigerit. Quoniam igitur Chriſtus caput eſt Chriſtianorum,non poteſt negligere membra ſua:quoniam ſponſus eſt Eccleſię,non poteſt contemnere ſponſam ſuam. Sed adeſt Saulus ille crudelis tyrannus lupus ille voraciſſimus ac rapaciſſimus, inſidiatur ouili, ánne ad hæc cõniuebit Paſtor? Adeſt tortor,vim facit Chriſti membris,an hæc ad ſe nihil pertinere putabit caput? Adeſt adulter & ſponſam Chriſti cupit corrumpere, an hæc animo æquo feret Chriſtus ſponſus? Eſt aper ferus, qui demoliri conatur domini vineam, ſed agricola non ſinet. Sed apertius eloquar. Adeſt Saulus Iudæus de tribu Beniamin, Phariſæus & interitum machinatur diſcipulis domini? Quínam aut quales ſunt iſti? oues cæleſtis paſtoris,membra Chriſti,ſponſa filij Dei. Anné filius Dei patietur ſponſam ſuam tam miſerè ac crudeliter tractari? nequaquam. De cælo enim loquitur, & perſecutorem alloquitur,dicens:Saul, Saul, quid me perſequeris? Egō ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris. Non hominibus tantùm moleſtus es, ſed etiam Deo: Nō poſſum amplius diſſimulare tyrannidem tuam, ſatis ſæuitum eſt. Ego caput Chriſtianorum ſum, corpus meum negligere non poſſum. Quidquid vel beneficij vel maleficij in illos contuleris,in me collatum eſſe ſcias: quid ergo me perſequeris? Tu putas te gratum exhibere cultum perſequendo Chriſtianos:verùm ego ſum Ieſus,ego ſum filius Dei, ego ſum Meſſias ille iā olim à vobis Iudæis exſpectatus,quem tu perſequeris. Et addit: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Hac paræmia ſignificatur eos fruſtrà pugnare, immò cum ſuo maximo damno, qui potentioribus repugnant. Metaphora autem ducta eſt à bubus,quos agricolæ lignis præacutis à tergo fodiunt,quibus ſi recalcitrent, tantum abeſt vt ſtimulo noceant, vt ſe etiam grauius lædant. Diſcimus autem ex hoc loco in Chriſtum redundare, quidquid cum piis vel boni vel mali agimus: quod vtinam multi expenderent, qui cum hominibus nocere cupiũt,in Deum ipſum ſunt iniurij. Diſcimus item ex hoc loco, Chriſtum ſuorum perpetuò habere curam, etiamſi interdum ad impiorum improbitatem conniuere videatur,& eam diſſimulare. Cæterùm quoniam eiuſmodi loci nobis ſæpiſſimè occurrunt tractandi, his poſthabitis ad

conſequentiam textûs nos recipiemus.

Et tremens ac ſtupens, dixit: Domine quid me vis facere? Et dominus ad eum: Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.

Hic ſatis apparet Saulum non ex malitia, ſed ex ignorantia tam crudeliter ſæuiſſe in Chriſtianos. Zelum Dei habebat, ſed non ſecundum ſcientiam. Non Deum, non homines oderat. Perſequebatur Chriſtianos non quia homines, ſed quia Chriſtiani fuerant. Non enim poterat æquo animo ferre, vt Dei cultus per aliquem minueretur, vel contemneretur. Putabat verò, ceu diximus, Chriſtianam religionem Deo multum ſupra modum aduerſari: verum audit Ieſum in cælis eſſe (huius enim corpus à diſcipulis domini noſtri furto ſublatum eſſe perſuaſum habebat) & ipſius vocem obiurgatricem audit manſuefactus, & mitior redditus non amplius furit, ſed tremit ac ſtupet, ignorans quî fiat quod Ieſus Nazarenus cælum inhabitet, & pro Chriſtianis loquatur. Dicit ergo: domine, quid me vis facere? hæc nimirum eſt mutatio dexteræ excelſi. Anteà haud dubiè Chriſtum vocauit blaſphemum, Pſeudoprophetam, epulonem publicanorum & meretricum collegam ac amicum: iam verò dominum vocat, & huius ſeruitio ſeſe dedicat. Domine, inquit, quid vis me facere? O potentem domini vocem, quæ tam citò tantum peccatorem ad pœnitentiam adducere potuit. Et ô miſeros nos qui toties à domino vocati venire non ſolùm differimus, ſed etiam contemnimus. Paulus vnicam quaſi vocem tantũ audit & reſipiſcit, non obluctatur, non contendit, ſed ſtatim cognoſcit dominum. Sed aggrediuntur hîc nos quidam, dicentes: Et quid mirum quod Paulus ad fidem peruenit, cum Deus vocem illam quaſi funem ceruici eius iniecerit, vſque ipſum adduxerit? Reſpondemus cũ D. Chryſoſtomo, Qualis illa vis ac neceſſitas dic ô homo? vocauit eũ ſupernè. Credis omninò quod vocauit eũ ſupernè, igitur & te hodie vocat per illam vocẽ, cur non & tu obedis? Vides nõ eſſe neceſſitatis negotium? Nam ſi neceſſitas quædã foret, oportebat & te obedire: cum autem tu non obedis, manifeſtum quod ille voluntarius obediuit. Et vt diſcatis quòd multũ quidẽ fecit ad ſalutem Pauli talis vocatio, ſicut & ad aliorum omnium hominum

facere ſolet : non tamen deſtituit eum à ſuis operibus, & ſuæ propriæ voluntatis laude,neque nocuit eius libero arbitrio,ſed voluntarius venit ipſe, atque ſua bona voluntate. Faciam hoc & alio exemplo liquidum: Audiuerunt & Iudæi vocem ſupernè loquentem non filij, ſed patris de Chriſto dicentis circa Iordanis fluenta: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et dicunt ei: Hic eſt deceptor. Vides manifeſtam pugnã? vides apertum bellum? ecce & illic vox & hîc vox, ſed hic obtemperat, illi autem contradicunt, & non ſolùm illi vox auditur, ſed & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ videtur: ſed poſt hęc omnia Iudæi in ſua cæcitate manſerunt, neque dictis neque factis Chriſti crediderunt. Dicemus & aliud exemplum adhuc proximius: Iudæi & filium Dei dominum Ieſum audierunt,& ſic audierunt vt Paulus audiuit,& neque ſic crediderunt. Nam ſicut Paulus audiuit vocem cùm adhuc fureret,& in diſcipulos ſęuiret: ita & Iudæi aliquando alicubi audierunt vocem, cum egrederentur cum facibus & lampadibus ad comprehendendum eum. Putabat enim ſe non niſi hominem adoriri. At ille volens eos docere virtutem ſuam,& ſe Deum, eóſque fruſtrà contra ſtimulum calcitrare, dicit eis: Quem quæritis? Stabãt autem & iuxta eum, & ante eum, & non videbant eum. Chriſtus autem quærebat,& manu ducebat vt ſe inuenirent, ac diſcerent quod non inuitus ad paſſionem iret, neque ſuperabilis eſſet niſi ſponte ſua eis permitteret. Aut quomodo ſuperarent, quem inuenire non potuerunt? quid dico inuenire? neque præſentem videre valuerunt: ſed & roganti reſpondentes neſciebant quíſnam ille præſens, qui tam potenter oculos eorum excæcauerat, & voce ſua eos proſtrauerat. Nam vt dixit, Ego ſum, voce ea perculſi retrorſum abierunt,& ceciderunt omnes. Itaque vt Paulum vox proſtrauit,& ſupinum iacere fecit: ita & illos omnes vox proſternebat. Et ſicut Paulus non vidit eum quem perſequebatur, ita & illi non videbant, quem quęrerent. Et ſicut Paulus tempore quo furebat excæcatus eſt: ita & illi tempore furoris ſunt excæcati. Et ſicut Paulus cum iret vt comprehenderet diſcipulos, hæc paſſus eſt: ita & illi cum exirent vt comprehenderent Chriſtum, talia paſſi ſunt. Vtrobique vincula, vtrobique perſecutio. Simile vtrobique virtutis

Chriſti iudicium, ſimiliáque remedia: at non ſimilis correctio. ægri enim multum inter ſe diſtabant. Quid enim ſtupidius illis, quid reprobatius illis qui retrorſum corruerunt, iterúmque ſurrexerunt, & iterum inuadunt? Paulus verò ſimul atque audit, Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris? ſtatim timore corripitur, factorũ pœnitet, & quid poſthac facto opus ſit interrogat. Quare hoc? quia, ceu diximus, non ex malitia, non ex inuidia, non ex vana gloria, ſed ex ignorãtia perſequebatur Chriſtianos, & nequaquã agnitæ veritati repugnabat. Iudæi enim etſi dominũ gloriæ non per omnia nouiſſent, tamen ex inuidia & ambitione perſequebantur Chriſtũ, neque benè docentẽ audire volebant. Hæc contra eos dicimus, qui Deum perditionis noſtræ auctorem facere conantur, quaſi qui pereunt non voluntariè, ſed inuiti & ex neceſſitate perire cogantur. Verum quidem eſt, quod Chriſtus dicit, Nemo venit ad me, niſi pater ad me traxerit eum: ſed nec hoc vanũ eſt quod alibi ad Hieruſalem dicit, Quoties volui congregare filios tuos & noluiſti. Verum eſt quod Paulus dicit, Nõ eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis: ſed non minus verum eſt quod idem Apoſtolus dicit, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis peruenire. Et ad quoſdam dicit: An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Qui te creauit ſine te, ait Diuus Auguſtinus meus, non iuſtificabit te ſine te. Et quemadmodum idem dicit. Salus religionis huius per quam ſolam veram ſalus vera veracitérque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Magna ſunt hæc myſteria fidei noſtræ, quę non ſunt curioſè ſcrutanda, ſed reuerenter adoranda. Habet Scriptura quod eis dicat qui omnia ſic attribuũt Deo, vt ſiue pereat ſiue ſaluetur homo, nihil ad hunc, ſed omnia ad illum pertineant. Habet eadem Scriptura quod dicat etiam illis qui iuxta Pelagianorum dogma impium, impiè dicunt ſe quod homines ſunt, à Deo habere: quod verò iuſti, à ſemetipſis. Sed nos his poſthabitis, pauciſſimis nos hoc loci expediemus. Scimus enim quod fides Dei donum eſt, quod Deus operatur in nobis & velle & perficere, & quod non ſumus ſufficiẽtes aliquid cogitare à nobis tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

De prædeſtina. ſancto lib. 1. cap. 9.

De prædeſtina. ſanctorũ lib.1. cap.9.

Fides igitur & inchoata & perfecta, quemadmodum Diuus Auguſtinus ſcribit, donum Dei eſt, & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omninò non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno homine omnes eſſe in condemnationem ſine dubitatione iuſtiſſimam: ita vt nulla Dei eſſet iuſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur. Vnde conſtat magnã eſſe gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoſcũt: vt qui gloriantur non in ſuis meritis, quæ paria vident eſſe damnatis, ſed in Domino glorientur. Cur autem iſtum potiùs quam illum liberet, inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: & ſufficiat nobis ſcire quòd iudicia Dei occulta eſſe poſſunt, iniuſta eſſe non poſſunt. Et hæc quidem hactenùs. Iam rurſum mouet Diuus Auguſtinus hoc in loco quæſtionem, num ſcilicet liceat hominem cogere ad religionem aliquam confitendam & amplexandam? Erant enim tum Donatiſtæ hæretici, quibus impium & indignum facinus videbatur, brachium ſæculare, vt aiunt, ab Epiſcopis inuocari aduerſus hæreticos, & ſic homines ad fidem compellere: dicebant enim Apoſtolos non petiiſſe à regibus talia, nec Chriſtum aliquem coëgiſſe ad fidem. His repondet Auguſtinus, ideo Apoſtolos non inuocaſſe poteſtatem regum contra hæreticos & Iudæos, quia tum reges & Imperatores nondum dederant nomen Chriſtianæ religioni. Quis enim tũnc Imperator crediderat, inquit, in Chriſtum, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo ſeruiret, quando adhuc Propheticum illud implebatur, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Nondum autem agebatur, quod paulò pòſt in eodem Pſalmo dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges ſeruiunt Domino in timore, niſi ea quæ contra domini iuſſa fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter quia etiam rex eſt.

Auguſt. de Correct. Donatiſta. ad Bonifa. cap.13.

Quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter: quia verò etiam rex eſt, ſeruit leges iuſta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore ſanciendo. Sic ſeruiuit Ezechias, ſic Ioſias, lucos & templa idolorum deſtruendo. Sic ſeruiuit Rex Niniuitarum, vniuerſam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sic ſeruiuit Nabuchodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. Ergo quòd Apoſtoli tum non inuocabant reges & Imperatores aduerſus vim iniquam Iudæorum & Gentilium, in cauſſa fuit, quòd tum Imperatores ipſi non protectores, ſed hoſtes fidei ac religionis noſtræ erant: iam verò alia res eſt. Poſtquam enim cœpit impleri quod ſcriptum eſt, Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei: quis mente ſobrius regibus dicat, Nolite curare in regno veſtro à quo tueatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri? non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit eſſe religioſus, ſiue ſacrilegus. Si enim patris eſt curare ne filius impiè agat, quomodo ad regem vel ad Imperatorem non pertinebit curare, ne filij Eccleſiæ nihil inſolenter, nihil temerè, nihil impiè agant? Et cur non cogeret Eccleſia perditos filios vt redirent, ſi perditi filij coëgerunt alios vt perirent? Omnia autem fieri debent habita ratione fidei & charitatis, immò etiam temporis & ordinis. Et hæc quidem omnia ex ſententia Scripturæ ſanctæ, & Diui Auguſtini diximus: iam igitur ad contextum redeamus. Interrogârat Saulus quid ſe oporteret facere: & rurſum accepit à domino, Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Hæc nimirum eſt magna verbi Dei etiam ab homine deprædicati gloria, quòd, etiamſi arcana Dei inſtitutione animus Pauli eſſet imbutus, nihilominus tamen ad Ananiam mittitur: is enim poſteà expoſuit quid faceret. Pari modo audiemus & in ſequenti capite Angelum Cornelio miſſum nihil priuatim erudire, ſed Petrum indicare doctorem. Valeant igitur qui verbo externo reiecto, neſcio quas apocalypſes nobis proferunt. Scimus quid verbo interno, ſcimus quid verbo externo deferre debeamus, & ſcimus quod vtrunque magnifaciendum, & neutrum reiiciendum eſt: ſcimus item quod verbum internum externo præiudicat, quia Deus citra omnem ho-

4. Reg. 15.
4. Reg. 22.
Ionæ 3.

minis operam docere poteſt aliquem internè: homo verò, niſi Dei ſpiritus afflauerit, omnem operam fruſtrà inſumet. Proindè dico vtrunque verbum ſuo loco habendum: multi verò circa extrema laborant. Alij enim, ceu diximus, verbum externum ne pili quidem faciunt, volentes tantùm in cordibus ſuis à Spiritu domini inſtrui, Enthuſiaſtas hos execramur: alij verò ſic verbo externo affixi ſunt, vt rarò aut nunquam cæleſtis doctoris operam ex animo implorent, & hoc vanum eſt. Nam, ſicut verè docet Diuus Auguſtinus, quantalibet homo ſermonis facultate præpolleat, vt ſolertia diſputandi & ſuauitate docendi in hominis voluntate inferat veritatem, nutriat charitatem, docendo tollat errorem, exhortando torporem: neque tamen qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Fruſtrà quippe operarius omnia moliretur extrinſecus, niſi creator intrinſecus latenter operaretur. Nos loquimur, ait rurſum alibi Auguſtinus, ſed erudit Deus: nos loquimur, ſed Deus docet. Non enim beatus dictus eſt quem docet homo, ſed beatus vir, inquit Pſaltes, quem tu erudieris Domine, & ex lege tua docueris eum. Sed hac de re plus ſatis: videamus rurſum verba Chriſti ad Saulum. Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi qúid te oporteat facere. Expende ſingula. Surge, inquit. Nam proſtratus iacebat in terra, & haud dubiè non valuiſſet vel digitum leuare, niſi iuſſiſſet Dominus. Iubetur intrare ciuitatem, non aliam niſi Damaſcum. Quid illic facturus? Et ibi, inquit, dicetur tibi quid te oporteat facere. Egreſſus es Hieroſolymam profecturus Damaſcum, & perſecuturus Chriſtianos, nihil huius rei facies: habes Epiſtolas ad Synagogas, ſed fruſtrà: in ciuitate Damaſco dicetur tibi quid te oporteat facere, quidquid tandem tibi præceperint Hieroſolymorum proceres. Vide autem quàm incerta Saulo dicantur. Non nominatur is per quem edoceri debeat, neque dicitur ei de quo rogare debeat. Quid igitur ad hæc Saulus?

De bono viduita: ca. 18.

De verbis Apoſtoli Ser. 4.

Pſalm. 93.

Viri autem illi qui comitabantur cum illo ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertíſque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damaſcum.

Aperta ſunt hæc. Saulus enim non erat ſolus in itinere,

ſed habebat ſecum comites,forſan milites qui ipſum adiuuarent in comprehendendis & vinciendis Chriſtianis. Quomodo enim ſufficeret ſolus Saulus ad comprehendendum omnes viros ac mulieres Chriſto conſecratos? Habebat itaque à principibus Sacerdotum Hieroſolymitanorum literas teſtimoniales, ſicut in ſuperioribus auditum eſt,ne impediretur ab aliis magiſtratibus, & habebat comites quorum auxilio etiam nolentes & repugnantes Chriſtianos vincire poſſet. Sed quid poſſent facere comites illi contra filios Dei, qui vnicam Dei vocem ſuſtinere non poſſunt? Audientes enim vocem Ieſu Chriſti, & neminem videntes terrore concutiuntur, ignorantes quid faciant,quâ eant, quáue redeant. Non multum diſtat hoc exemplum à captione Chriſti,vbi etiam ad vnicam domini vocem in terram ceciderunt. Et hæc quidem de comitibus Pauli,qui ipſum in re impia adiuuare volebant, forſan putantes ſe hac in re Deo diuinum cultum præſtare. Quid verò Saulus ad vocem & iuſſum Domini? Surrexit autem Saulus de terra,inquit Lucas, apertíſque oculis nihil videbat. Comites quidem Pauli non ſic excæcati ſunt vt penitùs nihil viderent,(nam miniſtri erant, & magiſtratibus obediebant, non tamen iuſtè) ſed Chriſtum Paulo loquentem non videbant: Saulus verò in totum excæcatus fuit,vt etiam apertis oculis comites ſuos videre non poſſet, neceſſéque haberet alienis manibus deduci. Tu verò hîc vide mirum Dei conſilium in conuertendo Paulum. Oculos externos Pauli priùs excæcat, dein oculos mentis illius illuminat: prius mortificat,deindè viuificat: prius effugat prudentiam carnis, deindè prudentiam ſpiritus inſtillat. Addam: Excæcandi erant oculi illi qui Paulum à cognitione Chriſti impediebant. Externis illis oculis ſuis Saulus ſic contemplabatur Chriſti imbecillitatem, vt oculis cordis ſui illius diuinitatem videre nõ valeret. Sed quid ait Chriſtus? In iudicium ego in hunc mundum veni,vt qui non vident videant,& qui vident cæci fiant. Vtrunque vides in Saulo completum. Dum enim ſe putat videre,cæcus eſt,& dum ab aliis cęcus exiſtimatur,acutiſſimè videt. An non videtur planè cæcus eſſe qui filium Dei perſequi conatur? an non rurſum acutè videt, qui Dei filium in humana carne cognoſcit? Huc pertinet quòd Paulus in Co- *Ioan.9.*

2. Cor. 5. rinthiis dicit: Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. Et hæc quidem de cæcitate Sauli, qui ab eodem illuminatus eſt, à quo & excæcatus. Sequitur. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum. Multos ſcilicet vinctos ducet in Hieruſalem, qui ipſe opus habet vt manu ducatur. Introducitur autem in Damaſcum Deo ſic diſponente, non vt Chriſtianos perſequatur, ſed vt ipſis patrocinetur, hoc quod ſequentia docebunt. Etſi enim Balaan conductus eſt vt Iſraëli maledicat, tamen diuina compellitur poteſtate, vt illi benedicat. Nota eſt hiſtoria, nota ſunt verba Balaan.

Num. 22. Si dederit mihi Balach plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plus vel minus loquar. Sic Saulus non poteſt in Damaſco implere quæ iuſſerat magiſtratus Iudaïcus, ſed cogitur facere quæ præſcribit Ieſus Nazarenus. Sed hæc in ſequentibus clariora erunt.

Et erat tribus diebus non videns, & non manducauit neq; bibit. Sunt qui putant Paulum in hoc triduo raptum in tertium cælum, & audiſſe arcana illa quorum in Corinthiis meminit: verùm ego hîc nihil certi affirmare poſſum Hoc verò obſeruandum puto à me & mei ſimilibus, quòd hîc breuiſſimis verbis de Saulo ſcribitur, quòd tribus diebus nihil viderit, nihil manducauerit, ac nihil biberit. Certè Moſes propoſiturus legem populo Iſraëlitico, 40. diebus & totidem noctibus nihil manducauit, nihílque bibit: ſic etiam Chriſtus antequam procederet ad prædicandũ, prius totidem diebus ac noctibus ieiunauit. Nam qui ventri ac genio indulgere ſolent, non facilè fructificabunt in domo domini, tum quòd ad capienda myſteria regni Dei inhabiles ſunt, tum etiam quod alios peſſimo ſuo exemplo corrumpunt. Igitur qui ad miniſterium verbi accedere vult, primum ſit cæcus, hoc eſt, non fidat proprio ingenio, ſed Dei dono: deinde abſtineat ab omni crapula, & in ſobrietate & continentia myſteria S. Scripturæ rimari & diſcutere pergat. Et quidem hæc hactenus. *Erat autem quidam diſcipulus Damaſci nomine Ananias. Et dixit ad illum in viſu dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego domine. Et dominus ad eum: Surge & vade in vicũ qui vocatur rectus, & quære in domo Iudæ Saulũ nomine Tharſenſem: ecce enim orat. Et vidit per vi-*

ſum virum Ananiam nomine introeuntem & imponentem ſibi manus, vt viſum recipiat. Nemo exiſtimet ſolum Ananiam fuiſſe in Damaſco Chriſtianū. Multi enim ibi erant Chriſtiani & diſcipuli domini, vnde & Saulus eò volebat proficiſci ad capiēdū Chriſtianos, inter quos haud dubiè Ananias præcipuus fuerat, quē etiam Saulus præ cæteris comprehendiſſet, niſi dn̄s mentem eius immutaſſet. ſed lupus ille rapax innocenti oui nocere nō poteſt, immò ille ad ouem mittitur, vt depoſita lupina rabie, ouillā induat innocentiā. Apparuit enim dn̄s & lupo & oui, hoc eſt, & Saulo & Ananiæ, vtriq; ſignificans quid ſe facere oporteat. Ad Ananiam dicit, vt Saulum quęrat: Saulo indicat, ne miniſterium Ananiæ contemnere velit. Surge, inquit dominus ad Ananiam, & vade in vicum qui dicitur rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharſenſem: ecce enim orat. Expende ſingula, vide quā certò ſignificet Ananiæ quo diuerterit Saulus, indicat vicū, & indicat hoſpitē. Et ne timeat Ananias aulū, addit Chriſtus: Ecce enim Saulus orat. Venerat quidem ad perſequendum: ſed iam perſecutio verſa eſt in orationē. Venerat Saulus quęrere Chriſtianos vt perderet: ſed iam quæritur à Chriſtiano vt ipſe ſaluus fiat. Iam ne Saulus putaret Ananiā aliquid tentaturum cōtra Chriſtum, illíq; contradiceret, etiā per viſum admonetur, ſe per impoſitionem manuū Ananiæ, viſum oculorū recepturū. Duo hîc obſeruanda ſunt. Primū quòd Saulus à Deo caſtigatus non maledicit, ſed orat, nimirū peccatorum veniā, & verā veritatis cognitionē. Secundum quòd Chriſtus orāti Saulo Ananiam mittit, qui ipſum ſanet. Oremus itaq; & nos dum à domino flagellamur, & ſtatim mittet qui nos ad priſtinam incolumitatem reducant. *Reſpondit autem Ananias: domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Hieruſalem. Et hic poteſtatē habet à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* Hæc ſunt confirmatio ſuperiorū, quibus ſignificatum eſt quomodo Saulus acceperit literas teſtimoniales à principibus, ne quis ſuæ tyrānidi auderet reſiſtere. Tu verò hîc rurſum vide nō omnia eſſe ſcripta, quę ab Apoſtolis & diſcipulis domini facta ſunt. Ananias vir probus & verax dicit ſe audiſſe à multis, quāta mala Saulus fecerit Chriſti fidelib⁹ in Hieruſalē: quum tamē Lucas horū ne verbulo quidem

hactenùs meminerit, excepto eo quod ſcripſit Saulum conſenſiſſe in necem Stephani. Adde & hoc, quòd Paulus ipſe in poſterioribus multa recenſet ſibi in hac conuerſione Chriſtum dixiſſe, quorum Lucas in hoc loco non meminit. Igitur non ſtatim confictum eſt quod de Apoſtolis & Apoſtolicis viris narratur in Eccleſia, etiamſi ab Apoſtolis vel Euangeliſtis ſcriptum non eſt. Credamus itaque Ananiæ referenti quod Saulus multa mala fecerit Chriſtianis in Hieruſalem, etiamſi Lucas ea non recenſuerit. Quare autem refert Ananias talia Chriſto? Refert non vt Chriſtum hæc ignorantem certiorem reddat, ſed timoris verba hæc ſunt, quibus ſignificare vult ſibi non fore integrum ad Saulum ire, vt qui malit Chriſtianos occidere, quàm ab eis aliquid diſcere. Hoc autem ingenium eſt hominum (vt quidam rectè ſuper hoc loco annotauit) vt vocati à Deo & iuſſi aliquod opus peragere, vehementi formidine corripiantur, ne obedientes Dei vocationi aduerſis quibuſdam periculis obiiciantur, néue Deo obſequium præſtantes à Satana opprimantur. Exemplo ſit nobis Moſes, Hieremias, Ionas, & alij. Neque hoc ſolum fit in miniſterio verbi & in rebus Eccleſiaſticis, ſed etiam in rebus mundanis & ciuilibus. Multi enim ideo vſuras exercent, malis artibus diuitias quærunt, fraudémque proximo faciunt, quia ſcilicet timent ſe vocationi ſuæ inſeruientes non poſſe optata nanciſci. Sic Deo obtemperantes timemus pericula: Satanæ inſeruientes pollicemur nobis ſecuritatem maximam. Quam præpoſteram curam vtinam tandem nobis eximat dominus.

Dixit autem ad eum dominus: Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. His mederi vult dominus timori Ananiæ, ac omnem tollere ſcrupulum: ſic enim ſolet dominus miniſtros ſuos trepidantes confortare. Sic timidum Moſen à metu reuocat, dicens: Ego ero tecum & in ore tuo, docebóque te quid loquaris. Sic meticuloſo Hieremiæ ſuam præſentiam pollicetur, & ait: Ne timeas, quia ego tecum ſum vt eruam te. Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna vt euellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, & ædifices & plantes.

Hiere. 1.

Sic Apoſtolos conſolatur ac confortat mittens ad prædicandum: Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt. Sed audiamus quibus verbis dominus timorem eximat bono Ananiæ. Vade, inquit. Quò vadam? in domum Iudæ, & quære Saulum Tharſenſem. Sed perſecutor eſt. Non, mi Anania, ſed vas electionis, organum, inquam, electum eſt mihi Saulus iſte. Immò perſequitur ac flagellat omnes, quotquot inuocant nomen tuum, ô domine. Nequaquam mi Anania, inquam, ſed portabit nomen meum, hoc eſt, prædicabit de me, glorificabit coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael. Hactenùs quidem quantum in ſe fuit conatus eſt nomen meum per vniuerſum mundum abolere, ſed iam multum mutatus ab illo, quantum in ſe fuerit conabitur nomen & gloriam meam vniuerſo orbi commendare: Anteà Chriſtianis omnibus multum moleſtus fuit, ego verò oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Neque enim tam crudelis fuit in Chriſtianos Saulus, quàm crudeles poſteà facti ſunt & Iudæi & Gentes in Paulum. Multa hoc loco nobis veniunt obſeruanda: & primò quidem ne temerè de quoquam deſperemus, cùm videamus dominum ex crudeli Chriſtiani nominis hoſte poſſe eximium Eccleſiæ miniſtrum facere. Quis es tu, inquit Paulus, qui iudicas alienum ſeruum? Secundò prædicit hîc dominus religionem Chriſtianam non ſolùm Iudæam, ſed etiam Gentilium populos occupaturam, hoc quod etiam factum eſt. Tertiò videmus veros Euangelij miniſtros perpetuò variis periculis fore expoſitos mundus enim ſemper vult peccare, & nunquam vult peccati accuſari. Porrò, quod quarto loco dicendum eſt, verbi miniſtri non debent timere minas hominum ſiue magnatum ſiue plebeiorum: ſed confidenter miniſterio ſuo fungi, & quæ in mandatis habent liberè proferre, ſiue libenter, ſiue illibenter hoc ſuſtineat mundus. Nos quod noſtri officij eſt diligenter faciamus, & dominus in tanta peccatorum multitudine benè inueniet electa ſua organa. Hoc autem tum maximè fiet quando nomen domini coram mundo portabimus, hoc eſt, quando non noſtram, ſed Dei gloriam in omnibus quæſierimus. Sequitur in contextu.

Et abiit Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, vt videas & implearis Spiritu ſancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamæ, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt. Et cum accepiſſet cibum confortatus eſt. Bonus ille Ananias, quiſquis tandem fuerit, audiens Saulum ſic immutatum nihil dubitat de viſione, ſed ſtatim pergit ad deſignatam domum, & imponit Saulo manum (hîc enim benè precantium Iudæorum mos erat) & his verbis, nimirum blandiſſimis alloquitur, Saule frater. Non vocat crudelem Eccleſiæ perſecutorem, non Chriſtiani nominis hoſtem, non virum ſanguinum, ſed fratrem. Saule frater, inquit, miſit me ad te dominus Ieſus. Ego non vltro ad te venio, nec aliquis hominum me ad te deſtinauit, ſed miſit me ad te dominus Ieſus, qui apparuit tibi in via qua veniebas. Nec miſit me ad te vt te obiurgem, ac pro illata Chriſtianis à te iniuria tecum expoſtulem, ſed vt qui hactenùs cæcus es, iam videas, & implearis Spiritu ſancto, id eſt, vt & mentis & corporis oculos recipias. Obſerua autem quod Ananias non dicit, Dominus Ieſus miſit me ad te, vt tibi aperiam oculos & tibi dem Spiritum ſanctum. Hoc enim falſò diceret, quum non ſit humanæ virtutis vel oculos aperire, vel Spiritum ſanctum dare, niſi miniſterialiter, qua de re ſępiſſimè dixi. Addit Lucas confeſtim cecidiſſe ſquamas ab oculis Sauli, cúmque ſic viſum recepiſſe, deinde & baptizatum fuiſſe: vbi rurſum videmus quanta breuitate Lucas noſter hanc hiſtoriam conſcripſerit. Surgens, inquit, baptizatus eſt. Quomodo, aut vbi, quibúſue verbis aut cęremoniis baptizatus eſt? Hoc certè Lucas per ſingula deſcribere non putauit neceſſarium, vt qui hanc hiſtoriam ſcribebat Chriſtianis, qui non ignorabant quid eſſet vel baptizare, vel baptizari Porrò cap. 22. huius libri audiemus, quomodo Paulus ipſe hanc hiſtoriam referet. Addit rurſum Lucas de Saulo: Et cum accepiſſet cibum confortatus eſt. Nam ex mirabili illa apparitione, ex timore, ex cæcitate, ex ieiunio debilis factus fuerat, cui debilitati medicatum eſt ſumptione cibi. Prius autem voluit ſanari animam quam corpus, quum vtrcque laboraret: quod exemplum vtinam & nos ſe-

quęremur, maximè quum ſubinde in varios & grauiſſimos morbos inciderimus. Obſerua etiam hoc loci quanti faciendum ſit externum verbi miniſterium, & externa ſacramentorum adminiſtratio ſiue diſpenſatio. Potuiſſet quidem dominus Ieſus Saulo reſtituere oculos, dare Spiritum ſanctum aut potiùs huius dona, & abluere peccata citra omne Ananiæ miniſterium, ſed vt nobis commendaret miniſterium Eccleſiaſticum, maluit illa omnia per Ananiam perficere. Sed quare non miſit Petrum aut alium quendam Apoſtolum ad Saulum, vt illius miniſterio Saulus baptizaretur? Lucas nullam eius rei cauſſam ponit, ſed ego puto ideo factum, vt intelligeremus virtutem ſacramentorum non eſſe ex virtute miniſtri, ſed ex ordinatione & inſtitutione Chriſti: qua de re Paulus in Corinthiis ſuis. *Fuit autem cum diſcipulis qui erant Damaſci per dies aliquot. Et continuò ingreſſus in Synagogas prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei.* Tria hîc de Paulo nobis referuntur: primum, quòd baptizatus non continuò regreſſus eſt Hieroſolymam, ſed manſit per dies aliquot Damaſci cum diſcipulis, quos non paucos fuiſſe in Damaſco ex eo coniicimus, quod Saulus præcipuè eo profectus fuerit ad perſequendum Chriſtianos. Secundò ingreſſus eſt in Synagogas, non vt literas ſuas teſtimoniales principibus Sacerdotum exhiberet, ſed vt in conuentu doctorum quidem virorum ſed tamen hoſtium Chriſti Chriſtum prædicaret, hoc eſt, commendaret, & ad credendum in eum potiſſimos Iudæorum admoneret. Tertiò prædicabat quòd Ieſus, Nazarenus ſcilicet, eſſet filius Dei, nimirum vnigenitus & æternus, & eiuſdem ſubſtantiæ, potentiæ ac gloriæ. Hoc eſt prædicabat idem, quod Chriſti Apoſtoli prædicauerant hactenus: prædicabat eam fidem quam ipſe hactenus gladio in aliis fuerat perſecutus, nec pudebat ipſum iam apertè & liberè commendare, quod paulò antè ſeueriſſimè & vituperabat & perſequebatur. Hîc forſan noui Prophetæ huius ſeculi ſibi putabunt inueniſſe vmbram ſub qua lateant, & dicent: Quî fit quòd nobis vitio vertitur quod iam probamus quæ olim damnauimus, & iam damnamus quod olim probabamus, cum idipſum fecerit & Saulus? Bona verba quæſo, mi propheta Euangelice, non tibi par eſt cauſſa cum

Paulo. Semel mutauit Paulus doctrinam ſuam, non ſæpius ſicut tu: & in veteri teſtamento promiſſum fuit nouum teſtamentum, hoc eſt, potior doctrina. Paulus itaque reiecta veteri accepit nouam,hoc eſt,potiorem. Iam in nouo teſtamento non promiſſum eſt fore vt huic doctrinæ melior ſuccederet, ſed admoniti ſumus ne patiamur nos ab hac auelli,cum in poſtremis temporibus venturi ſint pſeudoprophetæ, qui multos eſſent decepturi. Atqui noſtra doctrina non eſt nupera, nec in poſtremis temporibus cœpta, ſed à tempore Apoſtolorum ad noſtra vſque tempora deriuata. Adde quòd aliud eſt diſcipulum mutare fidem ſuam,aliud eſt Apoſtolum ſiue Eccleſiaſtem mutare doctrinam ſuam. Neſcio an verè dicere poſſis Saulum contraria docuiſſe, cum non conſtet eum doctorem fuiſſe in Iudæorum populo: niſi fortè omnes Phariſæi munus docendi in Synagogis habuerunt, quod certò affirmare non auſim. Et certè non ſine cauſſa factum eſſe arbitror, quòd Chriſtus maluerit ab initio piſcatores in Apoſtolos eligere, quàm legis doctores. Si enim legis doctores elegiſſet in Apoſtolatum, & iſti præcedentibus ſuis doctrinis contraria docuiſſent poſteà, annè populus habuiſſet cauſſam contradicendi? Quidnam hoc eſt? hactenus nos docuiſtis ex lege hoc & hoc,iam diuerſum docetis, & hoc rurſum legem veterem habere dicitis? An lex ſibi contraria eſt? an nihil ſolidi habet? an toties mutanda nobis religio, mutandus cultus diuinus? Sed Apoſtolis nemo talia exprobrare potuit, quia prius non doctores, ſed diſcipuli fuerunt. Proinde non immeritò dico non parem habere rationem, ſi diſcipulus mutauerit religionem ſuam, & ſi doctor doctrinam ſuam. Si enim toties mutanda nobis fuerit religio, quoties inſtabiles illi doctorculi ſuam mutauerint doctrinam,nemo vnquam certus erit de ſuâ doctrina. Fruſtrà itaque noui prophetæ ad tegendam ſuam inconſtantiam obiiciunt nobis exemplum Pauli, qui poſteà docuit ipſe quod prius impugnauerat. Sed hæc hactenus. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant: Nónne hic eſt qui expugnabat in Hieruſalem eos qui inuocabant nomen iſtud? & huc ad hoc venit vt vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum?* Certè ſtupore & admiratione digniſſima erat tanta mutatio

tatio: erat enim non hominis opus, ſed verè mutatio dexterę excelſi. Poſſemus huc parabolam illam Pſalmographi adducere, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hîc factus eſt in caput anguli. A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Saulus enim erat verè lapis ab hominibus reprobatus tanquam ineptus ad ædificationem Eccleſiæ, quàm non conſtruere ſed deſtruere & diſſipare laborabat: ſed iam factus eſt lapis angularis, & coordinare contendit ædificium egregium ac ſtructuram pulcherrimam ex Iudæorum & gentium populis. Vnde tanta mutatio? A domino factum eſt iſtud, qui poteſt ex lapidibus ſuſcitare filios Iſrael ſiue Abrahæ: quod quoniam comprehendere non poſſumus, admirari debemus, & eſt certè mirabile in oculis noſtris. Dicebant olim Iudæi, Nunquid Saul inter prophetas? dicant nunc, Nunquid Saul perſecutor Chriſtianorum inter Chriſti Apoſtolos? Mirabile eſt ex paſtore ouium continuò fieri regem, ſed nõ minus mirabile eſt ex perſecutore Chriſtianorum fieri Chriſti Apoſtolum: vnde non ſatis mirari poſſunt Iudæorum proceres, quomodo tam citò in alium virum conuerſus fuerit Saulus. Nónne hîc eſt, inquiunt, qui expugnabat in Hieruſalem eos qui inuocabant nomen iſtud, hoc eſt, qui fidem habebant Chriſto? Nec hoc faciebat propria auctoritate, nec iam olim mutauit animum, ſed iam huc in hanc ciuitatem venit vt vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum: iam verò tantum abeſt vt Chriſtianos vinciat, vt etiam omnes ad Chriſtianam religionem conuertere pudeat. Sequitur quod admirationem augebat. *Saulus autem multo magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.* Aperta ſunt quæ hîc dicit Lucas de Saulo quod confuderit, confutauerit atque perturbârit Iudæos Damaſcenos affirmando Ieſum Nazarenum eſſe Chriſtum, hoc eſt, Meſſiam in lege ac prophetis promiſſum. Duo enim iam de Chriſto prædicabat Saulus, quæ tamen vtraque conſtanter negabant Iudæi: alterum quòd Ieſus Nazarenus eſſet filius Dei: alterum quod eſſet Meſſias, ſicut iam dixi, Iudæis in lege & prophetis iam olim promiſſus: hæc duo, inquam, prædicabat Saulus, tantíſque argumentis confirmabat, vt Iudæi ne

1. *Reg.* 10.

contra mutire quidem poſſent. Et hoc valde illos reddebat perturbatos ac perplexos, quòd Saulus tanto ſtudio prius perſecutus fuerat Chriſtianos: nunc verò non minori ſtudio Chriſtianiſmum propugnaret, non gladio aut vinculis, ſed euidentiſſimis ſacrarum ſcripturarum argumentis. Quibus verò argumentis, quibúſue ſcripturæ au-ctoritatibus hoc fecerit, Lucas non ſignificauit, ſed nos ex diui Pauli Epiſtolis facilè colligere poſſumus quibus argumentis fuerit vſus. Certè ad confirmandas has duas res, ſcilicet Ieſum Nazarenum eſſe filium Dei viuentis & verum Meſſiam, ſcripturæ vtriuſque teſtamenti abundè ſuppeditant argumenta. Sed Saulus tum coactus fuit tantum vti ſcripturis legis & prophetarum, quum Euangelia nondum fuerant ſcripta. Patres vero ſequentes hos duos articulos probauerunt teſtimoniis vtriuſque teſtamenti, iuxta conditionem eorum quibuſcum pugnabanr. Contra Iudæos qui negabant Chriſtum eſſe Meſſiam, pugnabant auctoritate legis & prophetarum: contra hæreticos verò qui ſub Chriſti titulo Chriſtum perſequebantur, vſi ſunt teſtimoniis vtriuſque ſcripturæ. Quoniam verò hæretici ſolent ſcripturas falſò ad ſua ſomnia torquere, & eis cæreum naſum facere, patres perpetuò prouocauerunt ad perpetuum & vnanimum Eccleſiæ conſenſum: hoc quod & noſtro ſęculo faciendum eſt. Quod enim hæretici ſubinde intonant ſcripturas per ſe eſſe clariſſimas, nec opus habere humanis gloſſematis, in hoc faciunt, ne cogantur veterum interpretationibus cedere, ſed liceat eis quomodocunque velint ſcripturæ verum ſenſum peruertere. Breuiter ſcripturæ claræ ſunt & apertę, ſic tamen vt ipſis hæreticis liceat interpretari quomodo velint, nobis autem non liceat. Sic Arrianis clarum eſt quod Chriſtus dixit, Pater maior me eſt: quod verò idem dixit, Ego & pater vnum ſumus, non eſt eis clarum, ſed interpretatione indiget, non quidem Catholica, ſed Arriana. Sic hæreticis noſtri temporis non ſatis clarum eſt quod Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum: ſed quòd idem dixit, Bibite ex hoc poculo omnes, illis ſole clarius eſt. Sed hac de re plus ſatis. Iudæi haud dubiè non negabant Paulo ſanctæ ſcripturæ auctoritatem, ſed interpretationem Paulinam etſi veriſſima eſſet calumniaban-

Adduxi hoc in loco ſcripturas quibus diuus Paulus in Heb. cap. 1. & 2. probat diuinitatem Chriſti.

Hæreticis quomodo ſcripturæ claræ & apertæ.

tur: verùm diuus Paulus euidentiſſimis exemplis demonſtrare poterat, ea quæ in lege & prophetis de futuro Meſſia ſcripta erant in neminem alium niſi in Chriſtum competere. Sed videamus ſequentia. *Cum autem implerentur dies multi, conſilium fecerunt in vnum Iudæi vt eum interficerent. Nota autem factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum: Cuſtodiebant autem & portas die & nocte vt eum interficerent. Accipientes autem eum diſcipuli eius nocte, per murum demiſerunt eum ſubmittentes in ſporta.* Mirum eſt quod Damaſcenorum principes multos dies exſpectauerunt, & non ſtatim primo die Saulum comprehenderunt ac in carcerem coniecerunt, ne ſua repentina conuerſione, & ardenti prædicatione aliquos ex Iudæis ad Chriſti fidem conuerteret, & Chriſtianos qui habitabant Damaſci, confirmatiores in fide faceret. Sed apud Chriſtianos homines dubium eſſe non debet, quin dominus Ieſus conatus illorum ſic compreſſerit, vt contra vas illud electum nihil inimicum tentare potuerint. Putatis vos quòd Satan tam ſerò incœperit odire patientiſſimum Iobum, quàm ſerò ipſum perſecutus eſt? nequaquam ita eſt. Iám olim libenter illum perdidiſſet, ſed iniquos & odioſos ipſius conatus cohibuit dominus: ſic & nobiſcum agit aduerſarius humani generis Satan. Non tum tandem nos incipit odire, quando nos perſequitur, nobiſque moleſtus eſt, ſed perpetuò nos odit: atque Deus non permittit illi vt ad voluntatem ſuam nos perpetuò perſequatur. Igitur quando nobis moleſtus eſt magis fit Dei voluntate, quàm diaboli poteſtate. A Satana igitur tentati & afflicti vertamus nos ad dominum, qui ſolus Satanæ tyrannidem comprimere poteſt. A contrario exemplo rem diſcite. Quòd Saulus Chriſtianos in Hieruſalem perſequitur, non ideò fit quaſi huius poteſtati nemo reſiſtere queat, ſed quia dominus ſic ſuos probare voluit, ideo permiſſum eſt illi ſic ſæuire in Chriſtianos. Si enim in poteſtate vel virtute Sauli eſt comprehendere, vincire, ac in carcerem coniicere quem velit, age proficiſcatur Damaſcum, & ſi poteſt capiat Chriſtianos, captiuos vinculis conſtringat, ligatos ducat Hieroſolymam. Sed ſatis auditum eſt, quid quantùmue poſſit homo contra Deum. Ergo ante omnia fac tibi concilies Deum, & non erit cur Satanam vel huius

Quare Damaſcenitani diu diſſimularunt Pauli prædicationes.

ſatellites metuas. Si Deus pro nobis, inquit Paulus in Romanis, quis contra nos? & Pſaltes, Dominus mihi adiutor, inquit, non timebo quid faciat mihi homo. Et rurſum: Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Eius generis ſententiis Pſalmi referti ſunt. Hæc ideo dixi, ne quis miretur Damaſcenorum principes ſic diſſimulaſſe Sauli prædicationem, quòd tandem poſt multos dies conati fuerint illum comprehendere. Pro hac patientia & diſſimulatione non eſt quòd principibus Damaſcenis agamus gratias, ſed Deo, qui impios illorum conatus, ſicut iam diximus, cohibuit. Cohibuit autem dominus haud dubiè ideo, vt boni Chriſtiani propter miram & repentinam, immò & inopinatam Pauli prædicationem confirmatiores in recepta Chriſti fide durarent, & Iudæi audientes Pauli doctrinam, à propoſito ſuo deficerent: ad noſtram verò religionem conuerterentur, videntes & audientes à Saulo magnæ doctrinæ viro eam fidem prædicari & confirmari, quam paulò antè impugnauerat. Nec erat Saulus tam paruæ reputationis apud Iudæos, vt potuerint ipſum leuitatis aut inconſtantiæ accuſare, vt qui erat hactenus irreprehenſibiliter in lege conuerſatus, & iam euidentiſſimis ſcripturis probabat & conuincebat Ieſum Nazarenum eſſe Dei filium, & Meſſiam, in lege & Prophetis patribus promiſſum. Nec dubium eſt, quin Paulus multos ex Iudæis ad noſtram religionem conuerterit: aliâs enim non poſuiſſent ei inſidias. Adde & hoc, niſi maior pars populi Chriſtianam fidem recepiſſet in Damaſco, non fuiſſet opus inſidias ponere Paulo, & cuſtodire diu noctúque portas: ſed manus inieciſſent ei vel in publico, vel in priuatis ædibus. Non poſſumus enim dicere quòd Saulus ſeſe abſconderit vt non potuerit comprehendi. Nam audiuimus eum publicè in ſynagogis prædicaſſe hos duos articulos, qui maximè aduerſabantur Iudæis, videlicet, Ieſum Nazarenum eſſe filium Dei, & eundem eſſe iam olim promiſſum Meſſiam. Sed rogas

De fuga Pauli.

forſan, quare diſcipuli Paulum nocte demiſerint per murum, & Paulus ſic fugerit, & non potiùs apertè ſe magiſtratui oppoſuerit? reſponſio in promptu eſt. Scriptum eſt: Non tentabis dominum Deum tuum, hoc eſt, ne te-

merè te des in periculum. Et Paulus fugit non quaſi timens propriæ vitæ, & animam ſuam precioſiorem reputans Chriſto, (ſicut alibi loquitur) ſed vt priùs curſum ſuum abſolueret, hoc eſt, multos ad fidem Chriſti conuerteret, deinde per martyrium ad Chriſtum concederet. Sic Chriſtus primò fugit in Ægyptum, aliquando ſe occultat præ inimicis ſuis: tandem verò ſe vltro offert paſſioni & morti. Addam quod Chriſtus ipſe Apoſtolis dixit: Si perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Quod ſi putas hæc ad Paulum non pertinere, age quid dices ad illa quæ propriè de diuo Paulo dicta ſunt, quod nomen domini debeat portare coram gentibus, coram regibus & filiis Iſrael? hæc nondum impleuerat diuus Paulus, vnde non immeritò Iudæorum inſidias cauet. Breuiter hoc pij paſtoris eſt, vt ſe quantum poteſt ſeruet ouibus domini: ſi verò contigerit illum comprehendi, vt forti & infracto animo ſuſtineat quæcunque ei obtulerit dominus. neque enim ſemper miracula expetenda vel exſpectanda ſunt. *Obſerua.* *Cum autem adueniſſet in Hieruſalem, tentabat ſe iungere diſcipulis, & omnes timebant eum non credentes quod eſſet diſcipulus. Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos, & narrauit illis quomodo in via vidiſſet dominum, & quòd locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine Ieſu.* In iis hiſtoriis quæ nihil difficultatis habent nolumus pietatem veſtram prolixius detinere, vt in locis difficilioribus maiori commoditate nos explicare poſſimus. Nihil hoc loci difficultatis eſt, ſi modo eorum memineritis quæ in præmiſſis diximus. Non ſtatim à conuerſione profectus eſt Paulus in Hieruſalem, ſed poſt annos tres tandem, qua de re ipſum audi ex Galatis ſuis: Cum ei placuit qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam vt reuelaret filium ſuum in me, vt Euangelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui carni & ſanguini: neque veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum. Deindè poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim, &c. Ergo tanta crudelitate ſæuierat Paulus in Chriſtianos, vt hi nec poſt triennium ſe illi fidere audebant, timentes forſan ne Saulus ſimulata *Galat. 1.*

religione ſic ipſis callidè inſidiaretur. Et mirum eſt quod fama de conuerſione Pauli in hoc triennio non peruenerit Hieroſolymam, in qua tot Chriſtiani, & in qua Saulus omnibus tam benè notus fuerat. Sed forte auditum fuit de Saulo conuerſo: verum quum tantus fuerat Chriſtianorum perſecutor, non facilè credebatur ex tam furioſo lupo tam manſuetum agnum effectum. Et aliâs ſolet mala fama velocius currere, quàm bona. Igitur diſcipuli domini, hoc eſt, Chriſtiani qui habitabant Hieroſolymis non audebant ſe concredere Paulo, vt quem adhuc pro hoſte habebant: Barnabas verò qui nouerat conditionem Pauli, duxit eum ad Apoſtolos, & narrauit eis quomodo Paulus fuiſſet in via conuerſus ad Chriſtianiſmum. Non audemus hîc primorum Chriſtianorum timorem vel diffidentiam accuſare, quum piorum non ſit ſe temerè in periculum coniicere, ſed ſi inciderit Dei permiſſione, conſtanter omne periculum pro Chriſto ſuſtinere. Sed hæc hactenus.

Et erat cum illis intrans & exiens in Hieruſalem, fiducialiter agens in nomine domini. Loquebatur quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognouiſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tharſum.

Apoſtoli & reliqui fideles audiẽtes ex Barnaba quàm mirabiliter Paulus ad religionẽ noſtrã fuerat conuerſus, non amplius eũ timẽt, ſed multo magis amãt, & magno honore proſequuntur, tanquam eũ per quẽ dominus multa magnifica ſtatuerat in Eccleſia perficere. Sed videamus narrationem huius hiſtoriæ. Erat cum illis Paulus intrans & exiens, hoc eſt, familiariter cum illis erat, réque ipſa confirmabat narrationem Barnabæ. nam fiducia magna prædicabat Iudæis Chriſtum, & hoc in Hieruſalem, vbi prius perſecutus fuerat Chriſtianos. Nec ſolùm diſputabat ſuper fide Chriſtiana cum Iudæis, ſed etiam cum Græcis, viris iuxta mundi opinionem ſapientiſſimis, ſicque diſputabat, vt Iudæi timerent, ne omnes ob Pauli ſermones derelicta Iudaica religione Chriſtianam amplecterentur. Hinc enim eſt, quòd Iudæi quærebant Paulum interficere, ne ſcilicet plures ad defectionem ſollicitaret. Audientes autem hoc reliqui Chriſtiani, timebant

ne idem contingeret Paulo, quod Stephano, & Eccleſia priuaretur tam diligenti ac neceſſario paſtore, noluerunt vt Paulus diutius permaneret Hieroſolymis, ſed deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Thar...m, vt Saulus ſic in Patria ſua, ſcilicet maiori fructu, prædicaret Chriſtum. Diuus Paulus hanc hiſtoriam copioſius in ſequentibus referet, & dicet qua occaſione Hieroſolymam reliquerit, videlicet non ſuapte ſponte, ſed à Domino vt faceret admonitus. Multa hîc obſeruanda forent, ſed nobis ſuffecerit pauca vtcunque annotaſſe. Primò hîc obſeruandum, quanta fiducia verbum Dei annunciandum ſit, tanta videlicet, vt nihil eorum quæ ad ſalutem faciunt negligamus, neque tamen nos temerè in diſcrimen cõiiciamus, & hoc non timore mortis, ſed amore Eccleſiarum, quibus miniſterio noſtro prodeſſe poſſumus. Secundò obſeruandum, quod diſcipuli domini, hoc eſt, Chriſti fideles non temerè admiſerunt Saulum, ſed prius explorantes conditionem Pauli à Barnaba, poſteà admiſerunt. Nam ouium Chriſti eſt, ſolius Chriſti paſtoris ſui vocem audire, alienum autem fugere. Tertiò adumbratur hîc, quemadmodum & in aliis locis, fatum concionatorum, qui ſua fidelitate nihil aliud niſi odium mundi in hoc ſæculo merentur, Quartò pij magiſtratus eſt non perſequi bonos concionatores, ſed fouere, cauere autem ne aliquando Pſeudoprophetæ in plebem domini irruant, ipſámque diſperdant. *Eccleſia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore domini, & conſolatione S. Spiritus replebatur.* Fidelis Deus, teſte Paulo, qui non ſinit nos tentari plus quam ſuſtinere poſſumus. Et ſicut D. Petrus ſcribit, nouit dominus pios de tẽtatione eripere. *2. Pet. 2.*
Ecce enim iãdiu afflicta eſt Eccleſia, iã multas tribulationes ſuſtinuerunt Chriſtiani: tempus itaque eſt, vt tandem refocillẽtur, & in tranquillo ponantur. Eccleſia quidẽ, inquit Lucas, hoc eſt, Chriſtianus populus per totam Iudæam, Galilæã, & Samariam habebat pacẽ. Qualem pacem? non talem vt illis omnia ſucceſſerint ex voto, nemóque illis fuerit moleſtus, ſed pacẽ vocat hoc, quod non tantas ſuſtinuerunt tum perſecutiones, nec ſic publicè affligebantur à magiſtratu Iudæorum, ſicut anteà. Addit Lucas: Et ædificabatur Eccleſia, ambulans in timore Domini.

Hoc eſt, augebatur numerus Chriſtianorum, proficiebãtque iſti in pietate, de virtute in virtutem ambulantes, non ignorantes tranquillitatem hanc ſibi non mundi, ſed Dei beneficio contingere. Rurſum addit Lucas: Et Eccleſia replebatur conſolatione ſancti Spiritus. Sicut anteà abundauerant afflictiones, ita & nunc abundant conſolationes. Affliguntur à malo Spiritu, conſolantur rurſum à bono Spiritu. Non enim repellit dominus plebem ſuam, ait Pſaltes, & hæreditatem ſuam non derelinquet. Et ibidem, Quis conſurget, inquit, mecum aduerſus malignantes? aut quis ſtabit mecum contra operantes iniquitatẽ? Niſi quia dominus adiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea. Et deinde, quod ad hunc locum pertinet, ait, Secundum multitudinem dolorum meorũ in corde meo, cõſolationes tuæ lætificauerunt animam meam &c. Huc etiam referri debet, quod Paulus in Corinthiis dicit: Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Sic enim in omnibus piis vicaria eſt ſucceſſio hyemis & æſtatis, afflictionis & conſolationis, turbationis & tranquillitatis, vt quo grauioribus premantur afflictionibus, eo gratiores & efficaciores conſolationes ſperare debeant. Sed hæc clara ſunt: ad ſequentia igitur tranſeundum. *Factum eſt autẽ vt Petrus, dum tranſiret vniuerſos, deueniret ad Sanctos qui habitabant Lyddæ. Inuenit autem ibi hominem quendam, nomine Aeneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat Paralyticus.*

Pſalm. 93.

.Cor. 1.

Hactenus recenſuit D. Lucas mirabilem, ac Eccleſiæ vtilem D. Pauli conuerſionem: iam verò rurſum incipit nobis recenſere hiſtoriam D. Petri Apoſtolorum principis, qui non immemor verborum domini dicentis, Petre ſi diligis me, paſce oues meas vndequaque circuncurſitabat, prædicabat infidelibus, conſolabatur fideles, ac miraculorũ operatione Chriſtianã religionẽ confirmabat. Quẽadmodum enim dux in exercitu obambulans, inquit, Chryſoſtomus, conſiderat quæ pars ſit coadunata, quæ ornata, ſuo aduẽtu egeat: ſic D. Petrus non perpetuò manet Hieroſolymis, ſed vbique circumcurſitat, curam agens ne fideles relabantur ad Iudaïſmũ, vel Ethniciſmũ. Hoc enim Apoſtolorũ erat non perpetuò in vno manere loco, ſed ire in mũdum vniuerſum & prædicare Euangeliũ omni crea-

turæ. Igitur ad quęcunque locum peruenerant, cúmque ad Chriſtianam religionem conuerterāt, ſtatim ibi eligebant & præficiebant fidelibus eius loci paſtorem vnum atque alterum, prout oppidi magnitudo poſtulabat, & deinde proficiſcebantur ad alias atque alias ciuitates. Hęc autem omnia & ſingula ſuo ordine deſcribere, nō operæprecium viſum eſt Lucæ hiſtoriographo noſtro. Et hoc erat officium Epiſcoporum noſtrorum, vt adiunctis ſibi bonis & doctis viris, ſubinde pertranſirent Dioceſes ſuas, viſitarent Eccleſias, emendanda emendarent, ac quę benè ſe habent confirmarent. Sed quam peſſimè in hac re ceſſent, non opus eſt multis referre, quum vniuerſi fideles ſuper hac re non immeritò conquerantur. Sed ad hiſtoriam. Factum eſt, inquit, vt Diuus Petrus tranſeundo ſic per omnes Eccleſias, deueniret ad fideles qui erant Lyddæ. Ea eſt vrbs in Paleſtina, non procul à Ioppe ciuitate littorali. Vides quomodo Lucas omnia breuiter perſtringat potiùs, quàm deſcribat. Quæ Petrus in hoc tranſitu apud alias ciuitates vel pagos fecerit, docuerit, ſtatuerit, non refert, ſed tātum quæ in Lydda oppido: nec ea omnia, ſed vnicum miraculum tantum, vt nemo non videat multa ab Apoſtolis dicta & facta, quæ in canonicis libris non habentur. In hac ciuitate Lydda, inuenit Diuus Petrus hominem quendam nomine Aeneam ab annis octo iacentem in grabato, qui erat Paralyticus. *Et ait illi Petrus: Aenea, ſanet te Dominus Ieſus Chriſtus, ſurge & ſterne tibi. Et continuò ſurrexit. Et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ & Sarona, qui conuerſi ſunt ad Dominum.*

Emittens Dominus Ieſus diſcipulos ſuos, inter reliqua & hoc eos iubebat. In quamcunque ciuitatem intraueritis & ſuſceperit vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illa ſunt. Petrus itaq; præcepti dominici non immemor, quum veniſſet in domum Aeneæ (apud quem fortè hoſpitari volebat) & inueniſſet eum in grabato iacentem, intelligens quòd iam per octennium Paralyſi laboraſſet, curat eum, ſic tamen vt gloria miraculi non Petro, ſed Chriſto adſcriberetur, cuius virtute Petrus miracula faciebat. Non enim dicit Petrus, Aenea ego te ſano, ſurge & ſterne tibi, ſed Dominus Ieſus te ſanet. In *Io.5.*
Euangelio dum Chriſtus vellet ſanare Paralyticum, dice- *Matth.9.*

bat ei, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Sic Chriſtus non opus habet aliena auctoritate vel virtute, ſed ſua propria virtute reformat, quod propria virtute creauerat: Petrus verò virtute Chriſti operatur miracula, ſicut & alij Chriſti Apoſtoli. Quare verò iubet Petrus Aeneam ſibi ſternere lectum? non alia ratione, quam vt populus intelligat Aeneam verè & ex integro ſanitatem recuperaſſe. Quid verò conſecutum eſt ex hoc miraculo? Omnes qui habitabant Lyddæ & Saronæ videntes hoc miraculum in Aenea perpetratum conuerſi ſunt, non ad Petrum, ſed ad Dominum. Neque enim ideo facit Domin⁹ multis in locis miracula per diuos & electos ſuos vt credamus in diuos, ſed vt credamus in ipſum, ac nos ipſi bona ſpe concredamus: diuos verò ſinguli pro ſua vocatione imitentur, videntes quod Deus electos ſuos inhonoratos eſſe nunquam permiſit. Abuſus miraculorum eſt, ſi horum intuitu à Chriſto deficientes ad diuos conuertamur. Diui miniſtri ſunt, per quos Chriſtus nobis benefacit: non ſunt auctores, ſed exoratores noſtræ ſalutis. Sic igitur veneremur miniſtros, ne peccemus in Dominum. Sed de Diuorum pro nobis interceſſione, quam noſtra inuocatione ab illis ambimus, & de aliis quæ ad hoc negocium pertinent, alibi copioſiùs diſputabimus. *In Ioppe autem fuit quedam diſcipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis & eleemoſynis quas faciebat*. Ioppe, ſicut Vadianus ſcripſit, vicus eſt, & quoddam oppidum vicinum Dioſpoli, & antiquius terrarum inundatione creditum Pomponio Melæ. In hoc igitur oppido fuit quædam diſcipula, hoc eſt, mulier Chriſtiana nomine Hebraico Tabitha, plena, vt inquit Lucas, bonis operibus & eleemoſynis quas faciebat, hoc eſt, in omnibus bonis operibus ſeſe exercebat, præcipuè verò in dandis eleemoſynis: neque enim tantum vnicum genus eſt benefactorum. Sunt enim bona opera quæ ad Deum pertinẽt, vt illũ diligas, reuereare ac colas, in eum credas & ſperes, ac nomen eius in vanum non ſumas, illius honorem in alium non transferas, & id genus reliqua, quæ prima legis tabula vel præcipiuntur vel prohibentur. Sunt deinde quę proximũ concernũt, quẽ vt teipſum diligere teneris, huic

Miracula in Diuorũ Baſilicis ad quid?

Varia bonorum operum genera.

inſeruiendum ac benefaciendum eſt, & cætera quæ tibi ab illo fieri cuperes. Poſtremò ſunt bona opera quæ propriè ad te pertinent, ad hoc autem pertinent, vt & Deo & proximo commodius inſeruire valeas. In hunc locum pono ieiunia, vigilias, caſtitatem, & cætera quibus exercētur & caſtigantur corpora noſtra, vt ad reliqua benefacta ſint habiliora. In his ergo bonis operibꝰ vitã ſuã egit Tabitha illa in Ioppe, ſicq́ue ſatis declarauit ſe eſſe diſcipulam Domini. Vos amici mei eſtis, inquit Chriſtus ad Apoſtolos ſuos, ſi feceritis quæ præcipio vobis. Neque enim ideo remittuntur nobis peccata, vt poſthac licentius peccemus, nec liberamur per Chriſtum à Satanæ iugo, vt poſthac liberè quocunque volumus feramur: ſed quid ait Paulus? Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Et rurſum, Eratis aliquando tenebræ, nũc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate, probantes quod Deo beneplacitum eſt. Hęc igitur Tabitha nos admoneat eos tantum eſſe Chriſti diſcipulos, qui bonis operibus ex animo ſtudent: nam Deus vult habere populum peculiarem, vt Paulus ait, qui ſit ſectator bonorum operum. *Factum eſt autem in diebus illis, vt infirmata moreretur. Quam cum lauiſſent, poſuerunt eam in cænaculo. Cum autẽ propè eſſet Lydda ab Ioppe, diſcipuli audiẽtes quòd Petrus eſſet in ea, miſerunt duos viros ad eum, rogantes, Ne pigriteris venire vſque ad nos. Exurgẽs autem Petrus venit cum illis.* Tota hæc hiſtoria nihil difficultatis habet, nec illa interpretatione opus habet: niſi fortè aliquem moueat, quare ſiuerit Chriſtus tam ſanctam mulierem mori, quam tamen ſtatim reſuſcitari voluit. Sed non opus eſt, vt iudicia Dei curioſius perſcrutemur: ſuffecerit nos ſcire Deum ſemper agere omnia in ædificationem Eccleſiæ ſuæ. Et maius miraculum eſt à morte reuocari hominem, quam ab infirmitate quantumuis graui liberari. Sic in Euangelio Chriſtus Ieſus non tantum ſanauit eos qui iam agebant animam, ſed etiam aliquot mortuos ad vitã reuocauit, vt doceret ſibi nihil eſſe nõ poſſibile. Sed breuibus nos hinc expediemus. Tabitha vtcunq; proba & honeſta ſit fœmina, tamen ab infirmitatibus & à morte nõ eſt libera, quia ſtatutũ eſt hominibus ſemel mori. Quod lauãt corpus mortuę mulieris, ad cõſuetudinẽ illius regionis pertinet, & adhuc apud Iudęos obſeruatur. Quod mortuã ponũt in cæ-

Roman. 6.
Ephe. 5.

naculo, fortè ſit vt eam ſic populo plangendam exhibeant, aut de Petri aduentu certi (quod ſequitur) à mortuis reuocandam eſſe non dubitent. Adde quòd Iudæi non tam inhumani fuerunt erga defunctorum corpora atque inter Christianos quidam reperiuntur. Inuenies enim qui ſimulátque cognouerint patrem vel matrem, vxorem vel maritũ exhalaſſe animam, ſtatim lacera veſte aut immundo aliquo linteolo vtcunque inuoluunt, domóque exportari ac ſtatim ſepeliri præcipiunt, ne ſcilicet redeat: quo facto teſtamur ſatis, & declaramus, quanti faciamus eos quibus cum viximus. Hinc fit quòd audimus aliquos iam in cœmiterio poſitos reuixiſſe. Sed deſino hãc crudelitatem noſtram pluribus inſectari, quamuis non deeſſent argumenta. Quis enim ab inhoneſti, & turpitudinis ſpecie excuſabit repentè illa repentina coniugia, vbi nondum frigefacto demortui coniugis corpuſculo, alter coniugum ſtatim ſe alteri coniunxit? quo ſatis declarant rurſum ſe non magnificè amaſſe defunctum. Sed ſatis fuerit hæc vel paucis attigiſſe. Poſtremò videmus hîc Petri humilitatem & proximis inſeruiendi promptiſſimum animum, qui rogatus in Ioppem venire nihil cunctatus ſtatim venit. Et hoc boni Paſtoris officium eſt, vt vocantibus eum ſe facilem exhibeat. *Et cum adueniſſet, duxerunt illum in cœnaculum: & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Quare non rogant D. Petrum vt Tabitham rurſum à mortuis reuocet? quia putabant nulla opus eſſe precatione apud eum, qui aliâs promptus erat proximis inſeruire, & quem ſciebant multum amare Tabitham. Sic in Euangelio Sorores Lazari mittunt ad dominum tale nuncium: Ecce, inquiunt, quem amas infirmatur. Satis enim putabant nunciaſſe amanti, proinde nihil apprecabantur. Sic boni Chriſtiani non putabant multis precationibus apud Petrum opus eſſe, qui ſuapte ſponte paratus erat omnia facere, quę ad Dei gloriam & proximorum ſalutem pertinent. Ploratus item & lachrymæ illæ viduarum & pupillorum ſatis erant ad commouendum Petrum, vt faceret quæ in rem forent fidelium. Adde quod fideles forſan non audebant D. Petro præſcribere quid facere deberet. Neque enim Apoſtolorum erat omnes ſanare infirmos, vel omnes excitare mor-

Iudæi non proiecerunt contemptim mortuorum corpora.

tuos,ſicut nec Chriſtus vbique fecit miracula,ſed Apoſtoli iuxta quòd admonebantur à Sancto ſpiritu, operabantur miracula. Cæterùm quòd viduæ flendo oſtendunt tunicas & veſtes quas ipſis fecerat Dorcas,huius beneficiorum commemoratio eſt & cauſſa,propter quam illam tam miſere deplorant, à qua ſcilicet tanta beneficia acceperant. Hoc exemplum vtinam diuites huius mundi imitarentur, hoc eſt,vt dum adhuc viuunt,dum adhuc incolumes ſunt, dum adhuc ſuarum diuitiarum Domini ſunt, pauperibus & egenis benefacerent,vt haberent illi qui pro ſe mortuis Deum ac diuos interpellarent, ac pro illorum morte piè contriſtarentur. Sed maior pars diuitum nihil curat egenos dum viuit,ſed moriturus diues, aliquando in ſuo teſtamento ordinat eleemoſynulam quandam poſt mortem ſuam dari, & ſic putat ſe magnum pietatis opus feciſſe, quum iam non ſit Dominus ſuarum rerum: & ſi conualiturum ſe ſciret, nollet pauperibus de ipſius bonis vel teruntium dari. Hæc non dico quaſi porrò inutile ſit, quòd poſt mortem tuam pauperibus dari curas,ſed non eſt par, neque æqualem vim habet, auctore Chryſoſtomo, quòd quis ipſe facit,& quod per alium facit. Et,ſicut D.Luc.dicebat matri ſuæ,hoc ego dico tibi, Non ſatis Deo charus eſt qui illi hoc dat,quo ipſe perfrui non poteſt,ſed ſi vis tibi eſſe gratum Deum, hoc illi da quo tu poteris vti. Nam quod das moriẽs,hoc ideo das, quia tecum ferre non præuales. Viuens ergo, & ſalutem tui corporis & poteſtatem tuarum diuitiarum habens, da pauperibus vt pro te viuo & mortuo ſupplicent. Hoc enim eſt quod Dominus in Euangelio dixit, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Sic fecerat ſibi amicos Tabitha illa de qua loquimur,quæ adhuc viuens pauperibus tunicas & veſtes fecerat. Quid dicet Chriſtus in extremo iudicio? Nudus fui,& veſtiſtis me. Quid porrò ad illos dicet,qui non ſolùm non veſtiunt nudos, ſed quantum in ipſis eſt excoriant pauperes? Dum Tabitha illa moritur,viduæ ac pupilli flent,ſcientes quanta beneficia ab illa acceperint,nec dubitant, ſi ſuperuixiſſet, eam non viliora præſtaturam fuiſſe. Iam ad funus quorundam diuitum rident, ac magna lætitia perfunduntur pauperes, cogitantes quantum mali ab illis ac-

Bona opera ante mortem facienda.

ceperint, & quid ſperandum ab illis, ſi ſuperuixiſſent diutius: viduæ, inquam, & pupilli in commendationem Tabithæ oſtentant veſtes, quas eis illa dederat. Quid oſtendunt iam multi pauperes? Hæc domus, inquiunt, ex ſudore & ſanguine pauperum conſtrúcta eſt. Hæc vinea rapina & fraude mihi ablata eſt, &c. Sed ſuffecerint hæc.

Eiectus autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus dixit: Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos, & viſo Petro reſedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocaſſet ſanctos & viduas, aßignauit eam viuam.

Quod Diuus Petrus non vult in conſpectu multitudinis ſuſcitare Tabitham, exemplum Domini ſui ſequitur, qui cum vellet ſuſcitare filiam Archiſynagogi, eiectis reliquis omnibus tantùm ad ſe aſſumpſit parentes puellæ, Petrum item, Iacobum & Ioannem. Quare verò vterque & Chriſtus & Petrus hoc fecerit, non opus eſt vt multis diſcutiamus: ſuffecerit nobis ſcire, quòd Chriſtus & huius veri Apoſtoli nihil præter certam rationem fecerint. Chriſtus non minus in occulto quàm in propatulo, non minus præſens quàm abſens, & infirmos curare, & mortuos ſuſcitare valet: quur autem hoc vel illo modo agat, ad te nihil pertinet. Sed ad Petrum. Hic cum omnes iuſſiſſet ex cœnaculo ire vbi iacebat corpus Tabithæ emortuum, ipſe flexis genibus orauit. Quid orauit? aut quomodo orauit? Hoc Lucas non ſcribit, ſed veriſimile eſt, quòd Chriſtum rogauerit quatenus in ſuam ipſius gloriam, populíque vtilitatem Tabitham rurſum viuificare velit, nec dubitauit Petrus ſe exoraturum hoc: vnde finita precatione conuertit ſe ad corpus Tabithæ, & ait, Tabitha ſurge. Vide obſecro quam differenter Petrus operetur miracula ſua. In ſuperioribus quum vellet ſanare Æneam Paralyticum, non dicebat illi, Ænea ſurge & ſterne tibi, ſed Ænea, ſanet te dominus Ieſus: hîc verò quum mortuam ſuſcitare vult, inquit, Tabitha ſurge, & ſtatim fit quòd imperat. Tabitha enim aperit oculos, & viſo Petro reſidet, dein erecta à Petro, ſic viua redditur Chriſtianis. Hîc ſi fuiſſent noui Prophetæ forſam incuſaſſent Chriſtianos, quod Petrum rogaſſent vt reſuſcitaret Tabitham. Cur non potius rogarunt Chriſtum? an benignior Petrus Chriſto? an potentior? Cur igitur derelicto fonte Chriſto ver-

Non contẽnit Chriſtũ qui Diuos inuocat.

tunt ſe ad lacunas, hoc eſt, homines? Sed nouerant boni Chriſtiani, Chriſtum etiam per ſuos Apoſtolos operari ſalutem noſtram. Atqui, aiunt illi aduerſarij noſtri, non loquimur cõtra hoc quod viui viuos inuocant, ſed quòd viui ad mortuos confugiunt. Reſpondeo, non ſunt mortui Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & virgines, quorum pro nobis interceſſionem ambimus: viuunt enim, non ſunt mortui. Deus enim non mortuorum, ſed viuorum dominus eſt. Viuunt, inquam, Diui, & meliori longiorique modo viuunt quam nos. Et quæ viuentibus in præſenti vita pollicitus eſt dominus, in futura vita viuentibus non diminuit, ac benigniſſimis illis pollicitationibus ſuis nihil detraxit. Amen amen, inquiebat dominus ad diſcipulos ſuos, dico vobis, quæcunque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Non inquit, Quæcunq; petieritis vobis in hac vita, &c. Igitur Chriſtus qui ad interceſſionem Petri Tabitham à mortuis reuocauit, haud dubiè adhuc ad interceſſionem Petri, & aliorum ſuorum amicorum, Eccleſiæ ſuæ nobiſque ſuis commembris multa bona præſtat. Sed hac de re, vbi commodum fuerit viſum, iuſtam inſtituemus diſputationem: iam ad reſiduum huius hiſtoriæ nos vertemus. *Notum autem factum eſt per vniuerſam Ioppen, & crediderunt multi in Dominum.* Hic vnicus eſt finis miraculorum, vt credamus & maiori fiducia ſperemus in Dominum, videntes quam potenter & libenter nobis benefaciat. Sic & Diuorum miracula, & interceſſiones nobis annunciantur, non vt negligentiores nos faciant, ſed multo magis diligentiores in pietatis ſtudio, conſiderantes benignitatem Domini, qui nobis & per ſemetipſum & per alios tot ac tanta præſtat beneficia. Cæterum intelligimus ex Cataſtropha huius hiſtoriæ, Ioppe ciuitatis incolas non omnes fuiſſe conuerſos ad Chriſtianiſmum, cum hic dicatur multos ob reſuſcitatam Tabitham in Chriſtum crediſſe. Hinc neceſſe fuerat vt ſubinde Petrus eò deueniret, prædicaret, atque miracula patraret. Vltimò vides bona opera noſtra non manere occulta, etiamſi nos non oſtentemus illa. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, inquit Chriſtus. Et iuxta Ethnici illius ſententiam, Gloria fugientem ſequitur. *Factum eſt autem vt dies multos moraretur (Petrus) in Ioppe, apud Simonem quendã Coriarium.*

Quare multos dies permanſerit Diuus Petrus in Ioppe, iam diximus: quia ſcilicet nondum tota ciuitas ad Chriſtum conuerſa fuerat, ſperabátque Petrus ſe in hac ciuitate magnam meſſem facere poſſe, quod haud dubiè etiam fecit. Iam quod in domo Coriarij manet, non temerè prętereundum eſt. Dixerat Chriſtus diſcipulis ſuis, dum eos ad prædicandum emitteret, In quamcunque domum intraueritis, & receperint vos, in eadem manete, & nolite circumcurſare de domo in domum. Hoc eſt, ne ex aliis ædibus in alias demigretis, quaſi faſtidito priori hoſpitio, lautiùs & inſtructiùs quæratis, ſit vobis ſatis, quodcunque primum obtigerit: hoc ergo obſeruat Diuus Petrus. Etſi enim ad hominem infimæ ſortis, & ſedentariæ artis opificem diuerterit, tamen non contemnit hoſpitem, non quęrit magnificè inſtructas, & luxurioſè ornatas aulas, ſed paruo contentus manet apud eum, ad quem primum diuerterat. Quam humilitatem vtinam omnes imitarentur, qui ſe Chriſti & Apoſtolorum ſucceſſores iactitant. Quidam excuſant ſuum faſtum vulgi & huius mundi conſuetudine: Inſeruiendum eſt, inquiunt, tempori, dandum eſt aliquid conſuetudini. Audimus quidem hæc, ſed ſcimus Chriſtum non iuxta mundi conſuetudinem, ſed iuxta veritatem iudicaturum dicta & facta noſtra. Sed finiamus hanc inſuauem cantilenam, & ad futurum caput accedamus.

CAPVT X.

VIr autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica, religioſus & timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper. Aſcenſurus Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad patrem ſuum cæleſtem, inter reliqua ad diſcipulos & Apoſtolos ſuos dicebat, Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes, incipiendo ab Hieroſolyma. Et ſicut idem Lucas in ſuperioribus retulit, Chriſtus etiam hæc verba ad

Apoſtolos

Apoſtolos dixit, Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos,& eritis mihi teſtes in Hieruſalem,& in omni Iudæa & Samaria,& vſq; ad vltimum terræ. Iam itaque prædicatum eſt Hieroſolymis, & neceſſum eſt Euangelij doctrinam etiam proferri ad Gentes, maximè quum illam ſic reſpuant,& perſequantur Iudæi. Nam Iudæorum populus,ſicut hactenùs auditum eſt,Euāgelium neglexit, proſcripſit, & edictis propoſitis opprimere voluit, miniſtros Dei ſanctos & fideles indigniſſimè tractauit, conuiciis proſcidit,flagellauit,& occidit,multos quoq; viros bonos exturbauit in exilium. Digniſſimè ergo,& meritò reiecta eſt Synagoga, ne haberet in regno Dei conſortium: qua de re in ſequentibus rurſum nobis dicendum. Deſcripturus itaq; Lucas qua occaſione Euangelij prędicatio ad Gentes peruenerit, auſpicatur à nobili exemplo nobiliſſimi viri Cornelij, Ethnici ſcilicet hominis, & à republica Iſraëlis alieni. Deſcribit autem Cornelium à maioribus, officio,& pietate,vt diligenter ſignificet quiſnam & qualis fuerit ille, quem quaſi omnibus Gentibus videtur prætuliſſe dominus. Audiamus itaq; contextum hiſtoriæ. Vir quidam erat in Cæſarea(hæc erat florentiſſima Paleſtinæ ciuitas,quæ prius dicta eſt turris Stratonis) Cornelius nomine,centurio cohortis, quæ dicitur Italica. Nam cū tota Syria,in qua paſſim habitabant Iudæi,in poteſtatem Romani Imperatoris bello redacta eſſet, diſponebantur præſidia militum in variis locis Iudææ,vt huiuſmodi obſeruatione Iudæi in officio & obedientia continerentur, & ſi quid ſeditionis oriretur, armis illorum opprimerentur. Varias autem appellationes habebant cohortes, alia vocabatur Auguſta, alia Italica, alia alio nomine. Italicæ verò cohortis centurio fuit Cornelius, homo religioſus, & timens Deum cum omni domo ſua faciens eleemoſynas multas plebi,& deprecans Deum ſemper. Tu iam conſidera & expende ſingula. Cornelius ex genere Ethnicus eſt, ex officio miles eſt,quæ vtraq; malè audiunt, præcipuè apud Iudęos,tamen illa nihil remorabantur illum à pietate. Sed dicemus paulò prolixiùs de ſingulis, quoniam hic locus multarum rerum nos admonet. Cornelius erat homo Ethnicus iuxta carnem, tamen quoniam conuerſabatur circa Iudæos veros veri Dei cultores, ex horum familiari-

tate in aliquantam cognitionem Dei venit:tantum refert quibuſcum viuas. Corrumpunt bonos mores colloquia praua,inquit Paulus.Et ſapiens huic concinit dicens,Qui tangit picem,inquinabitur ab ea. Si Cornelius abſtinuiſſet à conſortio Iudæorum, permanſiſſet forſan in ſua idololatria:quoniam verò familiaritate eorum vſus eſt, tantum didicit ab eis, vt relictis idolis reuereretur & inuocaret cum Iudæis Deum patrē cæleſtem. Et veriſimile eſt quòd ab eiſdem Iudęis perſuaſus,etiā ſperârit in Meſſiam,quem nondum nouerat aduenisse. Fugiamus itaque & nos prauorum hominum conſortia,& vtamur eorum familiaritate, quibus pietas & innocentiæ ſtudium cordi eſt. Secundò,Cornelius erat centurio militum: verùm hoc officium nihil impediebat pietatem ipſius,quum officio ſuo fungebatur ad defenſionem bonorum, & oppreſſionem malorum,atque adeò ad cauendas ſeditiones. Colligimus itaq; aliquod eſſe genus militiæ,quod non ſit omninò impium, vtpote in quo militarint ſumma fide viri religioſi ac timentes Deum,quales forſan Dauid,& alij pij reges habuerunt plurimos milites. Nam ſi magiſtratus officium eſt vt defendat bonos à malorum inſolentia, neceſſe eſt vt habeant ſuos milites, quorum miniſterio malos coërcere poſſint. Et Baptiſta rogatus à militibus quid ſe facere oporteret,nimirum vt ſaluari poſſent, non iubet eos arma deponere, ſed ait: Ne cui vim inferatis, neque quaſlibet ob leues cauſſas quem quam opprimatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Valeant igitur, aut potiùs reſipiſcant Anabaptiſtæ,qui putant militare,vel arma ferre per ſe & ſimpliciter eſſe impium,& Chriſtiano homine indignum. Neque enim legimus centurionem hunc increpatum propter ſuum officium, ſicut nec illum centurionem in Euangelio,cuius fidem à Chriſto magnificè prædicatam legimus. Hæc igitur diximus ad confutandum Anabaptiſtarū hypocriſim, nō ad confirmandum vel excuſandum militum noſtrorum malitiam, qui quouis Care viliores principum ſectantur ſtipendia, nullo belli neque iure, neque iniuria commoti,ſed tantùm turpi cupiditate illecti. Ad hos enim pertinet maledictio illa domini Deuterono. cap. 27. Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam ſanguinis innocentis, & dicet omnis populus, Amen. Egtegij ſcili-

ect milites ſunt, qui per æſtatem bella ſequuntur, vt per totam hyemem mendicare cogantur. Pudet enim eos poſt ſemel acceptam in manus haſtam, rurſum vel fodere vel ſuere. Sed ſinamus beſtias illas ſuis Imperatoribus & Ducibus, & loquamur de optimo milite noſtro Cornelio. Hic dum militandum eſt militat, nec reliqua pietatis officia detrectat. Talem da mihi militem, & nullo pacto accuſauerim militiam. Cornelius miles eſt, ſed etiam religioſus, & ſic religioſus, vt etiam habuerit familiam totam piam ac religioſam. Hoc enim eſt officium non patris familiâs ſolum, vt curet quo habeat familiam piam, ſed etiam Magiſtratus, vt diligenter enitatur habere ſubditos honeſtos. Nec ſufficit vt pater familiâs & Magiſtratus priuatam tantum pietatem præſtent, niſi & publicam ſectentur, & ea quæ ſunt officij ſui diligenter & fideliter exequantur. Nam alia præcipiuntur ſimpliciter homini Chriſtiano, & alia Chriſtiano Regi ac Principi. Sed non eſt locus hîc ea prolixiùs tractare. Addit Diuus Lucas alia pietatis exempla, quibus claruit Cornelius. Faciebat multas eleemoſynas plebi, inquit, & ſemper deprecabatur Deum, nimirum pro augmento fidei & charitatis. Quàm porrò diſſimilis fuit hic centurio, non dicam noſtratibus militibus, ſed etiam ciuibus. Ille enim de ſuis bonis multas eleemoſynas largitus eſt: hi & alienas opes violentia rapiunt, & impoſturis opes ſuas augent. Ille ſemper publicas orationes frequentabat: hi in anno vix ſemel ingrediuntur Eccleſiam. Sed reuertamur tandem ad hiſtoriam.

Is vidit in viſu manifeſtè, quaſi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli. At ille intuens eum, timore correptus dixit, Quis es Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Solet ſe Dominus multis variiſque mediis manifeſtare electis ſuis, quos ab æterno prædeſtinauit. Magos indicio nouæ & inſolitæ ſtellæ ad præſepium Ieſu Chriſti vocauit. Paulo ipſe Dominus Ieſus apparuit, ſicut paulò ſuprà auditum eſt. Ananias per viſum admonetur baptizare Saulum, & hic etiam per viſum admonetur obtemperare Ananiæ. Sic hoc loci dum ad pleniorem agnitionem Dei perducendus eſt Cornelius, Angelus ad eum mittitur, & hoc non noctu, nec in ſomnis,

ſed interdiu Cornelio vigilante, & quod credibile eſt, orante hora diei nona (hæc in hoc Septembri cadit in horam tertiam, hoc eſt, in horam veſpertinis precibus dedicatam) Et videtur hora hæc nona etiam Iudæorum precationibus conſecrata fuiſſe, quum in ſuperioribus audiuimus, Petrum & Ioannem Apoſtolos in templum conſcendiſſe ad horam orationis nonam: vbi etiam admonuimus, Iudæos habuiſſe ſtatutas & certas orandi horas. Quum igitur ſic oraret Cornelius, vidit manifeſtè angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli. At ille intuens eum, timore correptus dixit, Quis es Domine? Dominum vocat, videns hoſpitem hunc maius quid vulgari homine eſſe: verùm angelus non dicit quis ſit, ſed potiùs quare venerit. Orationes, inquit, tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei, ac ſi diceret: Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ in cauſſa ſunt cur ad te venerim. nam Deus illarum non eſt oblitus, hoc eſt, non vult illas ſinere irremuneratas. Quid hoc eſt, inquit quiſpiam? an gentium opera etiam exaudiuntur, & ſunt grata ante Deum? Vbi ergo illud Pauli, Quidquid non eſt ex fide, peccatum. Et illud, Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Et iterum, Nemo dicit Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Hæc videntur certò innuere, Gentilium bona opera in conſpectu Dei nequaquam bona eſſe, multo minus meritoria. Et Diuus Auguſtinus lib. 12. de Trinitate, cap. 7. dicit: Opera miſericordiæ nihil proſunt, ſiue Paganis, ſiue Iudæis qui Chriſto non credunt, ſiue quibuſcunque Hæreticis vel Schiſmaticis, vbi fides & dilectio, & ſobria ſanctificatio non inuenitur. Et in Præfatione in Pſalm. 31. ſcribit inter alia: Multi gloriantur de operibus, & inuenis multos paganos propterea nolle fieri Chriſtianos, quia quaſi ſufficiunt ſibi bona de vita ſua. Benè viuere opus eſt, ait, quid mihi præcepturus eſt Chriſtus, vt benè viuam? Iam benè viuo, quid mihi neceſſarius eſt Chriſtus? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupiſco, nullo adulterio contaminor. Nam inueniatur in vita mea aliquid quod reprehendatur, & qui reprehenderit faciat Chriſtianum. Et dein addit Auguſtinus: Ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus lau-

An Gentiũ ſiue infidelũ opera exaudiantur.

dabilia, inania ſunt, & ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus facit intentio, intentionem fides dirigit, &c. Quid igitur, ô mihi chariſſimi, dicemus de operibus Cornelij noſtri? quæ ſic placuerunt domino, vt propter illa ad ipſum miſerit angelum, qui referret opera illa placere Deo. Reſpondemus opera Cornelij ideo placuiſſe Deo, quia credidit in Deum, etſi non certò nouerat Chriſtum eſſe Ieſum Nazarenum: vnde, ſicut Diuus Auguſtinus dicit, ſine aliqua fide neque orabat, neque eleemoſynas donabat. Nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Petrus. Ergo opera Cornelij propter fidem ipſius (de qua ſuprà diximus) Deo erant grata, vt iam non fuerint opera increduli pagani, ſed fidelis filij Abrahæ, & veri iuxta Spiritum, Iſraëlitæ. Neque enim Deum inuocaſſet, niſi illum largitorem veniæ miſericorditer remittentem peccata, ex fide quadam imperfecta, quam Deus in illo plantauerat, crediſſet; quamuis adhuc quidem ignorans Chriſtum Mariæ filium tunc mortuum, eſſe filium Dei vnigenitum remittentem peccata. Iam Deus, qui ſemen hoc fidei exiguum plantauerat in corde Cornelij quod tantos fructus protulit, noluit extingui, ſed potiùs incrementum ſumere, & voluit Cornelium per cognitionem patris cæleſtis etiam ad cognitionem filij perducere; vnde ſequitur in contextu, *Et nunc mitte in Ioppen viros, & accerſe Simonem quendam, qui cognominatur Petrus: hic hoſpitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius domus eſt iuxta mare, hic dicet tibi quid te oporteat facere.*

De prædi Sancto. li 1. cap. 7.

Grego. Hom. 19 Ezechie

Vide quanta diligentia inſtruat Angelus Cornelium, quomodo omnia ordine & ſignificanter exponat. Primò indicat ciuitatem, deinde nomen & cognomen eius quem vocare debet. Tertiò dicit apud quem & in quo loco ciuitatis hoſpitetur Petrus: Hic, inquit, dicet tibi quid te oporteat facere. Quare non docet Angelus Cornelium ea, quæ ipſi adhuc deerant, vt non ſit neceſſe Petrum ad Cornelium vocari? Poterat quidem Angelus perfectè inſtruere Cornelium, ſed aliter viſum eſt Deo, nec ſine certo conſi-

lio. Multum enim hæc faciunt ad confirmandum miniſterium verbi. Poterat enim quis dicere, Non opus eſt vt multa ab hominibus ſciſciter de eis rebus, quæ ad religionem pertinent. Si Deus me amat, habet angelos quos facilè ad me mittet, vt me commodè inſtruant. Atqui hoc exemplo docet Chriſtus, angelorum miniſterium, vel aliquã aliam ſupernaturalem reuelationem non exſpectandam, vbi miniſterium verbi veritatis ab hominibus tibi contingere poterit. Poterat quidem Chriſtus per ſemetipſum etiã plenius inſtruere & baptizare Paulum, ſed maluit eum mittere ad Ananiam. Sed hac de re in ſuperioribus etiã diximus.
Et cum diſceßiſſet Angelus qui loquebatur illi, vocauit duos domeſticos ſuos, & militem metuentem dominum, ex his qui illi parebant. Quibus cùm narraſſet omnia, miſit illos in Ioppen.
Magnam hîc videmus fidem in Cornelio homine non Iudæo, ſed Gentili. Non enim dubitat de nuncio, nec reſponſat angelo, nec contemnit Petrum in domo coriarij habitantem. Alius quiſpiã forſan dixiſſet, Si dominus te miſit ad me vt mihi talia ſignifices, quare non me de omnibus rebus ex integro inſtruis? quid neceſſe eſt vocare hominẽ, vbi præſtò eſt angelus? Et quis poteſt ille homo eſſe, qui non in aulis principum, ſed in domo ſimplicis ac plebei coriatij hoſpitatur? Et ſi omnino neceſſe eſt vt ab illo inſtruar, cur non eum tu ad me deſtinas? forſan etiam à me vocatus non veniet. Sed quid opus eſt vt alia ab illo audiã, quum tu iam dicas opera mea, orationes & eleemoſynas meas placere Deo? Nihil tale vel cogitat vel loquitur Cornelius, ſed ſimpliciter obſequitur mãdato diuino, & vocat duos ex famulitio ſuo, militem itẽ metuentẽ dominum, ex his qui illi parebãt, & aſſiſtebant, cúmq; eis narraſſet omnia, miſit eos in Ioppen. Ex his & humilitatẽ & prudentiã Cornelij diſcimus. Magnę ſiquidẽ humilitatis argumentũ eſt, quòd omnia, quæ ab Angelo audiuerat, famulis aperit, antequam eos ad Petrũ mittit. Hoc enim rarò faciunt domini, qui malunt conſilia ſua eſſe ſecreta, quàm aperta: Cornelius verò, vt famulos ſuos in pietatẽ confirmaret, omnia eis aperuit, quæ ab angelo audiuerat. Iam prudentiæ eſt quòd Cornelius non obuium quémque ad Petrum mittit, ſed optimum ex eis quos habebat. Nam non parùm retulerit quid cui delegemus officij; aut

quos mittamus in re quauis nuncios. Vtinam famulos & ſeruos noſtros ad talia negotia libenter deſtinaremus. *Poſtera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret, circa horam ſextam. Et cum eſuriret, voluit guſtare.* Quoniam hæc aperta ſunt, non explicatione, ſed imitatione opus habent. Primò igitur hîc diſcimus, qualis debeat eſſe obedientia famulorum erga dominos & patres familiâs ſuos, nimirum vt non curioſè inquirant in iuſſa dominorum ſuorum, ſed potiùs iuſſis illorum diligenter & ſedulo obediant. Quid aiebat centurio ille Euangelicus ad dominum Ieſum? Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alio veni, & venit, & ſeruo meo, fac hoc, & facit. *Matth.8.*
Sic & tales ſeruos haud dubiè etiam habuit Cornelius, quales vtinam & noſtri eſſent: ſed heu dolor, eò iam creuit hominum malitia, vt meritò ſe felicem putare debeat, cui fidelis contigit familia. Cauſſæ eius mali forſan multæ ſunt, ſed ego exiſtimo præcipuam eſſe, quòd patres familiâs non curant, qualiter à familia ſua ſeruiatur Deo noſtro: ideo & hîc non curat quomodo ſeruiatur illis, ſicque fit vt peccatum ipſum etiam pœna peccati fiat. Serui, inquit Paulus, obedite dominis carnalibus *Ephe.6.* cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona voluntate ſeruientes ſicut domino & non hominibus, ſcientes quoniam vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à domino, ſiue ſeruus, ſiue liber. Sed hæc hactenùs propter miniſtros Cornelij dicta ſunt: iam quid de ſancto Petro dicemus? Hic, Luca referente, circa horam diei ſextam aſcendit in ſuperiora domus vt oraret. Iam ſemel atque iterum diximus, Iudæos habuiſſe certas & ſtatas orandi horas, quas ſiue publicè, ſiue priuatim obſeruabant: quòd ſi non vacabat eis templum ingredi, vel domi orabant. Sic in præcedentibus audiuimus Petrum & Ioannem ad horam orationis nonam in templum conſcendere, Domus mea domus orationis vocabitur, inquit dominus per Prophetam: iam verò aſcendit Petrus in cœnaculum orandi gratia, quo-

niam Chriſtus dixerat, Tu cum oraueris, intra in cubiculum tuum,&c. Sic Chriſtus aliquando in templo, aliquando in montibus & deſertis locis orat. Nihil enim retulerit vbicunque oraueris, modo patrem in ſpiritu & veritate inuocare non ceſſes. In templo orandum eſt, orandum eſt & priuatim, hoc propter te, illud propter te & proximum tuum. Oratio quietem & ſilentium amat, turbam & tumultum fugit. Iam ad Petrum reuertamur, de quo rurſum Lucas dicit. Et cum eſuriret, voluit guſtare. Obſeruandum hîc quòd Petrus ante orationem nihil guſtauit, ſed ieiunus orauit. Vulgo dicitur, Plenus venter, non orat libenter. Et ſcripturæ non rarò coniungunt orationi ieiunium: vnde non poſſunt excuſari, qui diem non orando, ſed helluando incipiunt. Obſeruandum & hîc, quam temperanter vixerit diuus Petrus, qui non ſolitus fuit aliquid comedere, niſi prius eſuriret: ſicque comedit ac tam parcè, vt Lucas eum non comediſſe, ſed tantùm guſtaſſe ſcripſerit. De huius verò ſęculi hominibus poteſt dici, quod de talibus alibi diuus Hieronymus, Edunt vt vomant, vomunt vt edant. Sed finiamus hæc ventris animalia, & Epicuri de grege porcos, & ad hiſtoriam Petri accedamus. *Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cęlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum, Surge Petre, occide & manduca.* Varia ac multiplicia viſionum genera in ſcripturis inueniri, adnotauit diuus Auguſtinus in multis libris, præcipuè verò de Geneſi ad literam lib.12.cap. 11. Et contra Adimantum cap.28.& in dialogo ad Oroſium, Quæſtione ſexageſimatertia, vbi ſi quis copioſiora quærit, inueniet: nos enim maluimus hîc vtilia, quam curioſa dicere. Nouimus Deum non vno tantùm modo cum ſuis agere. Paulo apparet Chriſtus: Ananiæ alia viſio. Cornelium alloquitur angelus: Petro iam aliud offertur. Hîc enim extra ſe raptus, & imaginaria viſione vidit cælum apertum, & abominandas ac immundas quaſdam beſtias ad ſe dimitti, & præcipuè illas beſtias, quas lex Moſis comedere prohibuerat. Adiicit autem qui offerebat, ſurge Petre, occide & manduca. Non erant verè

tam immunda animalia, immò nihil corporale erat, ſed videbatur Petro tale quid eſſe. Sic multa nobis videntur hoc vel illud eſſe, cum nihil ſit: nos vero ſic eſſe, nobis imaginamur. Sic alibi in viſione ad Ezechielem dicitur. *Ezechiel. 4.* Sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem & milium, & viciam, & mittes ea in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum, quibus dormies ſuper latus tuum: trecentis & nonaginta diebus comedes illud. Et quaſi ſubcinericium hordeaceum comedes illud, & ſtercore, quòd egreditur de homine, operies illud, &c. His voluit dominus Prophetæ depingere futuram populi Iudæorum famem. Quid porrò ad hæc Propheta? Ah, ah, domine, inquit: Ecce anima mea non eſt polluta, & morticinum & laceratum à beſtiis non comedi ab infantia mea vſque nunc, & non eſt ingreſſa in os meum omnis caro immunda. Quid porrò Petrus ad ſibi oblatas epulas? *Ait autem Petrus, Abſit domine: quia nunquam manducaui omne commune, & immundum. Et vox iterum ſecundo ad eum, Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris: hoc autem factum eſt per ter. Et ſtatim receptum eſt vas in celum.* Cibi communes & immundi dicebantur omnes illi cibi, quibus reliqui populi veſcebantur: Iudæis verò veſci religio erat. Qui verò vel quales cibi Iudæis erant prohibiti, ex Leui. 11. & Deu. 14. poteris diſcere. Lex enim præcipit Iudæis, ne immundis cibis veſcantur: & hanc legem affirmat Petrus ſe nunquam violaſſe. Quod autem de ratione immundorum ciborum ſentiebat, hoc etiam ſentiebat de recipiendis Gentibus in communionem Euágelij. Quemadmodum enim æſtimabat non eſſe fas Iudæo, veſci cibis in lege prohibitis: ita putabat Gentes non eſſe in conſortium Euangelij admittendas, niſi prius abnegata gentilitate circumciderentur, & Moſen profiterentur. Opinabantur enim etiam ipſi Apoſtoli, ſolos Iudæos aut circumciſos eſſe populum domini. Adhuc memori mente retinebant illud Chriſti, non eſſe æquum vt panis filiorum proiiciatur canibus. Et illud, Non veni niſi ad oues *Matth. 15.* quæ perierunt domus Iſrael. Et illud, quod propius ad rem facit, In viam gentium ne abieritis, & ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Quod verò Chriſtus dixerat, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euange- *Matth. 10.* *Marc. 16.*

lium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit (de circumciſione nihil hîc dicitur) ſaluus erit: hæc, inquam, non ſuccurrebant Apoſtolis, quoniam non libenter audiebant, videbatúrque eis res indigniſſima, hominem Iudæum & circumciſum nihil priuilegij habere præ homine incircunciſo, Gentili, & Idololatra. Sic enim ſubinde ſolemus ſcripturarum ſententias ſecundum prauos noſtros affectus torquere. Sed ad rem propius. Quum videret itaque diuus Petrus tot immundas & in lege prohibitas beſtias, & audiret eas eſſe in cibum mactandas, neque intelligeret quid hoc ſpectrum portenderet, ſed potius putabat ſe recte & videre & audire: inquit, Abſit domine, nequaquam occidam tales beſtias, videlicet in lege prohibitas, Quare? quia nunquam manducaui omne commune aut immundum, hoc eſt, hactenus nunquam comedi ex hoc animalium genere, quæ nobis Moſes prohibuit ad eſum occidenda & mactanda. Notanda eſt hæc Petri excuſatio. Certè qui ſcripturas veteris teſtamenti aliquando vel audierunt vel legerunt, facilè intelligunt, quàm diligenter veteres Iudæi legem de diſcrimine ſiue delectu ciborum obſeruauerint. Quidam enim maluerunt vitam ſuam in mortem tradere, quàm paxillùm porcinæ carnis guſtare. Nota eſt hiſtoria de matre & ſeptem filiis Machabæis. Et Eleazarus primas ſcribarum coactus carnes comedere porcinas, & rogatus recuſans, exemplum præbuit iunioribus obſeruantiæ legis. Non enim ætate noſtra dignum eſt, inquit, fingere vt multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, atque per hoc maculam & execrationem meæ ſenectuti conquiram. Nam etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam. Audis quàm tenaces fuerint Iudæi legis illius de diſcrimine ciborum obſeruando: nec legimus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum aliquid contra eiuſmodi legem dixiſſe, vt quæ per ſe nihil mali habebat, & ad ſobrietatem & temperantiam victus non parum faciebat. Quod enim Chriſtus apud Matthæum dicit, omne quod in os intrat non

Obſerua. *Obſerua.* *2. Macha. 6.* *Matth. 15.*

coinquinare hominem, contra ciborum delectum minimè dictum eſt: nam de hoc nulla habebatur quæſtio. Neque enim in Euangelio legimus contra Apoſtolos accuſationem ſuper delectu ciborum à Phariſæis intentatam, ſed quòd Apoſtoli ſubinde illotis manibus manducaſſent. Et quomodò non obſeruarunt Apoſtoli delectum ciborum, quum princeps Apoſtolorum Petrus hîc dicat, Nunquam manducaui omne commune aut immundum? Neque dicere poteris Petrũ non audiſſe verba Chriſti, quum ipſe horum cauſſa fuerit. Sed hac de re in cap. 15. ſi dominus dederit, iuſtam inſtituemus diſputationem. Porrò cum Petrus renueret mactare & comedere cibos in lege vetitos, fertur ad eum vox ſecũdo in hæc verba: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Si hæc domini verba interpretari voluerimus iuxta quod intellexerat Petrus, talis erit ſenſus: Quæ dominus licita ponit, hæc homini non licebit illicita ponere. Dominus ſiquidem Deus ſupra legem eſt, habet de illa diſpenſare, in ſua poteſtate eſt leges & figere & refigere. Proinde quidquid certo domini iuſſu fecerimus non iniuſtè fecerimus. In lege dicitur, Non fornicaberis; at rurſum Oſeæ Prophetæ dicitur: Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra domino. Et plerique putant ſecundum domini iuſſum Prophetam accepiſſe ſcortum, ſed alij melius forſan ſentiunt, qui non rem geſtam eſſe dicunt, ſed tantùm imaginariam, quemadmodum multa alia ſunt eiuſmodi in Prophetis, quæ quidem prima ſpecie imaginem rei geſtæ habent, ſeuera autem nihil niſi viſiones ſunt alia atque alia ſignificantes. Sicuti etiam Eſa. 20. de Propheta ipſo dicitur, quòd per triennium nudus & diſcalciatus inceſſerit. Deinde in Ezechiele multas huiuſmodi Prophetias habemus, quemadmodum illa eſt, quod nouendecim dies dormierit in vno latere. Verum hoc non re ipſa, ſed ſic videbatur Prophetæ in viſione, quaſi hoc ſic eueniret. Quamuis ſi Oſee verè duxiſſet ſcortum iuxta domini verbum, non propterea peccaſſet, quia non feciſſet malo affectu, nec vt contra legem ageret, ſed quia obediuiſſet Deo præcipienti. Ita nec Iſrael de furto in Ægypto accuſatur, neque Abraham de homicidio, quia omnes hi non contra legem, ſed iuxta legem

Oſea 1.

Auguſtinus contra Fauſtũ lib. 22. cap. 80.

faciunt. Nihil enim niſi quòd Dominus iubet inſtituunt, non propriis cupiditatibus ſiue prauis affectibus indulgẽtes, ſed Dei voluntati & iuſſui obtemperantes. Rectè ergo & pulchrè dicit alibi D. Auguſtin. diuinis imperiis cedendum obtemperando eſſe, non reſiſtendum diſputando. Sic etiam loquimur de Diuo Petro, qui non debebat abominari animalia illa licet in lege vetita, poſtquam Dominus mandat illa in cibum ſumere. Poſſumus tamẽ hoc Petri exemplo commodè vti, & illum vtcunque excuſare. Certò nouerat Petrus Dei eſſe præcepta, quæ per Moſen Iudæis fuerant præſcripta, ideóque non facilè adduci potuit vt contra illa quid tentaret. De viſione autem illa dicimus, quòd Petrus non immerito dubitauit de illa voce, quæ videbatur aliquid contra legem Dei præcipere. Et ſolet ſubinde Satanas ſe in miniſtrum legis & angelum lucis transfigurare. Diligenter igitur diſpiciendum eſt, ne hoſtis Dei ſub imagine boni angeli, nobis aliquid præſcribat contra voluntatem Dei. Hæc mihi dicta ſunt contra Enthuſiaſtas illos, qui nuſquam nõ ſuas reuelationes, ſpiritus ſuos & apocalypſes, immò ſomnia ſua iactare ſolẽt. Certè Petrus nõ facilè acquieuit viſioni, retardatus videlicet præcepto legis de delectu ciborum obſeruando, ſed etiam ter admonitus, non intellexit quídnam hoc mandatum ſibi vellet (nam nõ intelligebat, per hæc alia quædam ſignificari): quoniam verò non fruſtrà talis viſio D. Petro oſtẽſa fuerat, neceſſariò eius interpretationem intelligere debuit. Non autem verbo hoc intellexit, ſed ipſo facto, ſicut ſtatim audiemus. Nam ſequitur. *Et dum intra ſe hæſitaret Petrus, quidnam eſſet viſio quam vidiſſet, ecce viri qui miſſi erant à Cornelio inquirentes domum Simonis, adſtiterunt ad ianuam. Et cum vocaſſent interrogabant, ſi Simon qui cognominabatur Petrus, illic haberet hoſpitium.* Diximus in præmiſſis, D. Petrum non ſtatim ab initio intellexiſſe viſionẽ illam non eſſe rem corporalẽ, ſéque verè has beſtias non debere mactare & comedere, ſed putaſſe rem verè ſe ſic habere quomodo videbatur: verùm, quum vas illud rurſum in cœlum eſſet aſſumptum, & ipſe rurſum ad ſe rediſſet, intellexit viſionem eſſe, quales olim multas habuerũt Prophetæ. Iam non ſtatim intelliguntur viſiones ab iis, qui eas vident: vnde & Petrus hæſitat, rémque ipſam mente voluit atque re-

Contra Fauſtum lib. 22. cap. 61.

Nota.

uoluit,ignorans & tamen ſcire cupiens,quídnam ſibi vellet hæc viſio, cuius rei ipſum admoneret, boníne aliquid, an mali portenderet Deus itaque nolens bonum Apoſtolum diutius perturbari animo, ſtatim ad eum mittit, per quos intelligat viſionis interpretationem. Ecce enim famuli Centurionis adſunt,pulſant fores,ſciſcitantur de Petro,quem audierant apud Simonem coriarium hoſpitari. Hæc nihil difficultatis habent,oſtendunt tamen quam feliciter omnia cedant eis,qui omnia facta ſua iuxta Domini mandatũ inſtituere ſolent. Non omnia vno eodémque tempore reuelat Deus ſuis amicis, nec delectatur operari miracula,vbi ſuppetunt humana auxilia. Petro ſatis tempeſtiuè aperitur viſionis argumentum,non quidẽ per angelum,ſed per homines Ethnicos, non quidem verbo, ſed ipſo facto. Quiſquis igitur ex animo cupit voluntatẽ Dei non tãtum ſcire,ſed & opere perficere,ille ſtatim inueniet doctorem. Manus Domini non eſt abbreuiata. Iam famuli illi non exſpectant,donec prodigio aliquo illis oſtendatur domus in qua hoſpitatur Petrus (ſicut olim ſtella demonſtrârat Magis Chriſti præſepium) ſed ſua induſtria quærunt,donec quæſitum inueniant. Sequitur.

Petro autem cogitante de viſione, dixit Spiritus ei, Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, & deſcende, & vade cum eo, nihil dubitans, quia ego miſi illos. Non ſolet Dominus amicos ſuos ab omni perturbatione immunes facere,ſed ſolet eos in tempore opportuno cõſolari. Qui nõ eſt tentatus,ait Scriptura,quid ſcit? Et D. Paulus ad Corinthios ſcribens ait, Fidelis Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis,ſed faciet cum tentatione prouentum,vt poſſitis ſuſtinere. Non dicit Deum non paſſurum vt aliquo modo tentemur, ſed ne grauius tentemur quam ſuſtinere valeamus. Et D. Petrus cuius hîc negotium tractamus ſcribit, Nouit pios Deus de tẽtatione eripere. Magis enim agnoſcimus beneficium Dei quando nos è tribulationibus liberat, quàm quãdo à tribulationibus nos præſeruat. Hoc enim fortunę,illud verò domino acceptum ferre ſolemus. Sic in ſuperioribus primò incuſſit terrorem Ananiæ, dum iubet eum ire ad Saulum : deinde autem cõſolatur,quum dicit Saulum non amplius eſſe perſecutorem Eccleſiæ, ſed huius fore propugnatorem. Alibi permittit iuſtum

Manifeſtis Dei præceptis paremus tum etiã myſteria Dei intelligemus

Eccle.34.

1.Cor.10.

2.Pet.2.

Ioſephum Deiparæ virginis coniugem miſerè ob tumidum virginis vterum turbari: deindè verò angelum mittit, qui myſterium aperiat. Pari modo patitur Petrum hîc aliquandiu hæſitare: deinde verò rem aperit, ſed omnino modo mirabili. Petro enim cogitante quídnam ſibi hæc mirabilis viſio vellet, dixit ei Spiritus, Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, & deſcende, & vade cum eis, nihil dubitans quia ego miſi eos. Tres viri erant illi, qui miſſi venerant à Cornelio. Quare porrò non aperitur Petro hoc myſterium ab angelo, vt cogatur hęc diſcere ab ethnicis? Potuiſſet angelus Petro dicere, Viſio hæc quam iam vidiſti nihil aliud deſignat, quàm etiam gentiles ad conſortium regni cælorum pertinere (iam enim ſatis indultum eſt Iudæis, docendæ ſunt etiam gentes, quæ citius ſubmittent colla ſua iugo Chriſti, quàm Iudęi): ſed noluit Spiritus Domini, ſiue angelus hanc rem tam clarè ſignificare, vt magis probaretur Petri fides. Obſeruandum autem quomodo Scriptura hîc ſibi conſonet. In ſuperioribus auditum eſt Cornelium ab angelo iuſſum, vt mitteret nuncios poſt Petrum: hîc verò Spiritus dicit ſe miſiſſe illos. Nam Angeli quod faciunt, iuſſu Domini faciunt. Sed ad ſequentia.

Deſcendens autem Petrus ad viros dixit. Ecce, ego ſum quē quæritis, quæ cauſſa eſt propter quam veniſtis?

Ex his vides quòd Spiritus ſanctus Petrum non perfectè de omni hoc negotio inſtruxerit: nec neceſſe fuerat. Quæ enim ab hominibus cognoſcere poſſumus, ſicut ſuprà diximus, quid neceſſum fuerit diuinitùs quærere? Petrus iubetur deſcendere, hoc facit & alloquitur bonos viros, rogátque ad quid venerint, quid velint. Quòd verò Petrus ſic præter opinionem ſtatim venit, apertíſque verbis teſtatur ſe ſcire quem illi quærunt, videlicet ipſum Petrum, ad confirmationem fidei illorum pertinet. Ex his enim boni viri conijcere potuerunt, Petrum maius quid eſſe, quàm fortè multis videbatur. Ecce, inquit, Petrus, non opus eſt vt longius eatis, ego ſum quē quæritis. Scio quod propter me huc veneritis, ſed quid à me velitis hoc quoniam ignoro, à vobis quæro. Quæ eſt igitur cauſſa propter quā huc veniſtis ad me? *Qui dixerunt. Cornelius Centurio, vir iuſtus & timens Deum, & teſtimonium habens ab vniuerſa Gente In-*

dæorum, reſponſum accepit ab angelo ſancto accerſire te in domum ſuam, & audire verba ex te. Introducens ergo eos, recepit hoſpitio.

Audi obſecro quàm diligenter omnia enumerent: nos ſingula non negligenter exponere curabimus. Primò itaque hîc obſerua, quãto ſtudio famuli Cornelij dominum ſuum Petro commendent. Vocant eum virum iuſtum ac timentem Deum. Et vt commendatior fiat Petro, addunt illum, Cornelium videlicet, etiam bonum habere teſtimonium ab vniuerſa Gente Iudæorum: hoc eſt, non ſolùm laudari à ſuæ gentis hominibus, nimirum Ethnicis, ſed etiam à Iudæis. Deinde addunt Corneliũ hunc nihil temerè, nihil ſuopte conſilio facere hoc in negotio, ſed ſic iuſſum non ab homine aliquo, ſed quod maius eſt, ab angelo ſancto, hoc autem faciebat ad pleniorem inſtructionem Petri. Hic enim audiens angelum à Deo centurioni miſſum facilè apud ſe iudicare potuit ab homine non eſſe cõtemnendos, quos Deus angelorum miniſterio non dedignatur. Poſtremò nunciant centurionis famuli, ipſum cupere audire doctrinam Petri. Hæc igitur tam multa atque præclara cum audiſſet de Cornelio Petrus, non dubitauit illius famulos hoſpitio ſuſcipere, & familiariter illis conuiuere. Ex his ergo aliquot doctrinas ſumere licebit. Bonorum famulorum eſt dominos & magiſtratum ſuum reuereri, ac magnificè & honeſtè de eis loqui, ſicut hîc in famulis Cornelij egregium habent exẽplum. Porrò ne mentiantur in hoc famuli, oportet dominos honeſtè viuere, & ab omni mali ſpecie ſibi cauere. Maxima verò laus eſt, ſi de te dici poteſt veraciter quòd ſis iuſtus, timeas Deum, & de omnibus benè mereri ſtudeas. Poſtremò habes hic exemplum charitatis, humanitatis, & hoſpitalitatis in Petro, qui viros ad ſe miſſos hoſpitio ſuſcipit. Et monentur hic exemplo Petri, qui huius vocantur ſucceſſores, vt ſint humani & hoſpitales: id quod etiam Apoſtolus requirit in epiſcopo 1. Tim. 3. Accedit his quod veteres Papæ & epiſcopi plurimùm commendati fuerunt, quod multa ædificauerint hoſpitalia, multóſque aluerunt pauperes. Qui igitur iam diuerſum inſtituunt, videant quam rationem redituri ſint Deo iuſto iudici. Sed ad contextum.

Hæc etiam excuſant Cornelium quod ad Petrum ipſe nõ ierit.

Sequenti ergo die ſurgens, profectus eſt cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati ſunt eum. Altera autem die intrauit

Cæſaream. Cornelius verò exſpectabat illos, conuocatis cognatis ſuis & neceſſariis amicis. Benè prius beneuolum ſe eis exhibet, vtpote ex itinere defatigatis, & familiares ſibi reddit, & tum tandẽ eis cum Cæſaream proficiſcitur. Angelus enim iuſſerat Petrum cũ miniſtris Cornelij ire Cæſaream. Nec poteſt à recta via declinare, qui ſancti angeli monitu viam ingrediuntur: nec ratum eſt, quod angeli pios homines comitari dicuntur. Hinc Abraham miſſurus ſeruum ſuum
Gen. 24. in Meſopotamiam, vt Iſaaco prouideret de vxore inter reliqua dicebat, dominus Deus cæli & terrę mittet angelum
Exo. 14. 23. 32. ſuum coram te. Et in Exodo non ſemel tantum legimus angelum domini præceſſiſſe caſtra Iſraëlitarum. Sic etiam
Tob. 5. Tobias emiſſurus filium ſuum in regionem Medorum, inter cæteras precationes & hæc precabatur inquiens, Benè ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro, & angelus eius comitetur vobiſcum. Alibi in Euãgelio admonetur etiam Ioſeph domini noſtri tutor quo eat & quo redire debeat. Sic & in hoc loco Petrus, ceu diximus, ab angelo audit, quò ſibi eundum, nimirum in Cæſaream ad Cornelium. Cæterùm Ioppenſes Chriſtiani comitantur Petrum, fortè ſic ordinante domino, vt teſtes eſſent eorum quæ geſturus erat Petrus: item vt inſeruirent Petro, cuius verbis ſic afficiebantur, vt non libenter ab ipſo diuellerentur. Piorũ enim hominum eſt libenter adeſſe, vbi res piæ cum fructu geruntur. Quod autem Cornelius affines cognatos & familiares ſuos vocat, ideo factum arbitramur, vt & ipſi magis in fide inſtruerentur, eiuſdémque ſalutis cum Cornelio fierent participes. Sicut enim impij gaudent multitudine impiorum: ita & pij ex animo & iuſtè lætantur, vbi viderint populum domini augeri ac incrementa ſumere. Iam verò Cornelius de oraculo nihil diffidens, & auidus ſalutis exſpectat reditum ſuorum, ac tum his etiam D. Petrum, quem haud dubiè magno deſiderio & cupiebat & venturum ſperabat. Vtinam huius ſæculi homines ſic affecti eſſent erga verbi miniſtros, quomodo Cornelius erga Petrum. Cornelius ſuos famulos emittit vt Petrum adducant: nos verbi miniſtros etiam nos ſequentes & vocantes reiicimus. Sed hæc hactenùs: iam quomodo Cornelius Petrum exceperit, audire iuuat.

Et factum eſt cum introiſſet Petrus, obuius venit & Cornelius, & pro-

& procidẽs ad pedes eius adorauit eum: Petrus verò eleuauit eum, dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum.

Quòd Cornelius Petro obuiam venit, argumento eſt quanto deſiderio illum exſpectauerit: quòd verò ei ad pedes procumbit, reuerentiæ eſt, quia Petrum omni honore dignum iudicat. Hęc nemo melius perpenderit, quam qui animaduerterit quàm frigidi nos ſimus ad auditionem verbi Dei, & quam contemptim in hoc mundo habeantur ſacerdotes & verbi miniſtri. Chriſtus Apoſtolis ſuis dicebat, Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Sic Samueli dominus dicit, Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Moyſes verò ad populum in deſerto dicebat qui murmurauerant contra ipſum Moſen & Aaron: Non contra nos eſt murmur veſttum, ſed contra dominum. Paulus verò docet preſbyteros duplici honore dignos eſſe præcipuę verò eos qui laborant in verbo. Alibi verò ſcribit ſe tanquam angelum Dei ſuſceptum fuiſſe à Galatis, Non reſpuiſtis neque ſpreuiſtis me, ſed ſicut angelum Dei accepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Ad Theſſalonicenſes verò ſcribens dicit, Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed, ſicut verè eſt, verbum Dei. Hæc omnia argunt quanti faciendi ſint Sacerdotes domini, quum tamen in hoc ſæculo nullum genus hominum contemptius habeat atque ſacerdotale, quod cur fiat, rationem habemus in promptu. Prima cauſſa eſt impura noſtra vita & corrupti mores noſtri. Iam ſal inſipidum ad nihil valet vltrá niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Secunda eſt populi effrenis malitia, quę corripientem, erudientem, vel caſtigantem ferre nõ poteſt. Hinc vulgo dicitur, Hoc vel illud faciam, nec quicquam curauerim Sacerdotis verba, **Gott geb vbas der Pfaff ſag**. Tertia ratio eſt, quòd noſmetipſos per adulationem aliis ſubiicimus. Neque tamen excuſantur ob id illi qui Dei miniſtros conuiciis lacerant, peccatáque illorum odioſius traducunt: ratio eſt quòd non emendationem, ſed perditionem atque interitum miniſtrorum Chriſti quærunt, ipſi illis longè peiores. Sic olim Iudæi meritas quidem dabãt pœnas quum expugnabantur à Nabuchodonozore Bobyloniorum rege: verum quoniam hic non Dei voluntatem facere, ſed

1. Reg. 8.

Exod. 16.

Gal. 4.

1. Theſſ. 2.

libidini morem gerere conabatur, correptis liberis,iuxta quod prouerbium habet, virga in ignem à Deo proiecta eſt. Sed propius od textum vertamus nos: duo enim ſunt quę pręcipuę obſeruatione cenſemus digniſſima. Alterum quod Cornelius tanta veneratione excipit D. Petrum: alterum verò quòd Petrus videtur tantum honorem non agnoſcere, quum tamen vterque non ſolum non peccet, ſed etiam benè ac Chriſtianè agat. Neque enim audiendi ſunt hîc miſeri,aut potiùs ſeditioſi Anabaptiſtæ,qui putãt ſe omnem pietatis penſum abſoluiſſe,ſi quando magiſtratus nulla præfatione honoris alloquantur, non dominos, ſed fratres appellantes. Atqui oportebat illos audire quod Diuus Paulus in Romanis admonuit ſcribens, Cui honorem, honorem: cui timorem, timorem. Et iterum, Honore inuicem præuenientes. Neque enim ideo contemnendi ſunt qui magiſtratu fungũtur quòd fratres noſtri ſint, ſed multo magis honorandi: hoc quod D. Paulus abundè in Timotheo ſuo declarat. Nec quicquam facit pro Anabaptiſtarum arrogantia & hypocriſi,quòd nobis ſuperiorum vitia,quæ in nullo hominum genere probamus, obiiciũt. Non enim magiſtratus ideò à nobis honorãtur quod peccatores ſint, ſed quòd ordinatione Dei ſuperiores noſtri ſint. Malitiam hominum ſemper vituperamus: ordinationem autem Dei nuſquam non probamus. Sic Cornelius non reſpicit in D. Petrum, quaſi hominem peccatorem & piſcatorem, ſed in Petrum verbi Dei fidelem diſpenſatorem. Iã de altero loquemur, videlicet quòd Petrus noluit oblatum honorem agnoſcere, ſed potius reſpuit. Vter igitur peccauit? Petrúſne, an Cornelius? Qui honorem obtulit, an qui oblatum reſpuit? dicam quod res eſt: neuter vituperandus venit, quoniam vterque iuxta Scripturæ ſenſum egit. Cornelius, quia miniſtrum Dei dignè honorauit: Petrus, quia de ſe propter excellens miniſterium non ſuperbè ſenſit. Hæc multis ſcripturis probare nihil opus fuerit. Exemplo igitur Cornelij & D. Petri non efficitur, quod multi imprudenter putant, Dei miniſtros ſiue viuẽtes ſiue morientes (licet omnes meritò viuentes dicantur) non magnificè honorandos eſſe: ſed hoc potius, ne quiſquam de ſemetipſo ſuperbius & inſolentius ſentiat. Dicit quidem D. Petrus ſe hominem eſſe: verùm interim non

Vide. D. Gregor. in Iob. Lib. 21. Cap. 11.

negat ſe eſſe Dei Apoſtolum, Euangeliíque fidelem miniſtrum. Sic & magiſtratus quũ honoris titulos audit, quum externas obedientiæ videt cæremonias, reſpondet talibus verbis & titulis non opus eſſe, iubet aperta capita retegi, fatetur ſe non dominari, ſed potius inſeruire Reipublicæ. An ideo poſthac ruſticè alloquemur ſuperiores noſtros, non aperiemus illis reuerentiæ ergô capita noſtra, vocemus eos potius ſeruos noſtros quàm dominos noſtros? nõ ſic impij, non ſic. Glorioſiſſima Deipara in Euangeliis ſeſe vocat ancillam domini, neque tamen putanda eſt Elizabetha peccaſſe, quòd illam vocauerit matrem domini. Puto iam clarũ eſſe quomodo in hoc actu nec Petrus, nec Cornelius peccârit: quod vtinam diligenter perpenderent aduerſarij noſtri, qui ſic Chriſtum caput & principem Sanctorum extollunt, vt in membra ipſius planè videãtur impij. Sed hæc hactenùs ſuper præſenti loco, quem propter quorundam imprudentium hominum temeritatem prolixius tractare noluimus. *Et loquens cum illo intrauit, & inuenit multos qui conuenerant, dixítque ad illos: Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniũgi aut accedere ad alienigenam.*

Quid opus fuerit prolixius hîc hærere, quum ſermo hiſtoriographi noſtri ſatis apertus ſit? Iam enim audiuimus Cornelium vocaſſe amicos, affines, & neceſſarios ſuos, nimirum vt & ipſi ad Chriſtum conuerterentur. Quòd vero non ſunt impatientes moræ, ſed differunt vſque in aduentum Petri, argumento eſt illos rem bonam ſeriò agere. Noſtrum multi impatientiſſimi ſumus, ſi quando ſacra noſtra, vel conciones noſtræ vel tardius incipiuntur, vel prolixius peraguntur. Hinc eſt quod alij non adueniunt, alij tardius adueniunt ne diutius adeſſe cogãtur, alij etiam finem ſacrorum non expectant, non cogitantes quòd dominus apud Hieremiam illos maledicit, qui opus illius negligenter perficiunt. Sed audiamus quibus verbis D. Petrus Cornelium & huius familiares alloquatur: Vos ſcitis, inquit, quomodo nefas ſit viro Iudæo coniũgi aut accedere ad alienigenã. Nemo veſtrũ miretur, vult dicere quod ego Iudæus iã vos accedã, quũ ipſi ſciatis quod hactenùs Iudæis nõ licuerit aliquã familiaritatẽ habere cũ gentilibus, & cũ omnibus qui à religione noſtra ſunt alieni: & verũ hîc loquitur Petrus. Nam in veteri teſtamento cauerat

dominus, ne quiſquam Iudęorum aliquam familiaritatem cum aliquo Ethnico contraheret, nimirum ideo, ne Iudæorum populus, qui aliâs ad idololatriam inclinabat, ab Ethnicis ad idolorum cultum ſeduceretur. Quamuis enim vir pius in omni loco & in omni populo pius eſſe poſſit (ſicut Ioſeph, Noe, Loth, Iob, & alij complures) tamen plerunque fit, vt qui tangit picem, inquinetur ab ea: nec tutum eſt habitare inter ſcorpiones. Quod vtinam conſiderarent ij, qui ſola neſcio qua noui cupiditate ducti, ſurſum deorſúmque curſitant vt omnia videant, omnia audiant, omniáque experiantur. Obiiciunt quidem illi Pauli ſententiam, Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et illud Ioannis, Probate ſpiritus an ex Deo ſint. Hęc quidem ſancti Apoſtoli ſcripſerunt, ſed noluerunt his dictis quod tu inde intelligis. Noluerunt enim vt vltro te periculo exponeres, noluerunt vt Satanam vltro prouocares, ſed potius vt tentantem caueres. Sed hæc hactenùs: quod reliquum eſt audite. *Sed mihi oſtendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem, propter quod ſine dubitatione veni accerſitus. Interrogo autem, quam ob cauſſam accerſiſtis me?*

Nihil hic temerè facio, inquit D. Petrus, quod ad vos præter veterum morem venio. Nec quiſquam hominum hoc me iuſſit, ſed Deus ipſe mihi oſtendit, nimirum ſub imagine immũdorum animalium, ne aliquem immunem hominem exiſtimen, hoc eſt, ne Iudæorum more putem omnes gentiles porrò à Deo reiectos, ac æternum damnatos. Olim quidẽ iuſſerat Dominus vt abſtineremus à conſortio Ethnicorum, & domini mandatis meritò obtemperauimus: iam iubet, vt Ethnicis Euangeliũ de Ieſu Chriſto domino noſtro annunciemus. neceſſe igitur eſt, vt rurſum illi morem geramus. Olim periculum erat ne Iudæi ſeducerentur ab Ethnicis: iam neceſſarium eſt, vt Ethnici conuertantur à Iudæis. Sed hac de re in ſuperioribus ſatis pro tempore: audiamus rurſum ipſa D. Petri verba. Deus, inquit, oſtendit mihi, neminem communem aut immundum dicere hominem, propter quod ſine dubitatione, hoc eſt, ſine cunctatione veni poſtquã vocaſtis me. Serio enim & hilari animo, & ſine procraſtinatione Dei mandatis obtemperandum eſt. Interrogo autem, quam ob cauſſam accerſiſtis me? Iuſſit, inquit, dominus per angelum ſuum

vt ad vos concederem, ſed quid apud vos agere debeam, apertis verbis non ſignificauit. Vnde à vobis iam percunctor, quare me accerſieritis? Petro enim, ſicut in ſuperioribus auditum eſt, cogitante de viſione, dixit Spiritus ei, Ecce viri tres quærunt te, Surge itaque & deſcende, & vade cum eis, nihil dubitans quia ego miſi illos. Auditis ex his, Petro non expreſſè dictum, quid agere deberet apud gentiles illos: vndè non immeritò rogat Cornelium, quid ſibi voluerit cum hac legatione. Audite ergo iã reſponſionem Cornelij. *Et Cornelius ait Die ab hinc quarto vſque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida, & ait: Corneli, exaudita eſt oratio tua & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei. Mitte ergo in Ioppẽ, & accerſe Simonẽ qui cognominatur Petrus, hic hoſpitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. Confeſtim ergo miſi ad te, & tu benefeciſti veniendo. Nũc ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta ſunt à domino.*

Quæ hic à Cornelio noſtro dicuntur, in ſuperioribus tam copioſè expoſuimus, vt iam non ſit opus prolixiori interpretatione. De ieiunio enim, & ſtatis precãdi horis ſemel atque iterũ diximus, licèt admonitione noſtra parum profecerimus: hoc quod orantiũ paucitas ſatis, ſuo tamen nõ meo malo declarat. Quotusquiſque etenim veſtrum eſt, qui ſtatutas ab eccleſia orandi horas obſeruet? Deteſtãda certè eſt noſtra negligẽtia, quòd per integrum annum vix vnicam hebdomadam animæ noſtræ cultui locamus. Maiorem curam impẽdimus equis, bubus, & reliquis animalibus ac iumẽtis noſtris, quã animæ noſtræ. Si quis noſtrũ vel auiculã aliquam in cauea habet, ægrè illius curã in alterum diẽ differt: de animis verò noſtris ſaluãdis parũ anxij ſumus. Nõ ſic Cornelius, ſed cogitãs aliquando moriẽdum eſſe, vnumquẽque etiã recepturũ iuxta facta ſua, non neglexit animã ſuam, ſed hanc bonis exornauit operibus, ieiunijs videlicet, orationib. & eleemoſynis, hoc quod ſuprà audiuimus, & iã rurſum ipſe recenſet, non inde vanam gloriam quærens, ſed Petro rogãti veritatẽ dicens: neque enim ſemper impiũ fuerit propterea benefacta enumerare. Enarrauerũt hæc multi boni viri, Iob, Dauid, Zachęus, Paulus, immò & Chriſtus ipſe nec tamen quiſquã hæc illis vitio vertet. Non enim ad verba, ſed ad verborũ cauſ-

ſam reſpiciendum eſt. Non ſunt facienda mala, inquit D. Paulus, vt inde eueniant bona: ergo non mentiendũ eſt, ne videâre aliquid per arrogantiam dicere. Impunè igitur recenſebis laudes tuas, ſi Dei honorem & proximi ſalutem in illis quæres. Sed hæc aliâs: iam nonnihil diſcutienda venient verba Cornelij, vt nonnihil vtilitatis inde ad nos redeat. Quum recenſuiſſet Petro quomodo ab angelo admonitus fuerit poſt ipſum Petrum mittere, addit, Confeſtim ergo miſi ad te. Non diſtuli, inquit, in longa tempora mandatis angelicis obtemperare, ſed confeſtim miſi ad te. His autem verbis tacitè ſubindicat Cornelius, quanto ſtudio ac deſiderio exſpectarit Petrum, vt agnoſcat Petrus ſe habiturum diligẽtem & fidelem auditorem. Neque enim dici poteſt quàm diligentem faciat concionatorẽ, ſi quando videt auditorum pium ſtudiũ, & animos doctrinæ ſalutaris auidos. An tu putas agricolam libenter ac diligenter ſemen ſuum ſpargere in agrum ex quo nullos ſperare poteſt fructus? Addit Cornelus ad Petrum dicẽs, Et tu benefeciſti, hoc eſt, gratum feciſti quod ad me veneris. Agnoſcit enim Cornelius & intelligit, quantum beneficium ſit pios ac fideles habere doctores: quod quoniam multi non agnoſcunt, ideo à domino recipere merentur doctores vanitatis, & magiſtros mendaces, ſicut hodierna dies. Sole clarius oſtendit. Rurſum ſequitur aurea ſententia, Nunc ergo omnes nos in conſpectu tuo ſumus, vt audiamus omnia quæcunq; tibi præcepta ſunt à domino. Quid hoc eſt, quòd Cornelius dicit omnes adeſſe, vt audiãt præcepta domini à Petro Apoſtolo? Videamus rurſum verba angeli, quæ in ſuperioribus audiuimus: Mitte, inquit, ad Simonem Petrum, &c. hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Audis? non hic dicitur, quòd Petrus à Deo acceperit præcepta quæ proponat Cornelio, nec tamẽ dubitat Cornelius, quin Petrus ſuam doctrinã à Deo acceperit. Nec dicitur quod D. Petrus propter Corneliũ etiam alios docere debeat, ſed vnius Cornelij ſit mẽtio: & tamen nõ cunctatur bonus Centurio etiã alios ad ſe admittere, qui à Petro diſcãt quæ hic à domino accepit. Sed etiã hac de re paulò ſuprà diximus. Dicit itaq; Cornelius nomine omniũ, Nũc ergo omnes adſumus, teſte Deo, vt oĩa ea audiamus, quæ à domino tibi mãdata ſunt. Talẽ animã, ô mihi in domino

chariſs. fratres, ſi hodie ad lectionem ſacrarum literarum, & conciones Chriſtianas adferremus, iam plus eſſet fructus Euangelij, & minus malitiæ in mundo. Cæterum quales accedimus, tales & redimus. Accedimus non vt audiamus bono animo quæ concionator ex diuinis mandatis proponit, ſed malimus audire, quibus malitiam cordis noſtri vel confirmare, vel aliquo prætextu excuſare quiremus: qui verò minus mali ſunt, audire geſtiunt Dei ſermones, ſed non omnes. Promiſſionibus Dei delectantur, ſed comminationes eiuſdem abominantur. Data & dona domini accipiunt: mandata verò illius reſpuunt. Breuiter hac Cornelij oratione admonemur, vt Eccleſiaſtes non ſui capitis vana ſomnia, ſed ſalutifera Dei verba populis proponat. Et admonetur populus, vt illa omnia diligéter audiat. *Aperiens autem Petrus os ſuum, dixit, In veritate comperio quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Vtinam aperientibus nobis ora noſtra, non audirentur peiora, quàm hîc à D. Petro audimus. Nos ſi quando loqui inſtituimus, ferè à blaſphemiis incipimus, & blaſphemando loqui deſinimus: qui verò minus mali ſunt, aut fratris vitam non fraternè proſcindunt, aut turpia quædam & animos puros corrumpentia loquuntur. Non ſic D. Petrus, ſed aperiens os ſuum, omnia loquitur ad ædificationem: nullius vitam calumniatur, ſed omnium hominum vitas emendare conatur. Sed audiamus verba illius. In veritate comperio, inquit, quia non eſt perſonarum acceptor Deus. Hoc eſt (vt rem ſimpliciter loquar) hactenus nobis Iudæis perſuaſum fuit, Deum nullius gentis niſi Iudaicæ rationem habere, nec Deo quenquam niſi Iudæum placere: iam verò ex proxima mihi oſtenſa viſione, & ex tuis verbis, ô Corneli, intelligo atque deprehendo ad Deum pertinere, eúmque curare, fouere, atque ſaluare omnes gentes, quæ eum timent & operantur iuſtitiam, ſiue fuerint circumciſi, ſiue præputiati. Nam de his duobus populis præcipuè loquitur Petrus. Vnde non neceſſe eſt, vt hoc in loco prolixius aut curioſius diſputemus de ea, etiam gentes, quæ à Republica Iſraëlis alienæ fuerunt, ſaluari potuerint non circumciſæ? Scimus in veteri teſtamento multos incircunciſos placuiſſe Deo: at quenquam ſine fide

in Chriſtum ſiue futurum ſiue præſentem placuiſſe Deo non credimus. Scimus item Deum gratiam ſuam non alligaſſe Sacramentis, quaſi citra hæc neminem ſaluare poſſit: verum de omnibus illis quos Deus præter illa ad ſe trahit, noſtrum non eſt iudicare. Quid ad nos de his qui foris ſunt? Nos Deo pro cognitione Chriſti gratias agamus, & tali tantáque cognitione digna agamus, non curioſius de gentium ſalute diſputantes, ſed potius Deum pro illorum ſalute orantes. Sed quid opus eſt multis verbis? ex hac quam iam tractamus hiſtoria, & ex verbis Diui Petri ſatis intelligimus, quomodo Deus non ſit acceptor perſonarum. Multæ erant gentes (de hoc nemo dubitat) verum non ad omnes, ſed ad Cornelium miſſus eſt angelus. Quare ad Cornelium? non quia gentilis & præputiatus, ſed quia vir pius & timens Deum, quia Deo ſupplicabat, & pauperibus eleemoſynas præſtabat. Quòd ſi ad inſtar reliquarum gentium Deum contempſiſſet, & proximis iniuriam feciſſet, nunquam ad eum angelus Domini veniſſet. Cæterum hanc pietatem, hoc eſt, fidem, ſpem, & charitatem, ſicut etiam in ſuperioribus admonuimus, à ſemetipſo non habuit, ſed gratuitò à miſericordi Domino accepit. In eandem ſententiam etiam verba Diui Petri à nobis intelligenda veniunt; Reipſa, inquit, deprehendo, quia non eſt perſonarum acceptor Deus. Ergóne omnes ex æquo amat, nullum diſcrimen faciens inter pium & impium, inter obtemperantem & contradicentem? nequaquam: ſed, qui timet Deum, ait Petrus, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt Deo, ſiue ille Iudæus ſiue Ethnicus ſit. Et ſicut Iudæum à pœna non ſubleuat circunciſio, cum cætera impiè viuat: ita & Ethnicum præputium non damnat, ſi timet Deum & operatur iuſtitiam. Hoc eſt quòd Diuus Paulus in Romanis dicit, Honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, deinde & Græco: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Et poſt pauca, Circunciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues: ſi autem præuaricator legis ſis, circunciſio tua præputium factum eſt. Breuiter ſic non eſt apud Deum reſpectus perſonarum, vt pio malè, impio verò benefaciat, ſed reddit vnicuique iuxta opera ſua, neque cuique iniuriam facit, etiamſi nobis plus largiatur

Rom. 2.

quàm debeat. Hanc rem Diuus Auguſtinus in multis locis diligenter explicat, potiſſimum verò contra duas epiſtolas Pelagianorum libro.2. cap.7. Igitur & nos caueamus, ne quando ob reſpectum perſonarum, quod iuſtum & æquum eſt peruertamus, ſed vnicuique quod ſuum eſt tribuamus, ſiue ille ſit hoſtis ſiue amicus, ſiue nobilis ſiue plebeius. Obſerua deinde quínam illi ſint, quos amat Deus: non inſolentes & malefactores, ſed eos qui timent Deum & operantur iuſtitiam. Amat enim Dominus populum ſectatorem bonorum operum, nec eſt Deus volens iniquitatem.

Verbum miſit Deus filiis Iſraël, annuncians pacem per Ieſum Chriſtum: hic eſt omnium Dominus.

His iam incipit Diuus Petrus Chriſtum gentibus euangelizare, & breui, efficaciſſima tamen oratione oſtendere, quid in vniuerſum de Chriſto ſentiendum ſit, & quòd extra illum ſalus contingere poſſit nemini. Nos concionem hanc Petri, quæ aliâs obſcuritatis aliquid habet, diligenter explicabimus, hoc freti quòd res ipſa non tantum habet perplexi, quantum verba ipſa, quibus Lucas rem expoſuit. Nec dubium eſt quin D. Lucas non conſcripſerit totam Petri concionem, ſed tantùm capita quædam & ſummam illius. Vnde non eſt quòd quiſquam hîc putet me in vanum laborare, quum Petrus haud dubiè apertiſſimè rem explicuerit. Sed audiamus Petrum ipſum. Verbum miſit Deus filiis Iſraël, annuncians pacem per Ieſum Chriſtum: hic eſt dominus omnium. Breuiſſimis totum negotium ſic poſſemus eloqui. Deus prædicari fecit filiis Iſraël, hoc eſt, Iudæorum populis Ieſum Chriſtum eum eſſe, cuius vnius ope atque auxilio Deo reconciliari poſſunt: nec mirum eſſe quòd Chriſtus tantum poſſit, quum ſit dominus omnium. Hic haud dubiè ſimpliciſſimus, & genuinus eſt verborum domini ſenſus. Atqui ſi quis negotium hoc penitus introſpexerit, inueniet magna fidei noſtræ myſteria in verbis Petri latere. Deus namque non ſolùm curauit prædicari Iſraëlitis verbum Euangelij, in quo, ceu diximus, annunciatur nobis Ieſum Chriſtum eſſe ſalutis noſtræ auctorem & conſummatorem: ſed Deus verè miſit verbum ſuum, verbum nimirum quod iuxta Ioannis Euangelium in principio erat apud Deum, verbum per *Io.* 1.

quod facta ſunt omnia, verbum quod Deus ipſe eſt. Chri-
Pſalm.106. ſtus enim Ieſus iuxta diuinitatem, verbum Dei Patris in
ſacra ſcriptura ſæpiſſimè dicitur. Miſit verbum ſuum, in-
quit Propheta in Pſalmis, & ſanauit eos, & eripuit eos
de interitionibus eorum. Et in libro Sapientiæ legimus,
Sap.16. Neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Do-
mine ſermo, qui ſanat omnia. Nec ab hoc loco diſſentit
Sap.18. quod eiuſdem libri cap.18. legitur, Cum quietum ſilen-
tium contineret omnia, & vox in ſuo curſu medium iter
haberet, omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cæ-
lo, à regalibus ſedibus venit. Sed hæc hactenùs apud
eos, qui certò perſuaſum habent Ieſum Nazarenum ve-
rè eſſe Dei viuentis vnigenitum filium, verbum illud æter
num quod in tempore caro factum eſt. Hoc verbum, hunc
Ieſum Nazarenum, non aliqua creatura vt angelus, vel
homo quiſpiam miſit, ſed Deus ipſe miſit in mundum, ni-
mirum vt conceptus de Spiritu ſancto, naſceretur ex Ma-
ria virgine. Hanc miſſionem iam olim rogauerant vete-
res Prophetæ, quorum ex numero alius clamat, Obſe-
cro Domine, mitte quem miſſurus es: alius verò, Vtinam
diſrumperes cælos & deſcenderes: alius rurſus, Domine
inclina cælos tuos & deſcende, inquit. Miſit ergo, poſt-
quam aduenit plenitudo temporis, Deus verbum ſuum,
filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos
qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum re-
ciperemus. Miſit autem eum Dominus filiis Iſraël, ſicut
Chriſtus ipſe teſtatur, inquiens, Non ſum miſſus, niſi ad
oues quæ perierunt domus Iſraël. Quare vero miſit? An-
nuncians pacem, inquit, per Ieſum Chriſtum. Quid opus
eſt pace, vbi nullum bellum, nulla diſcordia, nullæ inimi-
citiæ? Verum eſt: atqui inter Deum & hominem maxi-
mum erat bellum, quod à nemine niſi qui idem eſſet
Deus & homo, componi potuit. Bellum illud originem
ſumpſerat ex Adæ peccato, qui immenſorum Dei benefi-
ciorum oblitus, propter guſtum vnius pomi, contempto
Dei mandato obtemperauit aduerſario Dei diabolo: qua
iniuria quæ maior eſſe poſſit? Satis fuerat nõ obtemperare
Deo vt eum offenderet, ſed ad accumulandum peccatum,
etiã Adam adhæſit hoſti Dei. Ex hac iniuſtitia multa mala
enata ſunt, multæ bellorum ſpecies exortæ. Vnum bellum

eſt, quòd Deum nobis offenſum fecimus, huiúſq; legem præuaricamus, pro tot ac tantis beneficiis ingrati exiſtentes, nec Deum ſuper omnia diligentes. Alterũ bellum eſt, quod in nobiſmetipſis ſentimus, dum lex carnis legi mentis aduerſatur, hoc eſt, dum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, vt non quæ rectè volumus, faciamus. Tertiũ bellum eſt, quod dum philautia laboramus, etiam fratrẽ noſtrum non eo loco quo decet habemus, ac cum iniuria proximi, cõmoda noſtra ſectamur. Quartò cum Satana etiã bellum nobis eſt, qui quum ſemel ius in nos accepit, nos totos ſibi mãcipare cõtendit, vt nullo modo quæ recta ſunt vel cogitemus vel faciamus. Atqui nemo tã malus eſt, quin ſubinde boni aliquid meditetur, quòd certè Satanas omnis boni & honeſti capitalis hoſtis ferre patienter nõ ſuſtinet. Quũ igitur tot bella & inimicitiæ eſſent in mũdo, & hęc omnia in perniciem miſeri hominis inſtituta, quid faceret Deus? ánne hominem quem condiderat, perpetuò ſineret in poteſtate Satanæ? Hoc fieri nõ poterat, ne videretur Satanas præualuiſſe deo. Anne peccatũ tam enorme, præuaricatio tam ſuperba non caſtigaretur? hoc contrariebatur diuinæ iuſtitiæ. Iuſtitiæ igitur fuerat punire hominem pręuaricatorẽ: miſericordię verò parcere peccatori, nec diutius ferre inſolentiã infernalis Tyranni. Miſit ego Deus Pater filium ſuum Ieſum Chriſtum dominum noſtrum qui omnia pacificaret, pacémque nobis annunciaret, quomodo ſcilicet iam iuſtificati à peccato, pacẽ haberemus ad Deum: item liberati à peccato, ſerui fieremus iuſtitiæ. Primum enim ſuſtulit Chriſtus è medio peccatum, quod ſeparabat inter nos & Deum, delens chirographum quod Satanas aduerſus nos habebat, deſtruxítq; eum qui habebat mortis imperium. Secundum largitus eſt nobis Spiritum ſuum ſanctum, cuius auxilio concupiſcentiæ, quæ in nobis eſt, poſſimus reſiſtere, vt poſthac non regnet peccatum in mortali noſtro corpore. Tertium, effudit in nos abundè charitatem ſuã, qua ducti non dubitamus non tantũ ſubſtantiam, hoc eſt, diuitias noſtras, ſed etiã animas noſtras pro fratribus ponere. Quartum, tãtas nobis dedit vires contra Satanam, vt niſi volentes nos nõ vincere valeat. Hæc omnia in ſacris literis vbiq; ſunt decantatiſſima: ſed de his in ſequentibus, hoc eſt, ſuo in loco rurſum dicemus. Iam ne quis

Roma. 5.
Epheſ. 2.

putet tam magnifica in Ieſum Chriſtum non competere, addit Petrus de illo, Hîc eſt dominus omnium. Miſerat enim dominus angelos ad nos, miſit ſanctos Prophetas, dedit legem & Sacerdotium, ſed hæc omnia inefficacia erant ad pacem faciendum inter Deum & homines. Angeli quoniam naturæ noſtræ non erant, condolere forſan nobis potuerunt, aut fortè nobis ſuccenſuerunt, quòd illorum & noſtrum dominum tam temerè offenderamus. Prophetæ quum ipſi non minus atque nos grauiſſimè laborarent, quî potuiſſent nobis ſubuenire? Neque enim poteſt cæcus cæcum ducere: quod ſi imprudenter conatus fuerit, ambo in foueam cadent. Reſtat vt de lege dicamus: hæc peccatum indicabat, & indicando augebat, quoniam nos perpetuò nitimur in vetitum cupimúſque negata. De Sacerdotio ſcripſit diuus Paulus, quòd impoſſibile fuerat ſanguine taurorum, aut hircorum aboleri peccata. Vnus igitur ſupererat commodus mediator & princeps pacis, qui poſſet pacificare omnia ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælo; hîc eſt de quo iam diuus Petrus dicit, quòd ſit dominus omnium. Si enim dominus omnium eſt, meritò ei omnia & obedire & cedere debent, ſiue ea ſint in cælo, ſiue in terra, ſiue in inferno. Vnus, inquit Apoſtolus, eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Mediator eſt Chriſtus, qui pacem faciens, offenſorem hominem fecit in gratiam & amicitiam Dei, qui fuerat offenſus, redire. Nam tota redemptoris noſtri in carne diſpenſatio, mundi eſt reconciliatio. Ad hoc quippe incarnatus, ad hoc paſſus, ad hoc reſuſcitatus eſt à mortuis, vt nos qui peccando iram Dei incidimus, ipſe reconciliando ad Dei pacem reduceret. Sed hæc prolixiùs forſan quàm vtique ſperabamus: vnde ad verba diui Petri eundum. *Vos ſcitis quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam. Incipiens enim à Galilæa, poſt baptiſmum quod prædicauit Ioannes, Ieſum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Quæ hoc in loco diuus Lucas recenſet, quoniam hiſtorica ſunt, nulla expoſitione opus habent, præcipuè apud eos, qui Euangelicæ hiſtoriæ nunquam non ſunt memo-

res. Scitis enim dominum noſtrum Ieſum non niſi poſtquam baptizatus fuit à Ioanne, incepiſſe populo prædicare, ſuámque doctrinam magnificis miraculorum operationibus comprobaſſe. Hæc autem cum non potuiſſe niſi Deus fuiſſet cum illo, immò niſi Deus ipſe fuiſſet, nemo Chriſtianorum eſt, qui non vltrò fateatur. Quid? quòd Nicodemus princeps ille Phariſæorum eadem teſtabatur de Chriſto, ad ipſum Chriſtum dicens, Scimus quòd à Deo veneris magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Sic cæcus ille natus, poſtquam à Chriſto & corpore & animo illuminatus fuiſſet, dicebat: Niſi hîc (Ieſus) eſſet à Deo, non poſſet horum facere quicquam. His adiunge quod de ſemetipſo Chriſtus loquitur, Verba quæ ego loquor, à meipſo non loquor: pater autem in me manens, ipſe facit opera. Cæterùm duo hîc potiſſimum obſeruanda ſunt: primum quanta prudentia Petrus de Chriſto loquatur, ne Ethnicos offenderet potius, quàm ad fidem Chriſti conuerteret. In ſuperioribus vocat eum dominum omnium: iam dicit Deum fuiſſe cum illo. Et vt fidem maiorẽ faceret Ethnicis, ſtatim adducit illius miracula, quomodo ſcilicet tranſierit per vniuerſam Galilæam & Iudęam benefaciendo & ſanando, non ſolùm curando morbos & infirmitates hominum, ſed etiam repellendo & eiiciendo dæmones. Alterum eſt, quod Petrus dicit Chriſtum Ieſum à Deo patre vnctum Spiritu ſancto & virtute: cuius rei apertiſſimus & ſimpliciſſimus ſenſus eſt, Deum patrem Ieſum Nazarenum feciſſe Meſſiam, eúmque, quo ad humanitatem, dotaſſe Spiritu ſancto & virtute. Nam Ieſus Chriſtus ab æterno fuit filius Dei iuxta diuinitatem, eiuſdem cum Patre ſuo cæleſti poteſtatis & dignitatis: ſecundum verò humanitatem vnctus eſt Spiritu ſancto & virtute, quod etiam diligenter, prudenter ac ſyncerè intelligendum eſt. Nam dominus Ieſus, ſicut rectè diuus Auguſtinus admonuit, Spiritum ſanctum non ſolum dedit vt Deus, ſed etiam accepit vt homo, propterea dictus eſt plenus gratia. Vnctus eſt autem Chriſtus homo non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vngit Eccleſia. Nec ſanè tunc vnctus eſt Chriſtus Spiritu ſancto,

De Trinita. lib. 15. cap. 26.

quando ſuper eum baptizatum velut columba deſcendit (tunc enim corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum ſanctum) :ſed iſta myſtica & viſibili vnctione tunc intelligendus eſt vnctus, quando verbum Dei caro factum eſt, id eſt, quando humana natura ſine vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei verbo eſt in vtero virginis copulata, ita vt cum illo fieret vna perſona. Abſurdiſſimum enim eſt, vt credamus eum cum iam triginta eſſet annorum (eius enim ætatis à Ioanne baptizatus eſt) accepiſſe Spiritum ſanctum: ſed veniſſe illum ad baptiſma, ſicut ſine vllo omnino peccato, ita non ſine Spiritu ſancto, credimus. Sic enim de famulo eius & præcurſore ipſo Ioanne ſcriptum eſt, Spiritu ſancto replebitur iam inde ab vtero matris ſuæ, quoniam quamuis ſeminatus à Patre, tamen Spiritum ſanctum in vtero formatus accepit: quid de homine Chriſto ſentiendum eſt vel credendum, cuius carnis ipſa conceptio non carnalis, ſed ſpiritualis fuit? Vnctus verò ſic eſt Chriſtus Ieſus, vt vnguentum illud etiam in alios effundere poſſit, ſic donum Spiritus ſancti accepit, vt etiam aliis communicare illud poſſit: Vnde in Pſalmis legitur, Vnxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Nos autem accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro, ſicut rectè diuus Auguſtinus dicit: effundere autem ſuper alios non vtique poſſumus, ſed vt hoc fiat, Deum ſuper eos a quo hoc efficitur inuocamus. Neque aliquis diſcipulorum Chriſti vnquam alicui dedit Spiritum ſanctum: orabant autem vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Sic & Simon ille Magus offerens Apoſtolis pecuniam, non ait, Date & mihi hanc poteſtatem, vt dem Spiritum ſanctum, ſed vt cuicunque impoſuero manus, accipiant Spiritum ſanctum.

Simplicior ſenſus eſt, ſi vnctionis nomine miſsionem ad prædicãdum intelligas. Nam à baptiſmo tandẽcœpit Ieſus prædicare, poſtquam ſcilicet Pater cæleſtis expreſſo verbis iuſsit vt illum audiremus.

Sed hæc hactenus de vnctione illa, cuius diuus Petrus meminerat. *Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Hieruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno.* Hæc nulla interpretatione opus habent, quum omnibus ſint expoſitiſſima. Quis enim neſciat Apoſtolos perpetuos fuiſſe Chriſti comites, vt ipſius viderent opera & audirent ſermones? Hîc toties eos alloquitur, harumque re-

rum illos commonefacit. Vos, inquit, dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Et iterum, Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis. Et rurſum, Vos teſtimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum eſtis. Ab initio enim Apoſtoli cum Chriſto fuerunt, cum eo conuerſantes vt poſtea poſſent certius de ipſo ferre teſtimonium. Etſi enim etiam alij viderunt & audierunt Chriſti verba & facta, tamen non erat ipſorum officij vel muneris illa aliis annunciare: ſed diſcipulorum munus erat, vt audita & viſa, omnia tamen ſuo tempore & ordine prædicarent aliis. Ad eos enim non ad quoſlibet dixit Chriſtus, Ego vos elegi vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Et aſcenſurus in cælum dicebat eis, Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Huc ergo reſpexit Petrus dicens, Nos ſumus teſtes omnium, quæ fecit in regione Iudæorum & Hieruſalem. Et addit, Quem ſuſpendentes in ligno occiderunt. Neque enim voluit Petrus diſſimulare mortem Chriſti, vt quæ iam quaſi per totum mundum inclaruerat. Verùm qui concutitur Chriſti morte, rurſum erigatur ipſius reſurrectione. Sequitur enim in concione Petri de Chriſto. *Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis.* Vide quàm pulchro ordine Petrus Cornelium quaſi de omnibus fidei noſtræ articulis inſtruat: certè de ſummis ac præcipuis. Perſonarum Trinitatem in diuinis diſertis verbis exprimit, nimirum Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Deinde incarnationis myſterium attingit, dicens, quòd Deus vnxerit filium ſuum Spiritu ſancto. Tertiò addit Chriſti in terris vtiliſſimam & benigniſſimam conuerſationem. Quartò mortem illius, & mortis genus deſcribit. Quintò iam audimus reſurrectionem, quam ſic adducit & docet, vt creditu non ſit difficile. Neque enim voluit diuus Petrus dicere quòd Chriſtus Ieſus ſemetipſum ſuſcitauerit, ſed occultioribus verbis idipſum inſinuat, dum dicit, Hunc Deus ſuſcitauit tertia die. Iam etiam apud Ethni-

eos creditum eſt, Deo nihil eſſe impoſſibile: tu iam infer, Si Deus Chriſtum ſuſcitauit, & Chriſtus vnus cum Deo patre & Spiritu ſancto Deus eſt, ergo & ſemetipſum ſuſcitauit. Breuiter Chriſtus Ieſus ſecundum humanitatem mortuus eſt, ſed diuinitas tertia die humanitatem ipſam reſuſcitauit: quæ res ſola fide, non humana ratione comprehenditur. Iam ne Gentiles dicerent, Chriſtum quidem mortuum eſſe iam olim audiuimus à multis, ſed eum reſuſcitatum fuiſſe à mortuis tertia die, hactenus parum auditum eſt: addit ergo diuus Petrus Chriſtum à reſurrectione ſua non omnibus ſtatim apparuiſſe, ſed nobis, inquit, à Deo ordinatis, qui manducauimus & bibimus cum illo: & hoc non tantum ante paſſionem & mortem ſuam, ſed etiam poſtquam reſurrexerat à mortuis, hoc quod ſcilicet euidentiſſimum rediuiui hominis argumẽtum eſt. Hæc omnia diligenter conſcripta ſunt in Euangeliis & in Epiſtola Pauli ad Corinthios priore: nos præmiſſis contenti, ad ſequentia properemus. *Et præcepit nobis prædicare populo & teſtificari quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.* His verbis iam declarat, quare Chriſtus potiſſimum Apoſtolis ſuis poſt ſuam ipſius reſurrectiõnem apparuerit non vt ipſi ſoli hoc ſcirent, ac ſic in occulto retinerent, ſed vt rem omnem, quemadmodum geſta eſt, omni populo manifeſtarent: ſic enim ſonant verba Petri. Et præcepit, Chriſtus

2. Cor. 5. videlicet, nobis prædicare populo. In Corinthiis ſcribit Paulus, Deus nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſteriũ reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Cæterùm vbi præceperit Chriſtus diſcipulis ſuis talia prædicare, longiori inueſtigatione non indiget. Nam ſtatim ab initio vocationis ipſorum ad eos dictum eſt, Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominnm. Et alibi, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos vt eatis & fructum afferatis. Et

Ioan. 15. rurſum, Vos de me teſtimonium perhibebitis, quia ab

Actio. 1. initio mecum eſtis. Sic in primo huius libri capite audiuimus, Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, in omni Iudæa,

Samaria & Galilæa, & vſque ad vltimum terræ. Iam penitius inſpiciemus verba diui Petri. Primo teſtatur ſe non iniuſſos acceſſiſſe ad prædicandum, ſed vt hoc facerent à Deo in mandatis accepiſſe: quibus verbis non ſolùm declarant ſe neceſſitate ad concionandum adactos, ſed etiam quod nemo niſi iuſſus & ordinatus miniſterio verbi fungi debeat, qua de re alibi copioſius. Secundò obſeruandum diligenter, quæ Chriſtus voluerit populo prædicari. Præcepit nobis, inquit Petrus, prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum. Hoc præceptum libens audirem in Euangelio expreſſum, & hoc diſertis verbis. Aſcenſurus enim dominus in cælum, dicebat diſcipulis, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Ergo concio de extremo iudicio non minus pertinet ad Euangelium, quàm de gratuita remiſſione peccatorum. Et vtinam aduerſarij noſtri tam diligenter populo inculcaſſent Chriſtum eſſe iudicem noſtrum, quàm diligenter inculcârunt illum eſſe mediatorem noſtrum: ſic enim plus pietatis videremus in populo Dei. Certè ſic prædicanda eſt Dei miſericordia, vt non peccemus in illius iuſtitiam. Qui iam dona ſua nobis liberaliter & miſericorditer, vt ita loquar, impartit: poſteà quomodo illis vſi fuerimus, tanquam iuſtus iudex à nobis requiret. Deus enim Chriſtum conſtituit non redemptorem omnium, ſed & iudicem viuorum & mortuorum, bonorum & malorum. Hoc ipſum non tacuit Chriſtus in Euangelio, ſed dixit, Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Proinde non ſic prædicandus eſt vnus Euangelij locus vt alius obliteretur, ſed omnes & ſinguli ſuis locis & temporibus: nec vnus locus contra multos ſtatuendus eſt. Peccatur hac in re maximè ab aduerſariis noſtris, quando vnica arrepta vocula ſic belligerantur contra innumeras alias ſcripturarum ſententias. Si ſic vellemus facere, quæ non inde ſequeretur abſurditas? Verbi gratia, Petrus hîc teſtatur ſibi & cæteris Apoſtolis præceptum vt prædicarent. Quid? nihílne aliud? immo plura alia, quæ ex ipſorum verbis & factis alibi demonſtrare poſſumus. Sic quòd

Marc. 16.

Chriſtus nō tantum mediator, ſed etiam iudex noſter eſt.

Ioan. 5.

Apoſtolis præceptum non tantum vt prædicarent, ſed etiā multa alia.

ſcribit ipſis iniunctum vt prædicent Chriſtum eſſe conſtitutum à Deo iudicem viuorum & mortuorum, non ſic intelligendum eſt quaſi nihil aliud prædicare debeant, ſed inter alia prædicanda etiam hoc numerandum eſt. Quando enim Chriſtus Apoſtolis dixit, Prædicate Euangelium omni creaturæ, Euangelij nomine intellexit totum ſalutis ac redemptionis noſtræ negotium, omnia nimirum
Matth. 28. dicta & facta Chriſti. Huc pertinet quod in Matthæo dominum dicentem audimus, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra (hîc audis Chriſtum iudicem viuorum & mortuorum) euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Et ſtatim addit, Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Sed ait aduerſarius, Quis poſſet hæc omnia ſeruare? Reſpondeo, Omnia illa docẽda ſunt,
Obſerua. ſiue obſeruemus, ſiue minus. Quòd ſi quis non obſeruauerit, rurſum in Euangelio contra hoc venenum ſalutarem inueniet antydotum. Sed hæc plus ſatis: ad ea accedamus quæ frequentius tractantur ab aduerſariis. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Quòd ſancti Prophetæ teſtimonium ferãt de Chriſto, nobis Chri-
Iob 5. ſtianis certò conſtat: Nam Chriſtus ipſe nos remittit ad
Luc. 9. & 18 illos dicens, Scrutamini ſcripturas, ipſæ enim teſtificantur
Matth. 20. de me. Et alibi, Oportet omnia impleri in me, quæ ſcri-
Matth. 26. pta ſunt de me in lege & Prophetis. Quòd autem Prophetæ teſtimonium dent Chriſto, per hunc videlicet ſolum nos conſecuturos remiſſionem peccatorum, multis Prophetarum ſententiis probari poteſt: nos verò iam paucis contenti erimus, & potiſſimum iis, quas videmus Apoſtolos ipſos pro confirmatione ſuæ doctrinæ adduxiſſe di-
Roma. 9. uus Paulus in Romanis ſuis illud Eſaiæ adducit: Ecce po-
Eſa. 8. & 28 no in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur. Rurſum in ea-
Roma. 11. dem epiſtola ex eodem Propheta adducit illud. Veniet
Eſa. 59. ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum. In ea verò quæ ad Hebræos eſt epiſtola, nihil ferè aliud agit, quàm vt doceat nos non niſi per Chriſtum accipere remiſſionem, demonſtrans neque legi, neque Sacerdotio

impoſſibile fuiſſe, vt noſtra auferrent peccata, ſed vni Chriſto hoc reſeruatum. Et quod ad legem quidem veterem attinet, adducit Hieremiam Prophetam, in cuius libro ſic loquitur dominus: Hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit dominus: Dabo leges meas in mentes eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens, Cognoſce dominum, quoniam omnes ſcient me a minore vſque ad maiorem: quia propitius ero iniquitati eorum, & peccatorum eorũ iam non memorabor. Quod verò ad ſacrificia Iudaica attinet, inquit, impoſſibile eſt, ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Et addit: Ideo ingrediens mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem adaptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Et non multò pôſt ſubiicit, In qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Sed hæc hactenus: iam rurſum ad verba Petri, in quibus tria potiſſimùm expendenda ſunt. Primum, doctrinam Apoſtolicam non eſſe nouam, nec veteri contrariam, ſed omnino eandem, niſi quod in veteri ſunt promiſſiones, in nouo autem exhibitiones. Nam quòd Prophetæ dixerunt futurum, hoc iam factum fuiſſe teſtantur Apoſtoli. Secundum, quod nobis non niſi per Chriſtum contingat remiſſio peccatorum, hoc eſt, per ea media quæ nobis præſcripſit Chriſtus: hoc quod iam in tertio dicemus. Tertium enim eſt, remiſſionem quidem peccatorum contingere hominibus, ſed non niſi eis, qui credunt in Chriſtum. Proinde omne negotium in verbo credendi ſitum eſt, vt intelligamus quid ſit credere in Chriſtum. Nos credere nihil aliud eſſe intelligimus, quam perſuaſum habere hoc verum eſſe quod dicitur, quidquid tandem illud ſit quod dicatur. Sic capite octauo huius libri, cum Philippus multa prædicaſſet Eunucho illi de Chriſto, tandem rogat eum, Si credis ex toto corde, licet te baptizari. Reſpondit Eunuchus, Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum. Sic in Euangelio Ioannis loquitur Petrus, Domi-

Hebræo. 8. *Hiere. 31.* *Hebræo. 10.* *Pſal. 50.* *Doctrina Apoſtolica nõ eſt noua.* *Credere quid.* *Acto. 8.* *Ioan. 6.*

ne ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei. Sic Martha credit Ieſum eſſe Chriſtum Dei viui filium qui in hunc mundum venerit. In Romanis verò dicit Apoſtolus, Si confiteaeris in ore tuo dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Hæc nemo ſic intelligat, quaſi ad ſalutem ſufficiat homini credere tantùm ea quæ iam prædicta ſunt, etiamſi cætera neget: Non ita eſt. Nam multi crediderunt Ieſum eſſe filium Dei, ſed quoniam alia de Chriſto non crediderunt, nec ipſi obedierunt, ſalutem conſequi non potuerunt. Ij enim tantùm ſalutem conſequuntur, qui credunt Ieſum eſſe ſaluatorem, & huic ſeſe totos curandos committunt. Sicut enim nemo ſaluatur qui Chriſtum pro ſaluatore non habet: ita etiam nemo ſaluatur, qui ſaluatoris mandata negligit. Friuolum igitur eſt quòd aduerſarij dicunt eos non poſſe perire, qui certo credunt ſibi propter Chriſtum peccata eſſe remiſſa. Nam Chriſtus non ſolùm fidem hanc, ſed ſpem, ſed charitatem, immò & pœnitentiam deſiderat: hoc quod aduerſarij, quum negare non poſſunt, tamen confundere non erubeſcunt. Nos itaque credamus & confiteamur Chriſtum vnum illum eſſe, qui nobis remittat peccata (nam pater ipſi omne iudicium dedit) & per cuius merita nobis remittuntur peccata. Non autem remittuntur eis, niſi quos peccatorum pœnitet, & qui ſe remiſſione peccatorum opus habere credunt. Remittit autem non propter noſtram iuſtitiam, ſed propter ſuam miſericordiam. Sed hæc hactenus. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.* Vide quid ſit cum deuotione audire verbum Dei. Neque enim fruſtrà dictum eſt in Propheta, Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Et Chriſtus in Euangelio, Vbi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, in medio eorum ſum ego. Nemo igitur negligat conciones ſacras, ſed diligenter illis adſit, & experietur ſe ſine fructu non adfuiſſe. Etſi enim Spiritus ſanctus viſibiliter non operetur in nobis, tamen operatur inuiſibiliter in cordibus noſtris. Nam fieri non poteſt vt ſacra concio te vel delectet vel

Ioan.11. *Roma.10.* *Verè credentes qui.* *Hebræo.5.* *1.Ioan.1.* *Ioan.8.* *Ioan.5.* *Eſa.66.* *Matth.18.*

compungat, niſi hoc ipſum in te operetur Spiritus ſanctus. Sic in prima illa concione diui Petri ita compungebantur in cordibus ſuis Iudæi, vt ſtatim dicerent, Viri fratres, quid faciemus? Sed ad verba Petri. Adhuc eo loquente, ſcilicet de capitibus fidei ac religionis noſtræ, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. Quomodo cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos? Nihil aliud hic intelligimus, quàm externas quaſdam imagines apparuiſſe, quibus ſignificabatur Spiritum ſanctum iam adeſſe & operari in credentibus. Fortè apparuerunt ignitæ linguæ, ſicut in die Pentecoſtes, ſuper Apoſtolorum capitibus. Nam ſequitur. *Et obſtupuerunt ex circunciſione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.* Quínam ſunt iſti ex circunciſione fideles? In ſuperioribus auditum eſt, quoſdam fratres ex Ioppe Petrum ſecutos fuiſſe. Iſti ergo qui ex circunciſione, hoc eſt, ex Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum venerant, non putabant fieri poſſe vt ex homine Ethnico fieri poſſet Chriſtianus, aut quòd Meſſias etiam veniſſet ad ſaluandum gentes Idololatras (qua de re ſæpius mihi poſthac dicendum) & ideo, cum vident Ethnicos quaſi eandem cum Apoſtolis gratiam accepiſſe, ita ſcilicet vt etiam poſſent linguis nouis loqui, & loquerentur magnificè de Deo qui filium ſuum ad redemptionem noſtri miſiſſet in mundum: hæc omnia, inquam, cùm vident & audiunt, valdè mirantur & obſtupeſcunt, vt qui talia vnquam fore non crediderant. Videbant factum eſſe, ſed facti nec modum, nec cauſſam ſciebant. Et ibi verificatum eſt, quod alibi dicit Chriſtus, Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu. Vident enim boni viri, Gentiles omnino eſſe immutatas, ſed quomodo aut qua ratione hoc factum ſit, planè ignorabant, niſi quod dubitare non poterant, quin Spiritus ſanctus iam operaretur in illis. Duo autem in hoc facto videbantur nouis illis Chriſtianis admiratione digniſſima: alterum quod Ethnici recepiſſent Spiritum ſanctum: alterum verò quod illum etiam, antequam baptizarentur, recepiſſent. Nam in die Pentecoſtes primum baptizabantur

Act. 2.
Act. 2.
Ioan. 3.
Act. 2.

qui ex circunciſione ad Chriſtianiſmum venerant,& deinde tandem accipiebant præclara illa Spiritus ſancti dona. *Tunc reſpondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere poteſt vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos?* In ſuperioribus auditum eſt etiam Petrum ipſum non putaſſe gentibus tam facilem patêre aditum ad Chriſti communionem: ſed quoniam viſione illa mirabili aliter inſtitutus eſt, & quoniam à Cornelio vocatus eſt non temerè, ſed iuſſu Angeli, & iam videt quàm abundè ſua dona Deus Ethnicis adminiſtret, reipſa experitur & dicit, Ethnicos à communione Chriſti non eſſe excludendos. Vnde quod hîc dicit, Nunquid aquam quis prohibere poteſt vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos? idem eſt ac ſi dicat, Nobis quidem viſa eſt res indigna, homines Ethnicos & Idololatras ad noſtram religionem admittere, niſi prius circunciſionem accipiant. Sed quid iam dicemus? an nobis licebit repellere eos, quos aduocat Deus? an contemnemus quos tanti facit dominus? Atqui cum videmus Ethnicos accepiſſe Spiritum ſanctum ſicut nos eundem accepimus, quomodo non putemus illos nobis coram Deo pares eſſe? Cur igitur non pro noſtris agnoſceremus, quos pro ſuis agnoſcit Deus? nihil illis niſi baptiſma deeſt. Quum igitur quod ſuum eſt illis dedit Deus, cur non daremus nos illis quod accepimus? Atqui Deus & dominus noſter Ieſus Chriſtus dixit, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Sed quęrat hîc quiſpiam, Quid opus eſt baptizari aqua eos qui iam baptizati ſunt Spiritu ſancto, & qui remiſſionem peccatorum acceperunt? Multa quidem hîc dici poſſent, ſed nos hoc negotium breuiſſimis abſoluemus. Hoc certum eſt, quòd Spiritus ſanctus ſua dona etiam ſubinde impartit eis, quibus non ſunt remiſſa peccata: & tum non in horum, ſed in eccleſiæ ipſius commodum hoc facit. Sic enim videmus peſſimos quoſque operari miracula, eiicere dæmones, loqui variis linguis: ſed hîc de Cornelio & huius familia nihil tale ſuſpicamur. Quare ergo baptizantur? quia hoc ſic iuſſerat dominus, quemadmodum iam dictum eſt: nec iuſſiſſet, niſi cum fructu aliquo ſuorum fidelium fieret. Quòd ſi nulla

Matth. 28.

Quid opus baptizari eos qui acceperunt Spiritum ſanctum.

alia vtilitas, quod abſit, ex hac baptizatione fuiſſet ſecuta, certè hæc magna eſt, quòd ibi docemur externam illam in aqua baptizationem contemni debere minimè. Nam verum quidem eſt Chriſtum gratiam ſuam Sacramentis nequaquam alligaſſe, ſed non minus verũ eſt & hoc, Chriſtum gratiam ſuam Sacramentorum contemptoribus nequaquam collaturũ. Profectò externum hoc Sacramentũ contemnendum non erat, vtcunque illi iam Deo accepti & gratia Spiritus ſancti donati fuerant. Nec dubium eſt quin ad ſuſceptionem baptiſmi aquæ, auctiorem acceperint gratiam. Eunuchus ille de quo iam ſæpius diximus, haud dubiè Deo acceptus fuerat, cum crederet Chriſtum eſſe filium Dei, ſed nihilominus baptizatus eſt à Philippo. Sic Paulus ante baptiſmum gratus eſt Deo, vt cui ſeſe totum conſecrauerat, ſed tamen oportuit eum baptizari in aqua. Idipſum iam dicimus de Cornelio, & huius vniuerſa familia: non tamen inde ſequitur, baptiſmum aquæ nihil aliud eſſe, quàm externum quoddam ſymbolum, quo ab aliis populis diſcernamur, hoc quod Sacramentariorum Coriphæi impudentiſſimè contendunt. Non enim ſolus Spiritus nec ſola aqua, ſed aqua & Spiritus ſanctus conſummant & perficiunt Chriſtianum baptiſma, quando ſcilicet vtrunque haberi poteſt. Ego enim nolim contemnere, multo autem minus reiicere aquam, quã Chriſtus tanti fecit, quam Apoſtolus lauacrum regenerationis nominauit, qua Chriſtus ipſe baptizatus fuit, & quam tactu ſui ſanctiſſimi corporis ſanctificauit, quam denique nemo Chriſtianus vnquàm, quando potuit habere contempſit. Duplicem itaque vtilitatem putamus ex hoc baptiſmo contigiſſe, tum quòd baptizati maiorem & auctiorem acceperint gratiam, tum etiam quòd populus Chriſtianorum de illorum animis certior factus ſit. Sed quoniam nihil difficultatis iã reſtare putamus in hoc loco, quod reliquum eſt inſpiciamus.

De hac re agunt Sententiarij, lib. 4. diſt. 4.

Actor. 8.

Actor. 9.

Epheſ. 5

Titum. 3.

Matth. 3.

Et iuſsit eos baptizari in nomine domini Ieſu Chriſti.

Nemo hîc offendatur, quòd non dicit eos baptizatos fuiſſe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quum tamẽ hoc iuſſerit Chriſtus: nam hic locus dupliciter, nec tamen impiè excuſari poterit. Primò, quòd Lucas his verbis nihil aliud indicare voluerit, quàm gentiles baptizatos

In nomine Domini Ieſu baptizari.

fuiſſe eo baptiſmo, quem dominus Ieſus Chriſtus & exem-
ota. plo & mandato ſuo inſtituerat. Quid enim opus fuerat lõgo verborum tractu deſcribere, quibus verbis quibúsue cæremoniis iſti boni viri baptizati fuerint, quum nemo Chriſtianorum ignoret, quid ſit hominem baptizari. Lucas itaque nihil aliud voluit nobis hoc in loco ſignificare, quàm Cornelium cum vniuerſa ſua familia baptizatum more Chriſtianorum: quomodo verò, aut à quibus, aut vbi, aut quando, & cætera quæ interrogari ab aliquo poſſent, non deſcripſit. Quòd ſi omninò baptizati ſunt (hoc quòd ſecundo loco dicere propoſueramus) tantùm in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, nec ſic peccârunt. Nam, vt rectè dictum eſt à veteribus, in nomine Ieſu Chriſti cõprehenditur non ſolus filius, ſed tota trinitas, Pater qui vnxit, Filius qui vnctus eſt (nã Chriſtus ab vnctione nomen habet) & Spiritus ſanctus quo vnctus eſt. Hic forſan dicẽt aduerſarij hęc etiam non latuiſſe dominum Ieſum, tamen voluiſſe vt tria illa nomina, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum in baptizando exprimerent. His reſpondeo, præter certa Chriſti mandata quæ expreſſa conſcripta ſunt, Apoſtolos commune accepiſſe mandatum, vt omnia dicerent & facerent eo modo, quo magis ædificaretur eccleſia. Hinc factum eſt vt Apoſtoli magis ad mentem, quàm ad verba Chriſti reſpexerint. Prouidè, quum Petro cum Ethnicis res eſſet, ſic attemperauit verba, ne Deorum multitudinem iuxta Ethnicorum ſtultitiam rurſum introducere videretur. Tres itaque perſonas tacuit, & vnã in qua cæteræ comprehenduntur, expreſſit. Nam & in ſuperioribus, & in proxima concione videmus, quanta prudentia & quàm circumſpectè de Chriſto loquatur, ne ſcilicet aliquem offenderet. Videmus certè multa feciſſe Apoſtolos ex ſuo officio, & rebus eccleſiæ ſic poſtulantibus, quorum expreſſum mandatum in Euangeliis non inuenimus: qua de re aliâs.

Tunc rogauerunt eum, vt maneret apud eos aliquot diebus.

Hæc verba magis imitationem quàm expoſitionem poſtulant. Nam piorum hominum eſt libenter conuerſari cum eis, per quos in pietate proficere poſſis: ſicut è conuerſo fugere debes, quorum conuerſatio te peiorem facere
Luc. 4. poteſt. Legimus in Euangelio Lucæ, quòd turbæ inue-

nientes Ieſum in loco deſerto, detinuerint illum ne diſcederet ab eis. Sic in Euangelio Ioannis rogant Samaritani Ieſum vt cum ipſis maneret,& mãſi ibi duos dies. Quamdiu verò Petrus apud Cornelium mãſerit, ab hiſtoriographo noſtro expreſſum nõ eſt: nec etiam magnĩ refert ſiue ſciamus, ſiue ignoremus. Apud me verò non eſt dubium, quin Petrus aliquandiu apud Neophytos illos permanſerit,atq; eos in fide plenius inſtituerit. Profectò vbi pij ſunt concionatores & pij auditores, ibi nullá concione quantúmuis longa ſaturari poſſunt pij homines, ſed in ipſa auditione creſcit audiendi cupiditas,vt verè impleatur quod alibi ſapientia Dei clamát, Qui edunt me,adhuc eſurient, & qui bibunt me,adhuc ſitient. Ego tantam populi auiditatem non ante multos dies probè expertus ſum. Det dominus vt qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, nunquam non benè & ſalubriter ſaturentur. Magnum crimen eſt,dei faſtidire verbum. Et plerunque fit, vt qui volés verbum Dei faſtidiuit, poſteà nolens ipſo carere cogatur. Vtinam hic vanus ſim Propheta. An non audiſtis ſæpè illud Pauli de Iudæis, Eo quòd charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerũt iniquitati? Nolumus igitur ad exemplum Gerazenorum Chriſtum rogare vt à nobis diſcedat, ſed potius ad exemplum Samaritanorum rogemus eum,vt nobiſcum maneat. Et tantum de hoc capite decimo.

Ioan. 4. *Eccleſ.* 24. 2. *Theſſ.* 2. *Matt.* 8. *Ioan.* 4.

CAPVT XI.

A*Vdierunt autem Apoſtoli, & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt verbum Dei.* Prior & ferè maior pars huius capitis,nihil niſi repetitio præcedentis capitis eſt. Nam D. Petrus obiurgatus ſuper eo quòd familiariter gentibus cõuixiſſet, ſe excuſat: & quòd nõ temerè,ſed multifariam admonitus ad gentes acceſſerit,diligenter demonſtrat. Quum igitur nulla neceſſitas poſtulet quę toties dicta ſunt ſæpius repetere, quam breuiſſimè fieri poteſt hanc hiſtoriam abſol-

uemus. Audierunt autem Apoſtoli, inquit Lucas, & fratres, quoniam & gentes receperunt verbum Dei. Hoc eſt, non ad Apoſtolos tantùm & ad primores Chriſtianorum, ſed etiam ad fidelem populum rumor peruenit, gentes credidiſſe prædicationi euangelicæ, & deinde baptizatos fuiſſe. Nam verbo Dei credere ſiue illud recipere, non ſolùm eſt pro veris habere quæ dicuntur, & dicenti alicui aliquid aſſentiri: ſed etiam quæ diſcuntur ſana eſſe, operibus adimplere, quæ verò mala & impia, omni ſtudio vitare ac fugere. Nam ſic gentes recepiſſe verbum Dei euidentiſſimis probatur exemplis. Inde autem diſcimus Apoſtolos etiã in doctrina Chriſti indies magis ac magis profeciſſe. Etſi enim ex prophetarũ oraculis, & ex domini Ieſu Chriſti ſermonibus diſcere potuerint, gẽtes nõ omnino repellendas à ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, tamen de modo adducendi ſiue admittendi eas, non fuerunt admodum certi. Sed hæc ſuffecerint, vt reliqua quæ nihil difficultatis habent, maiori compendio abſoluamus.

Cum autem aſcendiſſet Petrus Hieroſolymam, diſputabãt aduerſus illum qui erant ex circunciſione fideles, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?

Quo tempore D. Petrus Hieroſolymam aſcenderit, & quínam illi diſceptatores, Apoſtolíne, an alij de turba fuerint, ex Lucæ verbis non conſtat: nec etiam magni refert. Vide autem quanta importunitate Petrum aggrediantur. Non ſolùm introiſti, inquiunt, ad viros præputium habentes, ſed etiam manducaſti cum illis. Tria autem videntur in D. Petro reprehendere, quorum nullum non magni criminis ſcilicet inſtar habeat. Primò non dicunt, Introiſti ad gentiles, ſed introiſti ad viros præputiũ habentes, hoc eſt, ad non circumciſos. Nam ſi Petrus introiſſet ad Ethnicos circũciſos .i. proſelytos, minùs peccaſſe viſus fuiſſet. Neq; enim Ethnicis omnibus inuidebant ſalutem, ſed eis potiſſimum, qui nolebant præputium ſuum reſcidi. Nam hanc inter Iudæos & gentes acerrimam contentionem fuiſſe, non ſolùm ex præſenti hoc libro, ſed etiam ex Paulinis epiſtolis facillimè probari poteſt: hoc quòd ſuo loco demonſtrabimus. Alterum peccatũ eſt, quòd Petrus nõ perfunctoriè & quaſi in tranſcurſu illos Ethnicos allocutus fuerit, ſed ad ipſos intrauerit. Hoc autem quantum pecca-

tum apud Iudæos exiſtimatum fuerit, in domini noſtri *Ioan.18,*
paſſione cernitur, vbi Iudæi nolunt ingredi prætorium, ne ſcilicet contaminarentur. Tertium peccatum eſt, quòd etiam cum illis manducauerit, ſic dupliciter peccans, edendo videlicet, quæ prohibita (nam ſic illi putabant,) & cum eis edenda, quibus Iudæorum opinione non licebat. Tu verò mihi hîc vide hominum præpoſtera immò & impia ſtudia, quum ſcilicet quæ videntur reprehenſione digna exaggerant: quæ verò laude digniſſima ſunt, odioſè diſſimulant. Quare nō [illegible]ertur ad Neophytos illos qualis fuerit Cornelius, quàm pius, quàm Deo charus, à qua admonitus, & qua ratione Petrus ad Cornelium venerit, quid apud hunc piè egerit: hæc & ſimilia non referunt, ſed tantùm quæ odioſa videntur. Quid porrò ad hæc Diuus Petrus? Audiamus. *Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem dicens: Ego erā in ciuitate Ioppe orans, & vidi in exceſſu mentis meæ viſionem, deſcendens vas quoddam quaſi linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cælo, & venit vſque ad me. In quod intuens conſideraui & vidi quadrupedia terræ, & beſtias, & reptilia, & volatilia cæli. Audiui autem & vocem dicentem mihi, Surge Petre, occide & manduca. Dixi autem, Nequaquam domine, quia commune aut immundum nunquam comedi. Reſpondit autem vox ſecundo de cælo: Quæ Deus mundauit, tu ne communia dixeris. Hoc autem factum eſt per ter, & recepta ſunt omnia rurſum in cælum.*

Vide quàm diligenter ſe excuſet Petrus. Nihil temere feci, inquit, non ex meapte prudentia legem tranſgreſſus ſum, ſed multas habeo cauſſas, quibus motus fui vt facerē quæ aliās non feciſſem. Et potuiſſet quidem Petrus breuiter dixiſſe, Quæcunque feci, iuſſu eius qui ſupra legem eſt feci; ſed noluit: quin potiùs totam hiſtoriam texere maluit ſuo ordine, vt Neophyti illi intelligerent Petrum non potuiſſe Ethnicis non conuiuere & familiarius cum eis conuerſari. Enarrat itaque quomodo orauerit & in ipſa oratione viſionem viderit. Omnia autem verba quaſi ſingularem ſuā Emphaſim habent. Primò dicit ſe oraſſe, nimirū pro fideli ac felici Eccleſiæ Chriſtianæ ſucceſſu, pro augmento fidei, ſpei, & charitatis, pro aſſiſtentia Spiritus ſancti, ne ille aliquid minus rectè in eccleſia inſtitueret. Nam cui eccleſiæ cura commiſſa eſt, hic non immeritò

precatur à Deo gratiam & ſapientiam, vt nihil eorum quæ ad ædificationem eccleſiæ pertinent, prætermittat vel negligentius perficiat. Secundò in oratione viſionem videt, non in commeſſatione, nec in ſomno, neque in aliis profanis negotiis. Secundò non ſemel, ſed ter viſionem illam videt, vt intelligamus rem ſeriam agi. Tertiò teſtatur Petrus ſe inuitum huic viſioni aſſenſum, vt qui non ignorârit contra conſuetudinem legis fieri hoc quod iubebatur. Quartò, quòd etiam propter ſuam repugnantiam obiurgatus fuiſſet, & hoc non ab homine aliquo, ſed diuinitus. Iam ne auditores dicerent viſionem illam nihil ad gentiles pertinere, nec rectè ab Apoſtolo intellectam fuiſſe, proſequitur ipſe hiſtoriam & dicit continenter.

Et ecce tres viri aſtiterunt confeſtim in domo in qua eram, miſſi à Caſarea ad me. Dixit autem Spiritus mihi vt irem cum illis, nihil hæſitans. Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti, & ingreſſi ſumus in domum viri.

Et hæc manifeſta ſunt, ſingula tamen verba diligenter expendenda. Ne diutius me lateret, inquit, viſio illa, nō poſt aliquot dies, ſed confeſtim adſunt tres viri, non quos ego vocaſſem, ſed qui miſſi fuerant à Cæſarea huc ad me: nec tamen ſic intellexi quid illi vellent, nec quid mihi faciendum. Porrò admonitus non ab homine aliquo, ſed à domini ſpiritu, abij cum illis Cęſaream in domum Cornelij: nec ſolus abij, ſed adiunxi mihi comites ſex fratres iſtos, qui omnium quæ agerem teſtes eſſent, non ignorans ſcilicet non defore, quibus factum meum non per omnia probaretur. Quid igitur facerem? an non obedirem mandato Spiritus? Certè Deo magis obediendum eſt quàm hominibus. *Narrauit autem nobis quomodo vidiſſet angelum in domo ſua, ſtantem & dicentem ſibi: Mitte in Ioppen, & acce̍rſe Simonem qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba in quibus ſaluus eris tu & vniuerſa domus tua.*

Hîc aliqua obmittit Petrus ex verbis angeli ad Cornelium, videlicet quòd orationes & eleemoſynæ illius in conſpectum Domini aſcenderint: ſed alia addit Petrus, quæ maiorem vim ad perſuadēdum habent, ſcilicet quòd etiam Cornelius nihil temerè aut ex humana quadam prudentia fecerit, ſed omnia iuſſu ac impulſu angeli. Ergo Petrus ſpiritum domini, Cornelius angelum domini præ-

ceptorem habet: quibus cùm vterque obtemperat, non reprehenſionem, ſed laudem merentur. Addit Petrus ſe non ad vnum Cornelium, ſed ad vniuerſam ipſius familiam inſtruendam miſſum: & hoc non animi aut profani alicuius operis gratia, ſed vt ſua prædicatione illos ad ſalutem præpararet. Ergo neque in hoc peccauit Diuus Petrus.

Cùm autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio. Cùm veniſſem, inquit, in domum Cornelij, & hunc audiſſem quo nomine ad me miſiſſet, & viderem vtrinque viſionem viſioni reſpondere, nihil ampliùs hæſitans, nec Dei monitis amplius repugnare audẽs, exorſus ſum illis exponere, quæ dominus Ieſus per nos prædicari voluit. Nondum finieram ſermonem, & ecce Spiritus ſanctus delapſus eſt è cælis in illos, quemadmodum delapſus eſt in initio in nos, in die ſcilicet Pentecoſtes. Nam paulò ſuprà auditum eſt etiam gentes poſt acceptum Spiritum ſanctum incœpiſſe loqui variis linguis, & magnificè loquutas de Deo.

Recordatus ſum autem verbi domini ſicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto.

Hæc domini verba ab initio huius libri audita, & quantum dominus dedit, à nobis expoſita ſunt. D. porrò Petrus dicit ſe, cum videret gentes Spiritus ſancti dona accipere, verborum illorum meminiſſe, nimirum in eam ſententiam, vt iam tandem intelligeret, promiſſionem illam de baptiſmo Spiritus, non ad ſolos Apoſtolos, nec ad ſolos Iudæos, ſed in vniuerſum ad omnes tam Iudæos quam gentes credituras in Chriſtum pertinere. Item in hoc etiam recordatur Petrus verborum domini, vt intelligat baptiſmum aquæ à baptiſmo Spiritus non abhorrere: immò alterum ab altero perfici. Vnde ſtatim ſubdit. *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis qui credidimus in dominum Ieſum Chriſtum: ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum?*

Quod D. Petrus hoc in loco de eadem gratia dicit, ſanè intelligendum eſt. Loquitur enim Apoſtolus non de omnibus donis quæ ipſi Apoſtoli in vniuerſum à Deo acceperunt, ſed de dono illo remiſſionis peccatorum, de dono linguarum, & de externo & viſibili illo ſigno, quod teſtabatur etiam ipſos Ethnicos Spiritus ſancti gratiam accepiſſe. Dicit ergo Petrus, Quum tot modis à Deo admoni-

tus fueram, videlicet per viſionem, per vocem cæleſtem, per Spiritum, per tres ſeruos, per Cornelium, per angelum: denique per viſibile hoc Spiritus ſancti ſignum, quis eram ego qui repugnarem Deo? Qua cauſſa abſtinuiſſem à conuictu gentium? aut qua ratione negarem eis baptiſmum, quos Deus iam in ſocietatem & conſortium filij ſui acceperat? Iam & hoc in his Petri verbis negligendum non eſt, quòd Petrus non dicit, Deus dédit gratiam ſuam nobis Iudæis, ſed dicit, nobis qui credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum: vt oſtendat ſemetipſos hanc gratiam non propter legis opera, ſed propter fidem in Chriſtum accepiſſe. Vnde non mirandum, etiamſi gentes parem gratiam acceperint, quum ipſi etiam in Chriſtum crediderint. Et hactenùs quidem D. Petri Apologiam audiuimus: quid porrò inde diſcere debeamus, paucis dicam. Exemplo

Nõ perpetuò diſsimulanda calũnia. Petri docemur quando ad inimicorum noſtrorum opprobria ſilere non debeamus: tum ſcilicet, quando opprobria illa non minùs Dei, quàm noſtræ gloriæ derogant, & quando periculum eſt ne ex noſtro ſilentio proximus noſter offendatur. Secundò diſcimus ex facto Petri, quod idem ipſe poſtea ſcripto ſuo admonuit, videlicet vt non grauemur omni poſcenti rationem reddere fidei noſtræ.

1. Pet. 3. Sic enim ſonant Petri verba, Dominum Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe. Duobus autem modis de ſpe & fide noſtra, vt V. Beda ſcribit, rationem poſcentibus reddere debemus, vt & iuſtas fidei ac ſpei noſtræ cauſſas omnibus intimemus, ſiue fideliter ſiue infideliter quærentibus, & ipſam fidei ac ſpei noſtræ profeſſionem illibatam ſemper teneamus, etiam inter preſſuras aduerſantium oſtendentes per patientiam, quàm rationabiliter eam ſeruandam didicerimus, pro cuius amore nec aduerſa pati, nec mortem ſubire formidemus. Hæc ille. Vt autem rationem fidei veſtræ cuilibet poſcenti reddere ſciatis, neceſſe eſt vt diligenter, quæ in ſacris concionibus dicuntur, audiatis, & fideliter memoriç veſtræ commendetis. Nefas eſt profectò maximam hominum partem tam negligentem eſſe in negotio religionis noſtræ, vt centeſimus quiſque vix vnicam ſententiam ex ſacris literis memoriter eloqui poſſit. Videmus autem

quantum in hac re valeant Iudæi, quantum hæretici, qui de ſuis impiis opinionibus rogati, ſtatim habent quod reſpondeant, & quibus impias ſuas opiniones vel aliquo ſcripturæ loco palliant: nos verò nihil tale didicimus. Cuius rei nullam cauſſam iuſtam prętendere poſſumus, quàm negligentiam noſtram, & quòd nos nullus amor tenet eorum, quæ ad ſalutem noſtram pertinent. Sed videamus quantum profecerit Diuus Petrus Apologia ſua.

His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam.

Sicut non potuimus probare, quòd Neophyti illi qui Hieroſolymis agebant, Petri factum incuſabant: ita non poſſumus reprehendere illos, quod tam patienter audierint Petrum, & audita excuſatione quieuerint, non iam increpantes Petrum quòd ad gentiles introiſſet, ſed magnificantes Deum, qui gentibus pœnitentiam dediſſet, & talem pœnitentiam, quæ ipſis cauſſa fuit vitæ æternæ. Nam duplicem eſſe pœnitentiam, ex D. Pauli ſcriptis intelligimus. Quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia, mortem operatur. Duo ergo hîc præcipuè obſeruanda veniunt: primum quod Lucas hîc non fidei, ſed pœnitentiæ meminit, eius ſcilicet pœnitentiæ, qua nobisipſis propter peccata noſtra diſplicemus, & mores noſtros in melius reformare cogitamus. Nam niſi hæc præſtò fuerit, homo iuſtificari non poterit. Igitur nō minùs pœnitentia, quàm fides in concione vrgenda eſt. Niſi pœnitentiam egeritis, inquit Chriſtus, omnes ſimul peribitis. Et non ita longè ante aſcenſionem ſuam in cælos Apoſtolis ſuis dicebat: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prędicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Hûc etiam pertinet quod Petrus in prima concione ab auditoribus ſuis Iudæis rogatus quid facere deberent vt ſaluarentur, reſpondit, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed hac de re alibi etiam diximus. Secundò etiam obſeruandum, quòd Lucas ſcribit Deum dediſſe gentibus pœnitentiam, vt ſciamus vnde nobis vera pœnitentia proueniat. Nam hæc non noſtris viribus, ſed Dei

2. Cor. 7. *Luc. 13.* *Luc. 24.*

gratiæ adſcribenda eſt, quæ facit vt nos malitiæ noſtrę pudeat. Hinc eſt quod Hieremias dicit, Conuerte me ô do-
Hiere.31. mine, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam.

Et illi quidem qui diſperſi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis.

Actor.8. De hac tribulatione ac perſecutione in capite 8. huius libri ſic legimus: Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in eccleſia quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos. Iam porrò ſcribit, quantum boni ex perſecutione illa prouenerit eccleſiæ Chriſti: tantum ſcilicet, quòd iam Chriſtianiſmi pomeria latius propagantur. Nam quum priùs in Hieruſalem tantùm prædicaretur euangelium, perſecutione illa factum eſt, vt poſteà in Phœnicia, in Cypro & Antiochia, hoc eſt, non in vna tantum ciuitate, ſed in magnis regionibus euangelium prædicaretur. Et ſic Iudæi qui volebant cauere ne euangelium alicubi radices ageret, ipſius incrementa etiam imprudentes procurârunt: idemque illis accidit, ac ſi quis herbas ex horto ſuo eliminare vellet, prius tamen maturum ſemen ex floſculis excuteret, quod à bona terra ſuſceptum, poſtea longè plures proferret. Non eſt enim conſilium contra dominum. Cæterùm quòd diſperſi illi verbum Dei prædicant, laude dignum faciunt, in eo ſcilicet, quòd non curantes Iudæorum minas & perſecutiones, omni ſtudio conantur Chriſtum populis manifeſtum facere. Quòd verò Iudæis tantùm & non gentibus prædicant, non inuidentiæ, ſed imprudentis zeli fuit. Etſi enim Apoſtolis dictum fuerat euangelium vſque ad vltimos terræ fines propagandum, tamen non omnes intelligebant, quomodo aut quo tempore illud faciendum eſſet: qua de re etiam in ſuperioribus diximus. *Erant autem quidam viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes Dominum Ieſum.* Vnde Cyprij & Cyrenæi illi admoniti & edocti fuerint etiam gentibus prædicandum eſſe euangelium, ex hac quidem hiſtoria Lucę non liquet: credibile verò eſt, illos aut per Spiritus ſancti reuelationem fuiſſe admonitos, aut famam de conuerſione Corne-

lij ad illos perueniſſe. Videmus autem rurſum hoc in loco, quòd Lucas res valdè graues quàm ſimpliciſſimè deſcribat. Iam paulò antè dixerat diſperſos illos Chriſtianos prędicaſſe verbum, nec expreſſit quid prædicauerint: ita & nunc dicit Cyprios & Cyrenæos Græcis, hoc eſt, gentibus annunciaſſe dominum Ieſum. Hoc autem dicto non tantùm vnum articulum de Chriſto intelligi vult, ſed vniuerſa quæ ad chriſtianiſmum pertinent. Nam Chriſti mandatum ſic habet, Euntes, docete omnes gentes, & baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque præcepi vobis.

Et erat manus Domini cum eis, multúſque numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum.

D. Chryſoſtomus per manum Domini intelligit operationem ſiue virtutem miraculorũ, quæ Dominus ad prædicationem fidelium operatus eſt. Nec dubitamus multa miracula tum apud nouos Chriſtianos facta, tum vt concionatores videntes Dei auxilium confidentiùs prædicarent, tum etiam vt gentes euangelio libentiùs obtemperarent. Et oportet hîc dominum ſuos magnificè adiuuaſſe aliâs non fuiſſet tanta multitudo tam repentè ad fidem Chriſtianam conuerſa. Conuerſi verò dicuntur ad dominum, vt intelligas illos non iam idolis, non malis concupiſcentiis, nõ mundo, ſed Chriſto Ieſu obtemperaſſe: quod certè non feciſſent, niſi Chriſtum Ieſum ſaluatorem mundi eſſe certò credidiſſent. Hic autem eſt verus verbi Dei auditi fructus, quando auditores ad Chriſtum conuertũtur, Chriſtum audiunt, Chriſto credũt, Chriſto obediunt. Quod vt fiat, & fœlicius fiat, neceſſe eſt vt manus Dei cõcionatoribus cooperetur. Ego plantaui, inquit Paulus, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Certè miniſterium verbi non poteſt eſſe frugiferum ſine præſidio Dei. *1. Cor. 3.*

Peruenit autem ſermo ad aures eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis, ſuper iſtis, & miſerunt Barnabam vſque ad Antiochiam.

In ſuperioribus auditum eſt, in perſecutionne illa, quæ propter Stephanum facta eſt, multos quidem ex Hieroſolymis fugiſſe: Apoſtolos verò ibi permanſiſſe. Auditũ etiã eſt Petrum reliquis Apoſtolis rationem reddidiſſe eius rei, quòd Cornelium & huius familiam baptizaſſet, & illos

verbis Petri auditis quieuiſſe:iam verò fama Hieroſolymã peruênit non in ſola Cæſarea, ſed etiam in Phœnicia, in Cypro, & in Antiochia gentiles Chriſti euangelium accipere. Quæ res poſt Petri apologiam, Apoſtolos amplius offendere vel perturbare non poteſt:immò audiẽtes hoc, cogitant ſui officij eſſe, vt tenellas plantationes ſuffulciãt potiùs quàm opprimant. Et quoniam illis non eſt integrũ relinquere Hieroſolymam,in qua adhuc reſtabat frumentum in Chriſti horreum tranſuehendum, mittunt Barnabam vſque ad Antiochiã, non vt prohibeat gentibus prædicari euangelium, ſed potiùs vt prædicantes adiuuet:hoc enim ex facto Barnabæ audiemus. Vtinam Epiſcopi noſtri,qui ſucceſſores Apoſtolorum dici volunt,hoc Apoſtolorum exemplum imitarentur, ſcilicet idoneos miniſtros mittendo eccleſiis, & vſitando vel per ſe vel per alios idoneos homines,Chriſti Ieſu eccleſias.

Qui(Barnabas)cùm perueniſſet & vidiſſet gratiam Dei,gauiſus eſt, & hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto & fide. Et appoſita eſt multa turba domino. Aperta quidẽ ſunt hæc, ſed non propterea diſſimulanda,aut negligenter prætereũda. Barnabas venit Antiochiam, & vidit gratiã Dei. Quid vocat gratiam Dei? Quòd Deus dederit Chriſtianis audaciam prædicandi euãgelium, & Ethnicis corda ad credendum apta & flexibilia:nam hanc magnam eſſe Dei gratiã quis Chriſtianorum negare poterit?Et vtinam ſicut negare non poſſumus,ita etiam pro merito agnoſceremus. Sequitur Barnabam gauiſum fuiſſe, ideo ſcilicet, quòd videret Chriſtianam religionem à tam multis Ethnicis recipi. Sic enim Petri concione edoctus fuerat, vt iam non dubitaret Euangelij gratiam etiam ad gentes pertinere. Docemur autem hîc exemplo Barnabæ aliorum congratulari felicitati. Tertiò non tantùm gauiſus eſt Barnabas ob conuerſionem gentium, ſed etiam ipſas hortatus eſt ad conſtantiam,vt ſcilicet in eo quod iam incœperant,proficerẽt, atque ad finem vſque perſeuerarent. Non enim qui benè cœperit, ſed qui in bono in finem vſque perſeuerauerit, hic ſaluus erit. Et nemo admota manu ad aratrum & deinde reſpiciens,aptus eſt regno Dei. Quartò ſequitur cauſa,quare Barnabas tam piè cum Antiochenis Chriſtianis

egerit. Quia vir bonus, inquit, & plenus Spiritu ſancto & fide. Tales viri non poſſunt non omnia agere, quæcunque vel aliquo modo ad ædificationem eccleſiæ facere exiſtimant. Nec fieri poteſt, vt ad talium concionatorum prædicationes nō magna acceſſio fiat eccleſiæ. hoc quod Antiochiæ factum fuiſſe, Lucas reticere noluit.

Profectus eſt autem (Barnabas) Tharſum vt quæreret Saulum: quem cùm inueniſſet, perduxit Antiochiam.

Quàm benè conuenerit Barnabas cum Paulo apoſtolo, etiam in ſuperioribus auditum eſt. Nam cùm hic ſtatim poſt conuerſionem ſuam tentaret ſe iungere reliquis Chriſti diſcipulis qui erant Hieroſolymis, illi verò Saulum adhuc tyrannidis in Chriſtianos ſuſpectum habebāt, vt potè non ſatis certi de ipſius ad Chriſtum conuerſione: Barnabas apprehenſum eum duxit ad Apoſtolos, & narrauit illis quomodo Saulus in via vidiſſet dominum, & quod locutus eſt ei & quomodo fiducialiter egiſſet in Damaſco. Quomodo verò Saulus in Tharſum peruenerit, ibidem legimus, videlicet quòd Græcis illi mortem intentantibus ipſe deductus fuerit à fratribus Cæſaream & indè Tharſum, in patriam videlicet ſuam: vbi haud dubiè omni ſtudio ac ſummo labore contribulibus ſuis Chriſtum annunciauit. Barnabas itaque videns Antiochenos plurium miniſtrorum egere opera, & in memoria habens Paulum adhuc agere Tharſis in patria ſua, eò proficiſcitur, quærit illum, ac inuentum perducit ſecum Antiochiam, non ignorans quantum poſſet, quantúmque vellet Saulus in propagandis religionis noſtræ pomeriis. Vterque ergo non vulgarem laudem meretur ob tantum ſtudium, quod adhibuerunt donec gentes ad Chriſtum conuerterent. Eccleſia noſtra tales Paulos & Barnabas paucos habet, ſed multos heu dolor, qui miniſterium verbi potiùs remorari quàm promouere cupiunt: & vt hoc aſſequantur, omnes ſedulò neruos intendunt, ſtulti nimirum ac miſeri contra ſtimulum calcitrantes.

Et annum totum conuerſati ſunt ibi in eccleſia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani.

Et hæc ſedulitatem, ſtudium & laborem ſanctorum Apoſtolorum Sauli & Barnabæ demonſtrant, quòd ſcilicet

integrum annum permanſerint Antiochiæ, non ciuilibus negotijs ſeſe immiſcentes,nec otio indulgẽtes, multo minus ſeditionem excitantes,ſed turbam docentes. Conuerſati ſunt,inquit,in eccleſia,hoc eſt,res ſpirituales curârunt. Et docuerũt turbam. Quid? nimirum omnia quæ ad Chriſtianam religionem pertinere certò noſcuntur. Neque enim dubium eſt, quin omnia inſtituerint Apoſtoli apud Antiochenos,quæ tum huius eccleſiæ cõditio requirebat: vbi rurſum videmus non omnia præſcripta eſſe ab Apoſtolis & Canonicis ſcriptoribus, quæ ſancti Apoſtoli in fundandis eccleſiis egerunt. Cæterùm ſic profecerunt Antiocheni tum in Chriſtiana religione, vt indè acciperent nomen Chriſtianorum,quæ appellatio antea inaudita fuerat. Quoniam enim veteri ſuperſtitione reiecta vni ſe Chriſto conſecrabant, & huius doctrinam ac exemplum ſequebantur,à Chriſto Chriſtiani appellabantur. Et hanc appellationem hactenus per vniuerſum mundum obtinuit & retinuit chriſtianus populus, ideo ſcilicet vt nunquam non admoneatur in cuius magiſtri verba iurauerit, & quem ſibi doctorem propoſuerit. Ergo qui Chriſtiani vocamur, ita vitam & mores noſtros inſtituamus, vt non ſolo & inani nomine, ſed potiùs reipſa nos eſſe Chriſtianos probemus: nam nomen ſine re, ludibrio tribuitur. Quis enim tam vanus & miſer eſt(vt rectè D. Auguſtinus dicit) qui aduocatum ſe,cùm literas neſciat, audeat profiteri? Quis tam inſanus & excors,vt ſe profiteatur militem qui neſciat arma geſtare? Nemo enim quodcunque nomen ſine cauſſa ſortitur. Sutor vt dicatur, neceſſe eſt vt calciamenta conficiat. Tu ergo quomodo Chriſtianus diceris, in quo Chriſtiani actus non apparent? Chriſtianus iuſtitiæ,bonitatis,integritatis,patientiæ, caſtitatis,humilitatis & reliquarum virtutum nomen eſt: & tu illud tibi quomodo vendicas, cui de tam pluribus rebus nec pauca ſubſiſtunt? Chriſtianus ille eſt, qui non nomine tantùm, ſed opere eſt,qui in omnibus Chriſtum imitatur & ſequitur. Chriſtianus ille eſt,qui exemplo Chriſti nec inimicos nouit odire, ſed magis aduerſantibus ſibi benefacere, & pro perſecutoribus & hoſtibus ſuis exorare. Nemo ſe iudicet verè eſſe chriſtianum, niſi qui doctrinam Chriſti ſequitur,& imitatur exemplum. Qui dicit ſe in Chriſto ma-

De vita chriſtiana. ca.6.& 14.

1. Ioan.2.

nere,inquit D. Ioannes, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Sed hæc hactenus. Aduerſarij noſtri non videntes manticæ quid in tergo ſit, & trabis in oculis ſuis obliti, feſtucam nobis eximere hîc volunt: accuſant enim nos Monachos, quòd alij vocamur Franciſcani, alij Dominicani, alij Benedictini, alij Auguſtinenſes, alij verò aliis nominibus appellamur, quum tamen omnes eiuſdem ſimus fidei ac religionis. Veſtitu enim & externo viuendi ritu, non fide differunt Monachi. Et ſicut Paulus dicebat, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti: ita putamus ſanctos illos Patres nobis dixiſſe. Atqui noui Prophetæ ſicut diuerſis appellationibus differunt, ita differunt & fide, ſic non tantùm à Chriſti vera eccleſia, ſed etiam à ſemetipſis diſſentientes: hoc quod tam clarum eſt, vt nulla ampliori demonſtratione opus habeat. Nos igitur omiſſis eiuſmodi contentionibus & rixis, quæ in hiſtoria ſequuntur examinemus.

In his autem diebus ſuperuenerunt ab Hieroſolymis Prophetæ Antiochiam: & ſurgens vnus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per Spiritum, famem magnam futuram in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.

Hactenus multa plauſibilia audiuimus de primis illis chriſtianis, quomodo ſcilicet illis omnia ex voto ſucceſſerint, quanta incrementa eccleſia acceperit, & quantos fructus Saulus & Barnabas apud Antiochenos fecerint: iam verò poſt clarum ſolis lumen, incipiunt tempeſtates exurgere, ac nauiculam Chriſti non leuiter tantum concutere. Neque enim Chriſtus diſcipulis ſuis perpetuam in hoc mundo felicitatem pollicitus eſt, ſed ait, In mundo preſſuram habebitis. Igitur Paulo & Barnaba Antiochiæ agentibus, accidit vt Prophetę quidam qui ex diuina reuelatione futura prædicere nouerant, Antiochiam venirent, fortè vt & ipſi aliquo modo, & quantum in ipſis erat, nouæ eccleſiæ commodarent. In horum itaque numero erat quidam Agabus nomine, qui non ex aſtris, ſed ex Spiritus ſancti reuelatione prędicebat, in breui magnam famem futuram: & hoc non in vno tantùm aliquo loco, ſed in vniuerſo orbe terrarum. Et quod hic Propheta prædixerat, factum eſt Claudio imperij Romani habenas moderante. Huius famis ſub Claudio qui Caligulæ ſucceſſit, memine-

runt Chriſtiani, Iudæi, & Ethnici hiſtoriographi: vnde verò fames illa prouenerit, aut quæ huius cauſſa, nullus Scriptorum meminit. Nos verò non dubitamus famem fuiſſe flagellum Dei, quo & Ethnicorum & Iudæorum impietatem, & malitiam puniret, ſicque ipſos ad pœnitentiã conuerteret. Quòd verò cum impiis etiam pij fame crucientur, nihil miramur, non ignorantes diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Quare ſi hic puniuntur ac flagellantur, aut pro peccatis ſuis puniuntur, aut ſic illorum patientia probatur: qua probata, elegantiorem coronam à domino recipient. Cęterùm quare Agabus hanc duram ac diram famem prædixerit, ex ipſo Luca hiſtorico noſtro audite. *Diſcipuli autem prout quiſque habebat, propoſuerunt in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.* Ergo Agabus non prædixit futuram famem vt Antiocheni ſes ſeſe præpararent contra illam, colligendo ſcilicet & reponendo multa frumenta in futuram neceſſitatem: ſed ideo, vt iſti vitæ neceſſaria mitterent Chriſtianis, qui habitabant in Hieruſalem & fortè maiorem famem, maioréſque tribulationes perpetiebantur. Nam mihi fit veriſimile, nouos illos Chriſtianos qui erant in Iudæa, & præcipuè qui in Hieruſalem, non ſolùm à Iudæis flagellatos, ſed etiam bonis ſuis temporalibus ſpoliatos fuiſſe propter Chriſti religionem. Iam quoniam Iudæi maximè infenſi erant Chriſtianis qui à patriis legibus defecerant, facile creditu eſt, Chriſtianos parùm fuiſſe in illa fame à Iudæis adiutos. Quod quum Barnabas & Saulus non difficilè coniicere poſſent, haud dubiè perſuaſerunt Antiochenis Chriſtianis vt facerent, quod iam eos feciſſe Lucas teſtatur. Quid? non ſolos Antiochenos ad hoc beneficium & officium adhortatus eſt Paulus, ſed etiam Romanos & Corinthios, ſicut in epiſtolis Paulinis legimus. Nunc, inquit in Romanis, proficiſcor in Hieruſalem miniſtrare ſanctis. Probauerunt autem Macedonia & Achaïa collationem aliquam facere in pauperes ſanctos, qui ſunt in Hieruſalem: placuit enim eis & debitores ſunt. His verbis etiam ſollicitat Romanos ad eleemoſynarum largitionem. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis. Salus ex Iudæis eſt, inquit alibi

Hebr.10. *Roma.15.*

Chriſtus: & Apoſtoli Iudæi ſunt, per quos fa- ciatur gentibus. Iudæi ergo paſcunt Gentiles ter: dignum igitur eſt vt hi paſcant illos corpor. Venimus iam ad Corinthios, quibus de hoc eleemo negotio ſic ſcribit Apoſtolus: De collectis autem q ſunt in ſanctos, ſicut ordinaui eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrûm apud ſe reponat, recondens quod ei benè placuerit, vt non cum venero tunc collectæ fiant: cùm autem præſens fuero, quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Hieruſalem. Quod ſi dignum fuerit vt ego eam, mecum ibunt. Iam in Galatis ſcribit ſibi & Barnabæ ſpecialiter iniunctum, vt pauperum memores eſſent: quod etiam ſollicitus fui, inquit, hoc facere. Ex hoc loco originem ſumpſerunt collectores illi eleemoſynarum, quos vulgo terminarios & quæſtionarios vocant: ſed quantum illi à prima ſua inſtitutione degenerarint, dicere poſſemus, reformare non poſſumus. Iliacos peccatur intra muros & extra. Qui eleemoſynam facere, qui hanc accipere, & qui eandem diſtribuere debebant, profectò magna reformatione opus habent. Nos in fine huius capitis eius rei pulchrè admonemur. Boni viri ſunt Barnabas & Saulus, qui populos ad eleemoſynarum exhortationem ſollicitant, atque exhortantur. Deinde collecta eleemoſyna non quibuslibet, ſed ſenioribus mittitur, vt hi illam diſtribuant. Poſtremò hi diſtribuunt non neglectim, ſed magna diligentia, & non niſi egentibus. Qui iam reformatores Hoſpitalium & Noſocomiorum ſunt, ſic reformant, vt minor pars ad pauperes perueniat: qua de re forſan aliâs. Qui colophonem huius capitis cum hiſtoriis, quæ in 5. & 7. capite auditæ ſunt, contulerit, ſtatim inueniet regulam, iuxta quam Eleemoſynæ negotium ſit reformandum: nos de hac re in Timotheo noſtro nonnihil, & copioſius diximus. Galat. 2.

Et tantum de hoc capite.

CAPVT XII.

EOdem autem tempore miſit Herodes rex manus, vt affligeret quoſdam de eccleſia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.

Quamuis non dubitemus Eccleſiam Chriſti hactenus à voce diui Stephani, & à conuerſione Sauli non egiſſe in pace, tamen nihil violenti tentatum eſt contra Apoſtolos: non quod Iudæi vel Gentiles iam deſæuiiſſent, ſed quod Chriſtus manus illorum vſque ad hoc tempus cohibuerit. Sic enim temperat Chriſtus negotium eccleſię ſuę, vt & ipſius potentia, & diſcipulorum probetur patientia. In ſuperioribus ſæpè liberat Petrum & Ioannem, ſed non ita multò pòſt diſſimulat necem diui Stephani. Pòſt rurſum vires ſuas exerit contra Saulum tum perſequentem eccleſias, Pares hiſtorias hîc audiemus. Primum autem perſonæ noſcendæ ſunt, deinde quid egerint, diligenter conſiderandum eſt. Tres fuiſſe Herodes, vulgatiſſima fama eſt, quorum prior infantes, alter Ioannem, tertius Iacobum interfecit, tamen nullus illorum impunè quicquam deſignauit contra fideles domini. Iacobus porrò frater Ioannis fuit, filius Zebedæi & Salomæ, qui Iacobus cum fratre ſuo leguntur in Euangelio priores ſedes in regno Chriſti, quòd tamen temporale putabant fore, ambiiſſe. Ergo qui reliquis Apoſtolis præferri cupiebat, ante omnes alios Apoſtolos pro Chriſto martyrium ſuſtinuit, & calicem ſibi à Chriſto propinatum primus exhauſit. Iam ab initio rurſum expendamus ſingula. Eodem autem tempore iniecit Herodes rex manus, vt affligetet quoſdam de eccleſia. Quodnam tempus dicit? hoc nimirum, in quo vniuerſa terra maxima & intolerabili premebatur fame. Ergo impius ille rex non mitigatur generali omnium afflictione, nec ei ſatis eſt videre miſeros quaſi fame perire, niſi & violenta morte aliquos tollat. Et prius quidem Iudæorum primores tantùm ſæuiebant aduerſus Chriſti eccleſiam: iam verò rex ipſe, rex Herodes, rex truculentiſſimus. In quos vero ſæuire ſtatuit? In quoſdam, inquit, de eccleſia, hoc eſt, in viros ſanctos, pios, & innocentes. Quare non potiùs in Iudæos,

in gentes, in improbos & ſceleratos? Quia videlicet magis delectabatur malitia & impietate, quàm innocentia & religione. Vt autem videas impietatem & crudelitatem hominis, non in vulgares & plebeios homines ſæuit, non in diaconorum, ſed in Apoſtolorum collegium irrumpit, & occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio. Vide quàm ſimpliciter deſcribat Lucas celeberrimum diui Iacobi martyrium: non laudat Apoſtolum, nec vituperat regem, quum tamen vtrunque cum veritate facere potuiſſet. Atqui Lucas hiſtorias, non declamationes conſcribere inſtituit: ideóque rem ipſam fideli narratione conſignat, & lectori liberum rerum geſtarum relinquit iudicium. Quales animos in hiſtoriographis huius ſeculi non inuenies: ſic enim conſcribunt hiſtorias, vt dubites declamationes & inuectiúęne ſint, an hiſtoriæ. Cæterum Euſebius pulchrum quid refert contigiſſe in martyrio diui Iacobi, proditorem videlicet huius ſancti viri, antequam decollaretur Iacobus, etiam ad fidem Chriſti conuerſum, & cum diuo Iacobo decollatum fuiſſe. Dicit autem Euſebius ſe apud Clementem Alexandrinum hanc hiſtoriam reperiſſe. Declaratur verò hac hiſtoria, martyrio ſanctorum virorum non areſieri, ſed potius irrigari eccleſiam Chriſti. Et hæc quidem de ſancto Iacobo, quem oportuit fuiſſe magni nominis virum apud Chriſtianos, & talem, propter quem haud dubiè multi relicto Iudaiſmo ad religionem noſtram tranſierint: aliâs non fuiſſet primum omnium in hunc animaduerſum. *Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies Azymorum.* Hîc certè videtur Ethnica impietas cum Iudæorum ſuperſtitione, aut potius impietate certare. Vide enim quàm nullam cauſſam habeat Herodes conijciendi Petrum in vincula, multo minus occidendi eum. Et prætexit Herodes haud dubiè aliquam cauſſam, forſan ſeditionis, aut læſę maieſtatis: ſed nos credimus Lucæ noſtro ſcribenti, quòd Herodes hac tyrannide & effuſſione innocentis ſanguinis gratificari voluerit Iudæis, ſperans nimirum ſe aliquid muneris ab ipſis accepturum, vel ad minus ſe poſthac quietius apud illos victurum. Nam Iudæi valdè inſidiabantur tum profanis & Ethnicis ſuis magiſtratibus, & ſubinde falſò illos apud

Hiſtoriographi officium.

Lib. 2. ecc. hiſto. cap.

Romanum Imperatorem deferebant. Hoc igitur non ignorans Herodes, & intelligens nulla re magis delectari Iudæos quàm perditione Chriſtianorum, proponit ſæuire ac tyrannidem ſuam exercere in capita Chriſtianorum, hoc eſt, in Apoſtolos ipſos, vt ſic peſſundatis paſtoribus oues diſpergerentur. Cæterùm ſicut feſtum paſchæ Chriſti paſſioni obſtabat, ita & iam remoratur, quantum quidem in Herode & Iudæis erat, paſſionem Petri. Nam dum ſuper hac tyrannide perficienda ſollicitus erat Herodes, erant dies azymorum, feriæ nimirum Iudæorum: qui in huiuſmodi feſtiuitatibus manum quidem abſtinebant ab homicidio, ſed interim nihil aliud niſi cædes & ſanguinem voluebant animo. Audiuimus igitur peſſimum Herodis propoſitum & ſanguinolentum conſilium, quo ſtatuit Apoſtolorum principem perdere: hîc autem diſcant homines Chriſtiani patienter ferre, ſi quãdo innocentes in gratiam malorum iniuriam aut damnum aliquod ſuſtinere cogũtur. Habet hîc mundus multos Herodes, qui malunt malè quàm benè faciendo gratificari hominibus. Sed audite reliqua. *Quem (Petrum) cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradénſque quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum, volens poſt paſcha eum producere populo.* Ergo nemo prohibuit tam nefandum conſilium Herodis, nemo impediuit peſſimum hoc facinus. Eſtne hæc iuſtitia, hominem ſanctum, pium, innoxium nemini malefacientem, ſed de omnibus benè meritum capi, in carcerem corripi, vinculis conſtringi, tam fortiter cuſtodiri, non in aliud niſi vt occidatur? Dij boni, quot boni viri tantam iniuriam ſuſtinuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ, & hoc ob confeſſionem nominis Ieſu Chriſti? & nos non pudet tam ignaros eſſe, vt vel ob vnicum promiſſum teruntium abnegemus fidem noſtram? Cæterum tu hîc vide furorem pariter ac timorem Herodis. Furor eſt quòd ſanctum virum capit, vinctúmque catenis in carcerem coniicit: timoris verò eſt, quòd illum tam fortiter ac diligenter cuſtodiri facit. Quid enim opus eſt tanta cuſtodia pro vnico cuſtodiendo homine? & homine inermi atque omnia pro Chriſto pati velle paratiſſimo? Certè non eſt cur Herodes Iudæos, aut Ethnicos, aut Chriſtianos timeat, Iudæi non ſeruare, ſed per-

Admonitio.

dere Chriſtianos cupiunt: Ethnicis gratum eſt ſpectandum videre Chriſtianum in gratiam crucifixi mortem ſubire cruentam: Chriſtiani verò non didicerunt violenta manu Magiſtratibus repugnare, ſed omnibus poteſtatibus ſubditi eſſe. Quòd ſi Herodes poteſtatem ac potentiam Dei timet, nulla erat opus cuſtodia. Nam Deus qui antea Petrum & Ioannem ex carcere liberarat, etiam inuitis Iudæorum primoribus adhuc viuit, nec manus illius abbreuiata eſt: hoc quod non ita multo plus audiemus. *Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.*

Hæc Lucæ verba,

Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Cum magna emphaſi & pronuncianda & intelligenda ſunt. Videtur enim hæc Lucas magno animi ſuo affectu hæc ſcripſiſſe, ac ſi diceret: Petrus ille bonus, ſanctus, iuſtus & innocens in carcere reſeruatur, in quem non niſi homines malefici vinciri & poni debebant. Quid verò interim populus Chriſtianus? Hoc quod vnicum licebat, orabāt ſcilicet Deum, vt ipſe Petro aſſiſteret, ne quid in præiudicium Eccleſiæ deſignaret. Neque enim conueniebat, vt ſeditione ſiue conſpiratione facta, violenta manu, Petrum ex carceribus liberarent, nec dignum fuerat Chriſtiana profeſſione, regi pro liberatione Petri ſupplicare: nam ſic viſi fuiſſent nihil velle periclitari pro nomine Ieſu. Cæterum orationem Eccleſiæ non fuiſſe vanam ſiue fruſtraneam, res ipſa ſtatim clamabit. Si enim vnius iuſti oratio multum valet, quid non valerent, quídue non impetrarent multæ multorum iuſtorum orationes? Habemus igitur hoc in loco exemplum communis orationis, quomodo ſcilicet vniuerſa vnius ciuitatis Eccleſia pro vno homine Deo ſupplicat: hoc quod certè confratribus noſtris debemus, maximè verò & potiſſimùm illis, qui præ aliis toti Eccleſiæ publicis officiis inſeruiunt. Hinc eſt quod diuus Paulus ferè in omnibus epiſtolis ſuis fidelium preces ambit, tum vt ipſe ab infidelibus liberetur, tum etiam & ſermo Dei currat. Et in ea quæ prior eſt ad Timothæum epiſtola, præcipit orare pro regibus, pro principibus, & pro omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti. Quam Pauli admonitionem vtinam hoc periculoſo tempore diligen-

2.Theſſa.3.

Hic inuehē-tum in eos, qui peſſime quæque in Cæſares di-cunt.

ter audiremus. Sed ex his paucis ipſi plura coniicere poteritis, non ignorantes æquum eſſe, quòd fratres pro fratribus, membra pro membris inuicem debeant eſſe ſoluta.

Cùm autem producturus eum eſſet Herodes. in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.

Nihil interim mitigatus eſt Herodes Petri incarceratione, ſed in propoſito manet: nam tyranni nunquam ſatiari poſſunt innocentum ſuppliciis, quãtumuis iniuſtis: ſæpius etiam impletur & fit, quod ille ſimilitudine innuit, Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas. Non eſt incredibile multos fuiſſe latrones & nebulones Hieroſolymis, qui omnia ex voto ſuo, & impunè tamen fecerint: at malis hominibus dimiſſis, bonus Petrus in carcere cuſtoditur. Nec impatienter hoc fert Petrus, non ignorãs paulò antè Barnabam inſignem latronem Chriſto omnium innocentiſſimo fuiſſe prælatum, hunc crucifixum, illum verò libertate donatum. Tu verò mihi vide quàm bene cuſtoditus ſit Petrus, ne elabatur ex manibus Herodis. In carcere iacet, vinctus eſt, non vna ſed duabus catenis, iacet inter duos cuſtodes, qui ſcilicet eum cuſtodiant, ne per terram effodiat, ſicque quaſi ſubterraneos cuniculos elabatur. Sunt & duo cuſtodes extra carcerem ante oſtium excubantes: ergo impoſſibile eſt, vt Diuus Petrus è manibus Tyranni elabatur. Quid igitur Diuus Petrus interim? nihil turbatur, non deſpondet animum, non cogitat quomodo effugere poſſit, vel quid coram tribunali poſitus reſpondere, ſéque defendere velit: ſed ſuauiter dormit, interim omne negotium hoc Deo, cuius etiam erat, fideliter commendans. Sed iam audite, quantum Herodes profecerit diligenti ac forti ſua cuſtodia.

Chryſoſtom' libi ſcilicet tiã hos duos milites fuiſſe vinctos.

Et ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſóque latere Petri, excitauit eum dicens, Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum, Præcingere, & calcea te caligas tuas: Et fecit ſic. Et dicit illi, Circunda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verũ eſt quod fiebat per Angelum: exiſtimabat autem ſe viſum videre.

Hæc omnia indicant Tyrannorum potentiam aut potius violentiam merum & inanem eſſe fumum, ſi poten-

tiæ Dei illam opponamus. Videmus enim hoc in loco omnem Herodis conatum fruſtrari, omnem violentiam illius à Deo irrideri. Quid valet carcer? quid catenæ? quid oſtia? quid cuſtodes? vnus adeſt Angelus, qui omnia illa euaneſcere facit: nec hoc mirum nobis eſſe debet. Si enim vnus angelus olim in exercitu Sennacherib in vna nocte cētum octoginta quinque millia hominū occidit, non mirum eſt quòd vim militū ſiue cuſtodum horum non curauit. Et vt intelligamus fortitudinem Angeli & quomodo cuſtodes penitus contempſerit, nihil tacitè agit Angelus, ſed omnia apertè ac liberè. Exſuſcitat Petrum, iubet vt ſuis veſtibus induatur, cadūt catenæ de manibus, non eſt qui vel Petro vel angelo repugnet: quid igitur hîc aliud diſcimus, niſi quòd dominus potens eſt ſuos eripere ex grauiſſimis periculis, ſi quando nouit hoc ad ædificationem Eccleſiæ ſuæ facere? Videmus item quod Dominus aliquando ſuos permittit capi & affligi, ac ſi omnino nullam eorum curā ageret: verùm in extremo ſubinde periculo ſuis adeſt, & tarditatem illam mirabili ſua potentia compenſat. maius enim miraculum eſt ſic liberare Petrum, quàm cauere ne capiatur Petrus. Quomodo verò factū ſit vt catenæ caderent, cuſtodes nihil viderent, quis eloqui poſſet? Quod factum ſit credimus, quomodo verò factum ſit plane ignoramus: quis enim poſſet rationem dare miraculorum domini? Quî factum eſt quod piſcis ille magnum Ionam non deuorauerit & perdiderit? quis explicabit nobis, quomodo ignis ille Chaldaïcus neque veſtes, neque capillos trium illorum puerorum læſerit? Breuiter dicam, Creatura omnis non valet miniſterium ſuum negare creatori, ſed cogitur facere quæ ille vult. Sed videamus reliquum hiſtoriæ.

4. Reg. 19
2. Paral

Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum vnum, & continuò diſceſſit Angelus ab eo.

Hæc omnia eò dicuntur, vt intelligamus Deo nihil poſſe obſiſtere, quo minus ſuos ex omnibus periculis liberare valeat. Si liberare vult Iſraëlitas, nihil ipſius conatum impedire poteſt: non Pharaonis potentia, non maris rubri impetus, ſed omnia coguntur obedire Deo, & huius

dilectis famulari. Si ſaluare vult Bethuliam, vna honeſta mulier triumphum ab hoſte reportat: ſi debellanda eſt Hiericho, neceſſe eſt ad ſonum tubarum omnes muri illius cadant. Hæc autem ad noſtram doctrinam & adhortationem pertinent, vt diſcamus neminem magis quàm Deum timere, cuius voluntati, nedum poteſtati nemo reſiſtere poteſt. Videmus certè quàm ſecurus Petrus omnes cuſtodias pertranſeat, item quot etiam ferrea porta illi cedere cogitur. Sed hac de re iam ſępius. Cæterùm quòd Angelus à Petro diſcedit, non miremur: nam Angelorum eſt, vt perfectis & abſolutis ſuis negotiis, poſtea ad Deum ſuum redeant (eius rei exẽplis ſcriptura abundat) non quòd Angeli porrò omnes à nobis diſcedant, ſed quòd non cõtinenter nobis viſibiliter miniſtrant. Nam vnicuique homini Chriſtiano propriũ ſuum eſſe Angelum, perpetuum & conſtans eſt Eccleſiæ dogma: qua de re non ita multò pòſt. *Et Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exſpectatione plebis Iudæorum.*

Paulò antè auditum eſt Petrum ignoraſſe quòd verè liberaretur, ſed putaſſe ſe viſum videre quo quid aliud ſignificaretur: ſicut ſuprà velum illud de cælo ad ſe mitti vidit. Exemplis res manifeſtior euadet. Pincerna ille in carcerem à Pharaone Aegyptiorum rege coniectus, per ſomnum videbat vitem in qua erant tres propagines, paulatim creſcere in gemmas & poſt flores vuas matureſcere, item ſe calicẽ Pharaonis in manu habere, illúmque vini ſiue muſti liquore impletum Pharaoni offerre: hęc, inquam, ſic videbantur Pincernæ fieri, quæ certè magis figurabantur quàm fiebant, hoc quod non ſolum ille ex interprete ſomniorum Ioſepho, ſed ex iis, quæ poſtea facta ſunt, intelligebat. Similem viſionem etiam putabat ſe Petrus videre, quum tamen non viſionem, ſed rem ipſam videret. Iam rurſum Petri verba mecum expendite. Putabam, inquiebat, apud me viſionem aliquam videre, atque adhuc me captiuum in carcere cuſtodiri: nunc autem verè intelligo atque reipſa experior, quod vincula & carceres Herodis effugerim, non quidem ope humana, ſed virtute diuina. Dominus enim miſit Angelum ſuum, non vt perderet Herodem & huius complices Iudæos: ſed vt me liberaret de

poteſtatę & tyrannide Herodis, & Iudęi peſſima ſua ſpe fruſtrarētur. Nam Herodes nihil aliud cogitauit, & Iudæi nihil aliud ſperârunt, quàm me de terra tollere: atqui Deo viſum eſt me diutius eccleſię ſuæ prçeſſe. Quærat forſan hîc aliquis quare Deus Petrum liberârit, Iacobum verò occidi permiſerit? huic pauciſſimis reſpondemus, in paſſione & morte Diui Iacobi apparuiſſe ipſius fortitudinem, & ſic Chriſtianis exemplum prçlatum, ne metu mortis aut ſpe huius vitæ deficiant à ſemel ſuſcepta Chriſti fide: in liberatione verò Petri oſtenſum eſt quòd dominus, ſi modo velit atque è re ſuæ eccleſiæ fuerit, fideles ſuos ab omnium tyrannorum violentia eripere ac ſaluos conſeruare poſſet. Quare admoniti fideles, etiam in grauiſſimis periculis non debent deſpondere animos. Sed hac de re, ni fallor, etiam in ſuperioribus nonnihil diximus.

Conſiderânſque venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, vbi erant multi congregati & orantes.

Quòd populus Chriſtianus de morte Petri ſollicitus pro illo orauerit, in ſuperioribus auditum eſt: hæc autem oratio, vt putamus, non latuit Diuum Petrum. Apud ſemetipſum igitur primum conſultans quid faciendum, cogitat in domo Marię illius congregatam eſſe multitudinem, & ipſius nomine contriſtatam. Commodum igitur putat & ſe decere, vt illam ſanctam ſocietatem primum alloquatur & ſua præſentia conſoletur: nam pios illos homines in magna fuiſſe triſtitia, nihil dubitamus. Cogitabāt enim quantum periculi immineret Chriſtianæ religioni, ſi Herodes ſic pergeret, trucidando optimos & ſupremos Chriſtianiſſimi Paſtores: nec aliud cogitare poterant, quàm tyrannidē illam, niſi Deus obſiſteret, non ceſſaturam, donec in vniuerſum omnes perderent Chriſtianos. Sinit enim aliquando Deus etiam ſuos dilectiſſimos aliquantulum periclitari, vt ipſorum fides & patiētia probetur. Fidelis autem eſt, vt non ſinat nos vltra quàm ſuſtinere poſſumus, à perſecutionibus diuexari: hoc quod in Petro & populo hoc Chriſtiano videmus. Et ô felicem hominum conuentum, vbi conuenitur non ad excitandum ſeditiones, non ad comeſſandum, ſed ad orandum. Iam alij ſunt Euangelicorum illorum conuentus, videlicet in hoc inſtituti; non vt ſeruemus, ſed vt perdamus fratres noſtros.

1. Cor. 10.

Quales conuētus deceāt Chriſtianos

Sed videamus quæ vltra ſint geſta. *Pulſante autem eo ad oſtium ianuæ, proceßit puella ad videndum, nomine Rhode. Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, ſed introcurrens nunciauit ſtare Petrum ante ianuam. At illi dixerunt ad eam, Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant, Angelus eius eſt.*

Non ſemper ſunt expectanda miracula.

Etſi hæc omnia aperta & familiaria videantur, tamen diligenter expenſa, habent multa notatu non indigna. D. Petrus quem paulò antè nulla vincula, nullæ catenæ, nullæ portæ ſiue ligneæ ſiue ferreæ prohibere vel remorari potuerunt, iam non poteſt ingredi ad ſuos diſcipulos, niſi ipſi aperiantur fores domus illius. Quid enim opus eſt miracula facere, vbi ad id quò indigemus impetrandum, humana ſuppetunt media? Et ſi Apoſtoli omnia miraculoſè feciſſent, pro veris, hoc eſt, naturalibus hominibus habiti non fuiſſent. Ergo abſente angelo, iam non patent Petro fores vltro, ſed cogitur pulſare, vt aperiēte alio ipſe intrare queat. Quod verò Rhode illa præ gaudio non aperit primum, ſed ante omnia reliquæ familiæ Petrum adeſſe nunciat, argumentum eſt magnæ dilectionis, qua Diuum Petrum proſecuti ſunt omnes qui in domo illa erāt: hócque nomine meritò à nobis cōmendantur. Nam qui præceptores & doctores ſuos non amant, quem tandem ſeriò amabunt? Iam de incredulitate familiæ eius quæ non credebat Petrum adeſſe, nihil aliud dicamus, quàm illa ipſa & Dei patientiam, & Herodis ſæuiſſimam crudelitatem ſignificari. Nihil enim dubitauerim pios illos homines nō dubitaſſe, quin Chriſtus Ieſus omne Petri negotium in meliorem partem eſſet verſurus: ſed de tam mirabili liberatione nihil cogitauerant. Nam miraculum erat grande potiſſimum hoc nomine, tum quòd Petrus è carcere liberari, tum etiam quòd ciuitatē ingredi, & ad hanc domum illęſus & hoc noctu, per tot cuſtodias venire potuerit. Adde (quod citius ſperandum ſiue credendū fuerat,) Petrum ſic liberatū potius fugiſſe, quàm intraſſe Hieroſolymam. Quid porrò dicemus de illo quod familia illa non credens Petrum liberatum, dicit Angelum ipſius eſſe? nam nō immeritò hîc quæritur, vnde in hanc opinionem venerint. Niſi enim non tale quid de hominum angelis prius credidiſſent, de angelo Petri nihil tale dixiſſent. Verum eſt, vt Chry-

Magna huius familiæ in Petrū ↄſle [*Dubitarunt de Petri liberatione.*]

vt Chryſoſtomi vtar verbis, quod vnuſquiſque proprium habeat angelum. Et nos in euangelio audiuimus Chriſtum dicentem, Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis qui in me credunt. Dico enim vobis, quod Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt. Et D. Hieronymus in Matthæum ſcribens dicit: Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habuit ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui angelum deputatum. Et hæc quidem vera eſſe nemo Chriſtianorum dubitare debet: an verò talis angelus apparere ſoleat viſibili quadam ſpecie, & præcipuè eius cui deputatus eſt ſpecie, mihi pro certo non conſtat: nec eius rei mihi iam aliquod ſuccurrit exemplum. De aliis verò angelorum apparitionibus in humana ſpecie, multus eſt ſermo in ſacris ſcripturis. Aduerſarij noſtri hoc in loco cauent, ne putemus hîc mentionem fieri ſpirituum ſiue animarum poſt mortem hominum apparentium, quos ipſi non hominum ſpiritus, ſed Cacodæmonas putant. Ego verò ſicut negare non poſſum multa conficta fuiſſe de ſpiritibus illis humanis obambulantibus & apparentibus: ita dubitare non poſſum, quin hominum ſpiritus ſubinde aliquibus appareant, & olim apparuerint: hoc quod multis adeóque certiſſimis hiſtoriis comprobari poteſt. Nec latere poteſt aduerſarios, quòd hoc perpetuò creditum fuerit in populo Dei, tam in veteri quàm in nouo teſtamento. In libris Regum & Machabæorum eius rei non vnicum tantùm habes exemplum. Et Apoſtoli apparente ipſis Ieſu, putabant ſe ſpiritum videre: certè non ſpiritum malum, ſed ſpiritum Chriſti bonum. Sed hæc ſuffecerint.

Vnde coniectarint eſſe angelum Petri.

Petrus autem perſeuerabat pulſans. Cum autem aperuiſſent oſtium, viderunt eum, & obſtupuerunt. Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit quomodo dominus eduxiſſet eum de carcere, dixítque eis: Nunciate hæc Iacobo, & fratribus. Et egreſſus abiit ad alium locum.

Non poterat pius Apoſtolus Petrus ægrè ferre, quòd ad primum pulſum ipſi non ſtatim aperiretur oſtium: nam ſciebat ſe non exſpectari à fratribus, ſciebat etiam in quanta trepidatione eſſent ob crudelitatem & tyrannidem Herodis. Adde quòd nocturno tempore non libenter ſolemus oſtia domus noſtræ aperire, & omnes pulſantes citra

Petri ciuilitas. delectum intromittere. Ciuilior igitur erat Petrus, quàm quidam huius ſæculi homines, qui omnia in deterrimam partem interpretantur. Quòd verò pij homines ad conſpectum Petri obſtupeſcunt, humano more fit, & argumento eſt, Petrum ſeriò fuiſſe captum, & iam præter omnem exſpectationem liberatum. Narrat autem Petrus modum ſuæ liberationis, ne ipſe videatur vel volente Herode liberatus, vel alio aliquo aſtu effugiſſe: ſed potius vt intelligant hanc liberationem non hominibus aliquibus, ſed Deo acceptam ferendam. Pulchrè verò ſcribit Lucas Petrum narraſſe, quomodo Dominus ipſum de carcere eduxerit, non quomodo Angelus illum eduxerit, vt rurſum ſcilicet omnis gloria tribuatur Deo. Nam ipſe Dominus nobis benefacit, ſiue miniſterio angelorum, ſiue diuorum, ſiue hominum in his terris viuentium nobis benefaciat. Ipſe enim fons eſt bonitatis, vnde omnia bona emanare ſolent: qua de re forſan alibi. Cæterùm quòd Petrus liberationem ſuam nunciari iubet aliis quoque fratribus, Iacobo in primis Alphæi, qui tum (vt referunt) Hieroſolymorum epiſcopus fuit, charitatem, & vnum totius eccleſiæ ſenſum nobis commendat: vt iuxta Pauli verbum eodem ſimus animo, eadem mente & ſententia, gaudeamus cum gaudentibus, & lugeamus cum lugentibus. Præterea vult potentiam & beneficentiam Domini multis innoteſcere, vt & ipſi Deum inuocent in neceſſitatibus, & gratias agant liberatori. Poſtremò quòd Petrus in alium locum abit, ſuo exemplo docet aliquando impiorum furori cedendum eſſe, non metu mortis, ſed ad ædificationem eccleſiæ nos ſeruare cupientes: qua de re áliâs diximus. Sed quid poſteà factum eſt?

Quare Petrus liberationem ſuam fideliter narret.

Roma. 12. Philip. 2. 1. Cor. 12.

Impiorum furori aliquandò cedendū.

Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites, quidnam factum eſſet de Petro. Herodes autem cum requiſiſſet eum & non inueniſſet, inquiſitione facta de cuſtodibus, iuſſit eos duci: deſcendénſque à Iudæa in Cæſaream, ibi commoratus eſt.

Non poterant milites non turbari ob elapſionem Diui Petri, vt qui non ignorabant crudelitatem & ſæuitiam regis ſui, qui ſemel concepto furore non minus in pios, quàm in impios ſæuire ſolebat. Igitur etiamſi milites ſcirent ſua culpa factum non eſſe, quo minus Petrus adhuc

in vinculis teneretur: tamen ſecuri eſſe non poterant, ſed potius animo præſagiebant, quæ poſteà Herodes contra illos egit. Herodes enim non inuento in carceribus Petro, animaduertit in milites, qui ad cuſtodiendum Petrum poſiti fuerant. Quæ autem hæc eſt crudeliſſimi Tyranni iniquitas ſic ſæuire in innocentes? Nam humanus rex non poterat intelligere, quidquid hîc circa Petrum factum eſt, non humana aſtutia, ſed Dei prouidentia ac potentia factum fuiſſe. Ecce enim vincula erant, cuſtodes intus, carcer clauſus, nuſquam perfoſſus paries, vi rapi non potuit. Nec veriſimile eſt, milites pecuniis à Petro corruptos ipſum liberaſſe. Nam quum Petrus non habuit vnde daret mendico eleemoſynam, quomodo haberet pecuniam ad corrumpendum cuſtodes? Adde ſi cuſtodes ſibi alicuius mali fuiſſent conſcij, nequaquam permanſiſſent vſque ad inquiſitionem, ſed aufugiſſent. Magna igitur eſt iniquitas Herodis, à cuius exemplo ſibi meritò cauere debent omnes pij principes. Sed dicet hîc aliquis, Quare Deus Petrum liberans, milites in tantum periculum coniecit? Etſi eius rei multas cauſſas recenſere poſſem, tamen malo illud Apoſtoli dicere, Qui es tu qui reſponſas Deo? Iuſtus eſt Dominus, & rectum iudicium ipſius: iuſtus, inquam, eſt Dominus, & omnes viæ eius veritas. Tu forſan opinaris Deum permiſiſſe, vt innocentes iniuſtè trucidarentur: atqui quàm innocentes eſſe potuerunt homines Idololatræ? Quòd ſi maximè innocentes etiam fuiſſent, non erat mirum, etiamſi permitteret Deus Herodem in innoxios ſæuire. An non innocens fuit Diuus Iacobus, iuſſu impij regis decollatus? an non multi innocentes propter Chriſtum occiſi ſunt? Verùm non iniquè commutauit, qui pro temporali vita æternam felicitatem accepit. Cæterùm quòd ad hoc militum ſupplicium attinet, diſpenſatione diuina puniuntur: primum vt Dominus & Deus noſter hoc exemplo declaret, ſupplicium quod meditantur impij in pios, in caput impiorum redundaturum, & pios ex omnibus afflictionibus liberandos. Deinde torquentur cuſtodes & ducuntur ad ſupplicia, vt miraculum Petri manifeſtetur amplius: hoc quod etiam cum cuſtodibus ſepulchri Domini factum eſt. Sed hæc plus ſatis.

Acto. 3.
Pſalm. 118
Pſal. 144.
Pſalm. 24
Quare permiſerit Deus flagellari milites.

Erat autem iratus Tyriis & Sidoniis. At illi vnanimes venerunt ad eum, & perſuaſo Blaſto, qui erat ſuper cubiculum regis, poſtulabant pacem, eò quòd alerentur regiones eorum ab illo.

Cauſſa inimicitiæ inter Herodem & Tyrios incerta.

Meritò hîc quiſpiam cogitat quid ſibi Lucas cum hac hiſtoria velit, & quam ob cauſam Herodes Tyriis & Sidoniis, hoc eſt, viciniis ſuis infenſus fuerit. Ad poſtremam quæſtionem primo reſpondeo, ex certis hiſtoriis non conſtare, quæ cauſſa fuerit huius diſcordiæ ſiue inimicitiæ inter Herodem & vicinos ſuos. Atqui ea eſt huius ſeculi infelicitas, vt rariſſimè vicini inter ſe per omnia & ſemper conueniant: maximè verò potentibus inimicantur, quum potentes vnuſquiſque ſolus vult habitare ſuper terram, & iuxta Prophetam coniungere domum ad domum. Quid verò hæc hiſtoria ad nos? vt nimirum intelligamus Herodem non ſolis Chriſtianis, ſed etiam aliis & potiſſimum vicinis ſuis moleſtum fuiſſe. Cæterùm Tyrij & Sidonij, ſiue meritò ſiue immeritò hanc inuidiam incurrerint, Herodis offenſam ſuſtinere nõ poterãt. Proinde per mediatorem Blaſtum, quem forſan pecunia corruperant, poſtulabant pacem: certè non facturi, niſi beneficiis Herodis eguiſſent. Nam regiones eorum alebantur beneficio & annona Herodis. Quòd ſi hîc illis negaſſet frumenta & alia victualia, fame fuiſſent conſumpti. Ergo quod pacem poſtulant, non amoris & beneuolentiæ eſt, ſed neceſſitatis. Porrò per Blaſtum hunc pacem facilè impetrârunt, quoniam ille erat regi charus, nimirum ipſi à cubiculis. Et hæc eſt deſcriptio aulæ regum, ad quos nemo peruenire poteſt, niſi per tales internuncios, pecuniis ſiue aliis donariis benè corruptos. Nos porrò hæc peſſima exempla fugiamus, & quantum fieri poteſt, cum omnibus hominibus pacem habeamus: non ventris noſtri, ſed Chriſti domini noſtri gratia. Sequitur in ipſo contextu.

Eſa. 5.

Aulæ principis quales.

Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: populus autem acclamabat, Dei voces & non hominis. Quæ hoc in loco ab hiſtoriographo noſtro pauciſſimis perſtringuntur, ab aliis hiſtoriographis Ioſepho ſcilicet & Euſebio copioſiſſimè conſcripta ſunt. Sic enim ſcribit Ioſephus, Herodem veniſſe in Cæſaream quæ prius dicta fuerat turris Stratonis, ibíque ad honorem Cæſaris pro eius ſalute ſpectaculum exhibuiſ-

Lib. 19. cap. 7.

ſe. Ad quam feſtiuitatem, eius prouinciæ multitudo nobilium ſimul & procerum vna conuenerat. Secunda verò ſpectaculorum die ſtola veſtitûs vndique argẽto contexta, ita vt textus eſſet valde mirabilis: venit ad Theatrum incipiente die, & primis radiis Sole oriente demiſſis, argenti claritas repercuſſa, fulgorem reddidit valde perſpicuum & oculis inſpicientibus formidandum. Mox autem adulatores voces fauorabiles emittebant, quæ nec illi bonæ pro veritate videbantur, Deum ſcilicet appellantes eũ, &c. Hæc Lucas ſic exprimit: Populus autem acclamabat, Dei voces & non hominis. Hoc eſt, Deum aliquem, non hominem audimus loqui. Ioſephus porrò ſcribit populum ſic acclamaſſe, Propitius nobis eſto, quia licet hactenus te velut hominem timuerimus: attamen iam nunc ſuperioris naturæ te eſſe conſpicimus. Vide mihi hîc quæ in hoc rege condemnentur. Primum immodicus veſtium luxus, qui profectò in nullo prudenti, nedum Chriſtiano homine probari poteſt. Videmus certè hunc luxum quaſi luem quandam totum mundum corripuiſſe & corrupiſſe, ita vt nuſquam non triumphare videatur. Dij boni quantorum malorum hîc luxus cauſſa eſt, quot familias porrò perdit? Sed nihil amplius addam. Secundò in hoc rege accuſatur arrogantia, qua motus adulatores nõ repulit. Nam adulatorum voces, vt Ioſephus ſcribit, rex nequaquam compeſcuit, nec impia eorum verba compreſſit: ſed quam huius arrogantiæ pœnam dederit, ſtatim audiemus.

Confeſtim autem percuſſit eum Angelus domini. eò quòd non dediſſet honorem Deo: & conſumptus à vermibus exſpirauit.

Ioſephus ſcribit Herodem tali morbo correptum ſtatim ad amicos dixiſſe, Ego Deus veſter iam vitam mutare cõpellor. Repente namque increpitus ſum, cum mendaces ad me clamarent. Nam qui vocabar immortalis à vobis, ecce iam ducor ad mortem. Suſcipienda eſt ſententia, quæ profertur à Deo, &c. Videmus igitur quàm grauiter punire ſoleat dominus arrogantiam eorum, qui adulatorum mendaciis libenter aures accommodant. Nec ſuam temeritatem impunè ferent adulatores, quorum tamen vbique magna eſt multitudo, potiſſimum verò in aulis Principũ, & locupletiorum ciuium ædibus. Nuſquam verò magis regnat adulatio, nuſquã maior cernitur arrogantia, quàm

apud Euangelicos illos qui tamen nuſquam non in aliorũ faſtum inuehuntur. Apud Euãgelicos certe miſellus Scultetus & audit & ſibi videtur Cæſar, Rex, Princeps: ſic plebanus ruſticus aut potius impius Apoſtata, Papa vel Epiſcopus dici cupit. Vtinam audiremus potius illud Sapientis, Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur. Et alia ſcriptura dicit, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Sed rurſum inſpiciamus verba Lucæ: Confeſtim, inquit, percuſſit eum Angelus domini. Vides, Angelus domini liberat Petrum, & Angelus domini percutit & flagellat Herodem. Satis iam diu connixit dominus ad tyrannidem Herodis, ſed ad tantam arrogantiam & ſacrilegium ſilere nõ poteſt. Satis graue eſt tyrannidem contra innocẽtes exercere: at hoc nomine etiam gloriari & velle laudari, hoc intolerabile malũ eſt. Ne dixeris, inquit Ieſus Syrach, Quis me ſubiiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus eſt enim patiens redditor. Et alius dicit, Audite Reges & intelligite, diſcite iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à domino poteſtas vobis & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum legẽ Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. eius generis ſententiæ & exẽpla ſunt in ſacris & profanis litteris multa, quę docẽt quàm grauiſſimè ſoleat dominus impiorum principum tyrannidem & arrogantiam punire: & Dei iudicio principes mali continendi ſunt, non à minoribus corripiendi. Nam ſimulatque permittitur inferioribus iudicium contra ſuperiores, exulabit omnis obedientia: nihil manebit ſuo loco, ſed perpetuũ omnibus rebuſpublicis adueniet exitium. Sed hac de re iam ſæpius diximus. Secundò ſcribit Lucas ideo periiſſe Herodem, quòd non dediſſet honorem Deo, hoc eſt, non fuiſſet punitus Herodes, niſi ſibi ob adulatorum verba placuiſſet, eáque libenter audiſ-

Eccle. 3.

Eccle. 5.

Sapien. 6.

ſet. Melius certè fuiſſet admiſiſſe eos qui ipſum reprehendiſſent ob neglecta bona opera, quàm qui eum laudârunt ob malefacta. Tertiò deſcribit Lucas, qua pœna Herodes perierit: Conſumptus, inquit, à vermibus, expirâuit. Ergo qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur, qui multa mala inflixit Dei amicis, ille non poteſt ſemetipſum defendere à vermibus: qua pœna certè Deus Herodis faſtum irridere voluit. Multo enim miſerabilius eſt interimi à minimis eiuſmodi animalculis, quàm ab omnibus, vel à magnis illis beſtiis, vrſis vel leonibus. Sic Pharao ille Ægyptius tyrannus à Cinificibus flagellatur, qui tamen putabat ſe etiam toti mundo præualere. Sed videamus ſequentia. *Verbum autem Dei creſcebat & multiplicabatur.* Hæc ideo adiicit Euangeliſta, vt intelligamus Eccleſiam Chriſti propter tyrannidem Herodis non fuiſſe diminutam: & vt ſciamus multo plures ad religionem noſtram acceſſiſſe, poſtquam viderunt infelicem & miſerum interitum Herodis, volentis Chriſti Eccleſiam opprimere, & Petri audientes miram & inſperatam liberationem. Impoſſibile enim eſt Eccleſiam Chriſti, quæ ſupra firmam petram ædificata eſt, ſuccumbere.

Barnabas autem & Saulus reuerſi ſunt ab Ieroſolymis expleto miniſterio, aſſumpto Ioanne qui cognominatus eſt Marcus.

Vide quam breuiſſimè omnia ſcribat diuus Lucas. In ſuperioribus dictum eſt Antiochenos eleemoſynam miſiſſe in Hieruſalem, & hòc per miniſterium Barnabæ & Pauli: iam ſcribit, iſtos, poſtquam officium ſuum compleuerint, rurſum relicta Hieruſalem ad Antiochenam Eccleſiam rediiſſe. Neque hîc ſcripſit quomodo ſancti illi duo Apoſtoli à fratribus Ieroſolymitanis excepti fuerint, vel quid Apoſtoli amplius ibidem egerint: vnde ſatis imprudenter ne dicam impiè, nihil de Apoſtolis & eorum actionibus recipere voluit, niſi quòd Canonicis ſcripturis probari poteſt. Cæterum diſcamus exemplo Barnabæ & Pauli, ne pauperes Chriſti ſua defraudemus eleemoſyna, ſed eis demus quæ illis conſtituta & ordinata ſunt: diſcamus & nos Eccleſiæ paſtores, ne res friuolas & vanas ſectantes, diu relinquamus oues curæ noſtræ demandatas. Nam hîc videmus Apoſtolos, ſimulátque miniſterium ſuum Hieroſolymis impleuiſſent, ſtatim Ec-

cleſiam ſuam Antiochenam rediiſſe: nec ſolos rediiſſe, ſed ſecum aſſumpſiſſe Ioannem illum cognomine Marcum, nimirum vt & iſte operam ſuam locaret Eccleſiæ. Oportet enim ipſum fuiſſe egregium hominem, quem Apoſtoli ſua dignati ſunt ſodalitate. & fuit haud dubiè diligens ac fidelis diui Petri diſcipulus: hoc inde coniicimus, quod diuus Petrus multam familiaritatem cum matre ipſius & tota familia habuiſſe ex ſuperioribus probatur. Audiuimus enim Petrum ex carcere miraculoſè ereptum, ſtatim acceſſiſſe domum Mariæ, quæ fuit mater Ioannis huius noſtri cognomento Marci. Sed hæc pro præſentis capitis explicatione ſuffecerint.

FINIS.

INDEX RERVM AC VERborum toto opere memorabilium ſummam compendioſè complectens. In quo numerus folium. a, priorem. b, poſteriorem eius faciem notat.

A

Aaronis prærogatiua in Sacerdotio. 67.b
Abigailis prudentia. 85.a
Abitio Chriſti ad patrem Apoſtolorũ maxima fuit turbatio. 8.a
Abraham gratuitò à Deo dilectus. 106.a
Abſtinẽtia fidelibus neceſſaria. 147.b
Accuſationis Stephani capita. 105.b
Achan ſacrilegium. 83.a
Ad menſuram dare vel accipere. 75.a
Admiratio Iudæorũ in doctrina Chriſti. 70.b. & Petri ac Ioannis. ibidem
Adoleſcentium bene inſtitutorum mos, ſenioribus honorem deferre. 105.b
Aduerſitates vt æquanimius toleremus qui fiat. 96.a
Aduentus Chriſti duo. 61.a
Aeneæ paralytici curatio. 155.a
Aethiopum cum Iudæis familiaritas. 138.a
Aegrotorum curatio per Apoſtolos. 85.a
Afflictiones & conſolationes Eccleſiæ inuicem ſuccedunt. 154.b
Agabus propheta. 185.a
Agno cur comparatus Chriſtus. 139.a.b
Ambitionis & auaritiæ peſtis omnia corrumpens. 68.a
Ambitio. 80.a
Amicitiæ in Petrum & Ioãnem neceſſitas. 52.b. 53.a
Anabaptiſtarum contumacia. 95.b
Anabaptiſtarum hæreſis. 93.b
Anabaptiſtarũ hæreſis quãtum ad bella. 159.b
Anabaptiſtarum ſuperciliũ. 167.b
Anabaptiſtæ de baptiſmo paruulorũ cõfutati. 140.b. & 141.a

Ananias Paulum initiat. 148.a
Ananiæ & Sapphiræ hiſtoria. 79.b
Angeli potentia. 189.a
Angeli peractis ſuis officiis ad Deum redeunt. 189.b
Angeli Apoſtolis de Chriſti aſcẽſu, reditu (incerto tamen die) & qua forma vẽturus dicunt. 8.b
Angelus Petri cur dictus. 190. b
Angeli pios homines comitati. 166.b
Angelicum miniſterium neceſſarium non eſt, vbi humanum ſuppetit. 161.a
Angelorũ amor erga nos. 87.b
Angelus Dei & Angelus Satanæ contrariorum ſtudiorum. 87.b
Angeli perpetuò ſunt in hominum miniſterio. 8.a
Angelorum oratio diſcipulis facta cùm aſcenderet Chriſtus in cælum. 8.a
Angelus ſuus cuique homini attributus. 189. b
Anima quàm corpus prius ſananda. 149.b
Animus ſibi male conſcius res pauida. 105.a
Animus non deſpondendus nec in maximis periculis. 190.a
Antitheſes pulchræ. 91.b
Apoſtoli multa & dixerunt & fecerunt quæ nonſunt ſcripta. 155.a
Apoſtolos ſuos Chriſtus nõ cõtinuò morti expoſuit. 72.b
Apoſtatãtes à Chriſto multi noſtro tempore. 132.a
Apoſtoli cur Hieroſolymis remanſerint in perſecutione. 128.b
Apoſtoli quare formidabiles principio. 86.a
Apoſtoli cæſi, gaudent. 95.a
Apoſtoli qua virtute totum orbem expugnarũt. 23.b
Apoſtoli quĩquageſimo die poſt reſurrectionẽ Chriſti baptizati. 19.a
Apoſtoli cur aſſiduè cum Chriſto fuerint. 174.a
Apoſtolis præceptum non tantum vt prædicarẽt, ſed etiam multa alia. 175.a
Apoſtoli cur non continuò ſed multo pòſt tẽpore. &c. 92. a
Apoſtoli multa prædicarũt, quæ in ſacris literis ſunt expreſſa. 43. a.b
Apoſtoli oraturi non permãſerunt in priuatis ædibus. 55.a
Apoſtolorum pietas. 73.b
Apoſtoli cur ante diem Pẽtecoſtes in conclaui concludebantur. 23.a
Apoſtoli Spirituſſancto repleti quomodo intelligẽdum. 21.b
Apoſtolorũ humanitas erga mendicum. 54.b

Apoſtolis omnia communia, quid. 49.a
Apoſtolorum ruditas. 5. b. 6. a
Apoſtolorum munus. 154.b.& dein.
Apoſtoli muſto Spirituſſancti repleti. 24.a
Apparitiones Chriſti variæ. 162.b
Arma ferre, nō ſemper impia. 159.b
Articulus fidei de extremo iudicio, Matthæo Euangeliſtæ attributus. 61.b
Articuli duo de Chriſto Iudæis maximè aduerſarij. 152.b
Aſcenſio Chriſti qualis. 7.b
Athanaſij Epiſcopi Catholici tribulatio. 89.a
Auaritia clericis maximè deteſtanda. 55.a
Auaritia noſtri temporis. 77.b
Auaritia. 80.a
Auctoritas non vltro vſurpanda. 68.a
Auguſtini Epiſcopi ſententia de cura pro mortuis agenda. 129.b
Auxilium ſuum cur ſubinde Deus ſubtrahat. 76.b
Azotum vbi. 142.a
Azyma Iudæorum ſacroſancta. 187.b

B

Balaam proteſtatio veridica. 147.b
Baptiſmus in nomine Chriſti. 132.b
Baptizati non omnes ſaluantur. 154.a
Baptizandi tempus antiquis. 177.a
Baptiſmus ſpiritus ad omnes homines pertinens. 180.b
Baptizati cur fuerint qui acceperant Spiritum ſanctum. 177.b
Baptiſmi prædictio, figura, & vſus. 140.b
Baptizandis paruulis quæ nomina imponenda. 79.a
Barnabas, filius cōſolationis. 79.a
Barſabas quid. 17.a.b
Benedictio hoc eſt peccatorum remiſſio, &c. 64.b
Benefacta ſua nōnunquam enumerare licitum eſt. 169.a
Beguinæ ſeu beguttæ. 97.b
Bellorum ſpecies variæ. 171.b
Bellum inter Deum & hominem. 171.b
Bibliotheca Cæſarienſis. 143.b
Blaſphemiæ crimen apud Iudæos grauiſſimum. 103.b
Blaſphemorum iudicium. 126.b
Bona temporalia & piis & impiis communia. 72.b
Bona opera ante mortem facienda. 157.a

Bona Eccleſiaſtica quæ vocantur. 82. b
Bona Eccleſiaſtica in quos vſus expendenda. 83.b
Bonorum operum varia genera. 155.b
Bonitas Dei prædicanda. 29.b
Bonum opus vnde dicatur. 161.a
Brachium ſæculare contra hæreticos non male imploratur. 145.b

C

Cadere Spiritum ſanctum, quid. 177.a
Cæſarea, turris Stratonis. 159 a
Caianorum hæreſis. 75.b
Cain hypocriſis. 83.a
Calciamẽtorũ ſolutio quid ſignificet Iudæis. 116.a
Calumniæ impiorum aduerſus pios. 105.b
Calumnia nõ perpetuo diſſimulanda. 181.b
Canon Miſſæ defenſus. 118. a
Caput noſtrum Chriſtus. 143.a
Cauſſa cur Chriſtus in terris poſt reſurrectionem ſuam per 40.dies commoratus ſit. 3.a.b
Cauſſæ vnde diuo Petro cora Iudæis tanta fiducia. 25.a
Cæſarea Palæſtinæ vrbs. 142 a
Cerimoniæ baptiſmi non aſpernandæ. 141.a.b
Charitas Chriſtiana in primitiua Eccleſia. 77.a
Chriſtianus homo non habet poteſtatem ſui corporis, ſed Chriſtus. 143.a
Chriſtiani quàm exoſi Iudæis. 144.a
Chriſtianorũ primorũ terror cæteris. 85.b
Chriſtianorum velut fatũ, perſecutio. 128.b
Chriſtianorum primorum inter ſe concordia & ſocietas. 78.b
Chriſtiani primi in quatuor occupati erant. 44.b
Chriſtiani primi ſola oratione dominica contenti non fuere. 48.a
Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ erga pauperes cura. 51.b
Chriſtus vitæ auctor. 57.b. & 58. a
Chriſtus quomodo viſus a Stephano in agone verſanti. 125.b
Chriſtus vt homo accepit à Deo patre poteſtatem. 36.a
Chriſtus vt dominus in cælis ſedet, Angeli verò ſtãt vt miniſtri. 36.b
Chriſti diuinitas probata. 151.b
Chriſti & Moſis facta collata. 63.b. & dein.

Chriſtus, Chriſtianorum caput. 143.a
Chriſtus non tantum mediator, ſed etiam iudex noſter eſt. 175.a
Chriſtus ex Maria virgine naſciturus, confirmatur. 34.a
Chriſtus ſuis ſemper læta triſtibus permiſcuit. 72.b
Chriſtus vnde ſic dictus. 74 b
Chriſtus magis inuiſus impiis, quàm Chriſtiani. 142.b
Chriſti generatio ineffabilis. 139 b
de Chriſti reſurrectione quæſtio difficilis. 35.a
Chriſti generatio, vt & cætera eius acta, ineffabilis. 139.b
Chriſti miracula. 2.b
Chriſtus à quibus paſſus. 74.b
Chriſtus poſt reſurrectionem cũ diſcipulis comediſſe demonſtratur. 3.b
Chriſtus animam humanã & corpus verè humanũ habuit. 32.a.b
Chriſtus qua forma in cælum abierit & qua venturus. 8.b
Chriſtus Apoſtolos docet quibus viribus orbẽ debellaturi erant. 7 a
Chriſtus quando prædicare cœperit. 173.b
Chriſtus quibus verbis ſuos conſoletur. 6.b.7.a
Chriſtus verè Deus. 35.b
Chriſti & Moſis collatio. 117.b.& 118,a
Chriſtus volens paſſus eſt. 31.b
Chriſtianiſmi propagatio mirabilis. 128.a.b
Chriſtus venturus ad extremum iudicium. 61.b
Chriſtus in ſua paſſione lætari dicitur. 31.b
Chriſtus pauca miraculoſe fecit. 132.a
Chriſtus qua modeſtia ſuos alloquatur. 6 a
Chriſtus Dauidis filius. 36.a
Chriſtus ex operibus qualis ſit viſus in terris. 29.a
Chriſtus qua potentia excitatus ſit. 30.a
Chriſtus cum carne ad inferos deſcendit. 30.b
Chriſti fuga in Aegyptum. 153.a
Chriſtus, angularis lapis. 69.a.b
Chriſtianis illata iniuria, Chriſto infertur. 142.b
Cibi Iudæis prohibiti. 163.a
Ciborum delectus apud Iudæos. 163.b.& dein.
Circuncisio fidelibus non neceſſaria. 163.b
Circuncisio quæ Deo grata. 123.b
Circuncisio quid Hebræis ſuggereret in memoriã. 115.b

Circunciſio.Abrahæ. 107.b
Claritas faciei Moſis,& Stephani. 105.a
Cœna Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ. 51.b
Cœna domini quid. 45.a
Cœnaculum quid. 9.b
Cœnæ ſacratiſſimæ inſtitutio. 45.a
Cœna domini non ſine ceremoniis celebrata eſt. 45.b
Communio ſub vtraq; ſpecie. 47.a
Cœna domini à Corinthiis corrupta. 45.b
Cohortum appellationes variæ. 159.b
Cogendi ad fidem hæretici. 146.a
Colere rectè Deum quis dicatur. 121.a
Collectarum faciendarum mos. 185.b.& dein.
Collegia Hieroſolymitana. 102. a
Comites Pauli ſtupefacti in vocatione illius. 147.a
Communia omnia primis Chriſtianis. 77.a
Communes ibi qui dicerentur. 165.a
Communis orationis efficacia. 188.a
Communio rerum libera. 82.a
Conatus Satanæ in verbi diuini concionatoribus.25.a
Concionatores verbi Dei non faſtidiendi. 179.a
Concionatores inepti vnde auſpicentur, & vbi deſinant. 170.a
Cōcionatores,vocādi. 66.b
Conciones ſacræ audiendæ. 176.b
Concordia Chriſtianorum primorum. 77.a.b
Confirmationis ſacramentum. 133.b
Cōiungere ſe apoſtolis cur non audebant cæteri principio. 85.b
Conſilium Dei in nequitia Iudęorum aduerſus Chriſtum. 59.b.& in fratricidio filiorum Iacob aduerſus Ioſeph. 60.a
Conſultaturi de re ſeria, amandant eos quorum cauſa agitur. 71.a
Conſuetudo Chriſti quæ erat cum à diſcipulis interrogaretur. 6.b
Cornelij centurionis hiſtoria. 158.b.& dein.
Contra ſtimulum calcitrare 143.b
Conuerſari quibus cum debeamus. 178.b
Conuentus Iudæorum die pentecoſtes apud Hieroſolyma fiebat. 22.a
Conuenticula hæreticorum non admittenda. 96.b
Conuentus noſtri quibus implentur. 10.b
Conuentus qui deceat Chriſtianos. 190.a
Conuiuia veterum chriſtia-

norum. 52.a
Conuerſio Pauli quã mira. 147.a
Cornelius cur non ipſe ad Petrum ierit. 166.a
Corpus Chriſti, Chriſtiani. 143.a
Crapula fugienda verbi miniſtris. 147.b
Credere quid. 176.a
Credenda etiam quædam quæ in ſacris literis habentur. 112.a
Curatu difficilia ſunt quæ à natiuitate nobis inſunt. 54.a
Curioſitatis humanę exemplum. 6.a
Curionis ſolicitudo pro eccleſia ſua quæ debeat eſſe. 180.a
Cultus Dei rectus. 121.a

D

Daniel ter in die oraſſe dicitur. 53.b
Damaſcus vbi. 143.a
Damaſceni quare tandiu diſſimularint Pauli prædicationes. 152.a.b
Damaſcus copioſa diſcipulis Chriſti. 150.a
Dauidis Prophetiæ non de ſe ipſo, ſed de Chriſto. 35. & ſequen.
Dauid à ſpiritu ſancto edoctus. 73.b
Dauid ſepties in die Deo laudes dedit. 53.b
Decalogi duæ ſunt tabulæ &c. 71.b
Defunctorũ ſuffragia. 129.b
Dęmones audientes nomẽ Ieſu clamant, &c. 131.a
Deſperandum non eſſe de quoquam. 149.a
Dei miniſtri honorandi. 167.b
Deo nihil obſiſtere poteſt ſuos liberare volenti. 189.a
Deum noſtrũ nouiſſimum nobis incertum eſſe cur voluerit Deus. 63.a
Deus auctor malorum non eſt. 145.a
Deus quanti faciat filium ſuum Ieſum. 57.a
Deus aliàs aliis ſe manifeſtat. 160.a
Deus Chriſtum vt hominẽ reſuſcitauit. 34.b
Deus potius audiendus quã homines. 71.b.72.a
Deus non ſemper liberat, ſed quũ tempus eſt. 87.b
Deus quare dictus Deus patriarcharum. 57.a
Diaboli odium aduerſum nos cur non continuo exeratur. 152.a
Diaconi a ſancto luca deſcripti. 101.a
Diaconorum miniſterium quod fuerit. 100.a.b
Diaconi etiam concionatores. 130.b
Diaconiſſæ. 98.a
Diſcipulorum Chriſti numerus. 11.b

Differentia inter Baptiſmũ Chriſti & Ioannis. 4.a.b
Diſcere nolle, confuſionem parit. 138.b
Dies domini magnus quis intelligatur. 27.a
Dij ab hominibus facti, ſtupidi. 119.a
Diſperſio Chriſtianorum propter perſecutionem Chriſtianorum propagatio. 128.a
Diſpẽſare de lege dominus poteſt. 164.a
Diſſecari quid ſit. 92.a
Diuitum funera qualia faciant pauperes. 157.b
D. Petri reuerentia. 156.b
D. Petri humanitas. 154.b
Diuinitas humanitatẽ nunquam deſtituit. 31.a
Diuinitas corporaliter in Chriſto habitans. 74.b
Docti non ſolum in Epiſcopos eligendi ſed qui ſint bonæ famæ. 17.a
Doctorculi. 84.a
Doctrina apoſtolica nõ eſt noua. 176.a
Doctrina fidei interna & externa. 146.b
Doctores vanitatis quare populo dentur. 169.b
Doctrinã mutare an liceat verbi miniſtris. 150.a.b
Doctores mali notandi vt caueantur. 43.b
Domini potentia & conſilium in ſuis è malis eripiendi. 189.a
Donorum Spiritusſancti effectus. 21.b
Dormiẽs in carcere vinctus D. Petrus inter duos cuſtodes. 188.b

E

Eccleſiæ oratio non vana. 188.a
Eccleſiaſticum miniſterium non parui pendendum. 150.a
Eccleſiæ miniſteria quã hodie frigida. 99.b
Eccleſia melius habet in perſecutionibus quàm in delicijs. 100.b
Eccleſiæ bona nonnunquã in redemptionem expendenda. 83.b
Eleemoſynarius quibus virtutibus eſſe præditus debeat. 98.b.& dein.
Eccleſiaſtica omnia venalia. 136.a
Eccleſię auctoritas nõ parui facienda. 112.b
Effectus linguę ignitæ. 21.b
Effundere quid. 26.a
Eleazari iudæi nobile exemplum. 163.b
Eleemoſyna vt diſtribuenda. 186.b
Eleemoſynæ prę ſtandæ modus & conſideratio. 51.a
Enochi liber. 115.b
Enthuſiaſtarum hæreſis. 164.b
Epiſcopus qualis eſſe de-

beat. 15.b
Epiſcopum quæ requirunt. 15.b
Epiſcopi noſtri quid facere deberent. 155.a
Epiſcopi quales hodie eligantur. 15.b
Epiſcopi munus. 15.a
Error multorum hodie notatur. 51.a
Error vnus aliud trahit. 141.a
Eſaiæ martyrium. 140.a
Eſaias euangeliſtæ propior quam prophetæ. 139.a
Ethnicorum vocatio. 177.a.b
Ethnicus cum impio iudæo aduerſus eccleſiam conſpirans. 187.a.b
Euangelij annunciatio nullis vinculis teneri poteſt. 87.b
Euangelij prędicatio quam difficilis initio. 76.b
Euangelij prætextus abuſus quam pernicioſus. 84.a
Eunuchus, dignitatis nomē. 137.b
Euſebij Cæſarienſis commendatio. 142.b
Excæcatio Pauli in vocatione ſua. 147.a
Exemplorum inductio quã moueat. 192.b
Externum etiam verbum initiandis fidei neceſſariũ. 146.a
Exemplum Petri Epiſcopis imitandum. 11.a
Exilium Moſis quadraginta annorum. 115.a

F

Facere poſſe, & licitè facere, differunt. 68.a
Facta Chriſti omnia & dicta Lucas nõ ſcripſit niſi ſummatim. 2.a.b
Faciendum opus bonũ per ſe, non per alium 157.a
Falſorum teſtium mos calumniandi. 104.a
Fames, flagellum dei. 108.b. & dein.
Fames ſub Claudio. 185.a.b
Fames ſeptemnis, quam grauis. 108.b
Fames Ægyptiaca. 108.b
Famulorum officium. 166.a
Famuli non contemnendi. 161.b. eorundē officium. 162.a
Familia vt bona euadat. 162.a
Fauſti Manichæi hæreſis. 64.a
Fides eadem eſt omnium ſaluandorum. 69.b
Fides non ſola ſaluat. 69.b
Fides aliena aliis prodeſt. 58.b
Fides, donum Dei. 145.b
Fidei noſtræ caput. 3.a
Fidei myſteria non ſcrutanda. 145.a
Fidei veræ verus genius, Dei promiſſio nihil anteponere. 107.a

Fidei Abrahæ commendatio. 106.b
Fiducia D.Petri vnde.24.b. 25.a
Fiducia in Chriſtum firma, nunquam irrita. 141.a
Fieri non poſſe niſi quæ naturaliter fiant, putare, abſurdum & impium. 126.a
Filij Iacob fratricidæ. 60.a
Filij boni, parentibus magno ſunt ſolatio. 73.a
Forma rectiſſima docendi vulgus. 43.44.a
Fortis quis dicatur. 101.b
Fractio panis quid. 44.b. 47.b
Fraus Ananiæ quomodo à Petro cognita. 82.a
Fructus verbi Dei auditi. 37.a
Fuga Moſis. 114.a.b.
- exilium. 115.a
Fulgor repentinus Saulum proſternens, quid indicarit. 143.b
Funera Chriſtianorũ. 129.a
Furtum Hebræorum excuſatum. 164.a

G

Gadarenorum timor à Chriſto. 86.a
Gamalielis dilemma nõ vſquequaque ſacro ſanctũ. 94.a.b
Gamalielis auctoritas. 92.a.b.94.a
Genium prudentis medici. 94.a
Gentiles immundi putati ante Deum. 163.a
Gentiles a communione ſalutis non alieni. 177.b
Gentium opera an exaudiantur. 160.b
Gentium vocatio vt facta. 177.a.b
Gloria Dei rebus omnibus antepõda. 72.a
Giezi fraus quomodo Heliſeo cognita. 82.b
Gloriæ Dei non derogatur quando apoſtolorũ facta mirifica prędicãtur.86.a.b
Gradus honoris primus, ſecundus, tertius quibus cõceditur. 26.b.27.a
Gratia apoſtolorũ quæ fuerit in principio euangelij. 78.a
Gulæ malum. 97.b
Guſtaſſe cur dicatur Petrus, non comediſſe. 162.b
Gymnaſia Hieroſolymitana. 102.a

H

Hebræorum contumacia. 114.b
Hebręi, populus Dei etiam ante legem. 117.a
Helena, Simonis magi vxori, ſeu potius ſcortũ. 151.b
Heliſei hiſtoria ex 4.Reg.6. 89.a
Hæreſis Martiani & Valentiniani. 34.a
Hęreticis quomodo ſcripturæ claræ & apertæ. 151.b

Hæretici brachio ſeculari coërcendi. 145.b
Herodes tres. 186.b
Hieruſalem tota commota ad prædicationem apoſtolorum. 67.a
Hiſtoriographi officium. 187.a
Hiſtoriæ cognitio quam vtilis regibus. 110.a
Homo iſte contemptim dictum. 104.a
Homo internus & externus, quis. 31.b
Homo ab homine etiam docendus. 146.b
Homo internus tribulationes externas gaudiū exiſtimat. 31.b
Homines hominum miniſterio inſtruendi. 160.a
Homines ter mille in vna Petri cōcione cōuerſi. 44.a
Hominis vnius inermis terror tyranno. 187.b
Honor deferendus magiſtratui. 168.a
Hora nona Petrus & Ioannes orauerunt. 53.b
Hora precationibus conſecrata. 160.b
Horæ precandi ſtatę ac certæ. 192.a
Horæ precandi ſtatæ olim Chriſtianis 99.a
Hoſpitales ſint viri apoſtolici. 166.a
Hoſpitia etiam exigua non faſtidienda viris apoſtolicis. 158.b
Humana etiam catecheſi opus habent initiādi. 146.a
Hypocriſis ab initio mundi. 79.b
Hoſpitaliūæ dificatores laudati. 166.a

I

Iacobus apoſtolus frater Ioannis. 186.b
Iacobus apoſtolus cur occiſus Petrus autē liberatus. 190.a
Idiotę catholici victoria de philoſopho ethnico diſertiſſimo. 103.a
Ieiuni orare debemus. 161.b
Ieiunium Moſis, Chriſti, ac Pauli. 147.b
Ieſus a dextris virtutis viſus ſtans. 115.b
Ieſu Chriſti nomine comprehenditur tota trinitas. 178.b
Ignis in ſpecie Spirituſſanctus apparet. 21.a
Ignorantia Iudæorum in crucifigendo Chriſto quę fuerit. 58.b
Ignorantia an per omnia excuſet. 59.a
Immunda Iudæi non edebant. 163.a
Imperiis diuinis obtemperandum. 164.b
Implere mēſurā patr. 120.b
Impietas ſemper excuſationes comminiſcitur. 119.a
Impij cur proſperè hic agāt, pij miſere. 62.b

Impij multitudine impiorũ gaudent. 166.b
In mundo hoc omnia præpoſtere geruntur. 62.b
In diſcrimen nos temere cõiicere non debemus, 154.a
In nomine Ieſu baptizari. 178 a
Infirmorum cura Chriſtianis ſuſcipienda. 86.a
Iniuria Chriſtiano facta, Chriſto facta. 141.b
Inſtructionis diuinæ non neceſſariæ vbi humanæ ſuppetunt. 165.b
Inuidia Iudæorum aduerſus Chriſtum. 59.b
Inuocãs diuos, Chriſtũ nõ contemnit. 157.b
Inuocatio nominis domini. 27.b
Inuocatio magnam fiduciã includit. 28.b
Inuocare nomen Domini quid. 28.a
Ioannes non omnes Chriſti diſcipulos Baptizauit. 4 b
Ioſeph & Matthias pares. 17.a
Ioſeph erga fratres humanitas. 109.b
Ioſeph ſaluator mundi maximè verò Ægypti. 59.b
Ioſeph de Mariæ coniugis ſuæ tumido vtero turbatus. 165.b
Ioſeph in Æegyptũ vẽdit᷒. 108.b
Iſraël qua occaſione in Ægyptum profectus. 108.b & dein.
Iſraelitæ cur populus Dei dicti. 116.b
Iudas proditor, adumbratio & figura Iudaici populi. 14.a.b
Iudicia Dei & Hominum diuerſa. 18.b.19.a
Iudæ proditoris caſus. 14.a
Iudæos ex omni natione quæ ſub cælo eſt habitaſſe in Hieruſalem, quomodo intelligendum. 22.a
Iudæ proditori tria contigere. 13.a.b
Iudæi cũ Ethnicis non conuerſabantur. 168.a
Iudæi quàm auerſarẽtur Gẽtiles. 180.a
Iudæorum zelus de Gentibus ad fidem conuerſis. 179.a.b
Iudæi propter Chriſtum nõ receptum exterminati. 62.b & dein. 64 a.b.
Iudæi quo nomine Deum appellare ſoliti. 57.a
Iudæi certas & ſtatas orãdi horas habuerunt. 53.b
Iudæo credenti primus honoris gradus conceditur. 26.b
Iudæi ſceleratiores Pilato in cauſa Chriſti. 57.b
Iudæi idololatriam ab Ægyptiis edocti. 119.b
Iudæorum prærogatiuæ de Meſſia. 65.a
Iudæ Galilæi ſeditioſi hiſto-

ria. 93.a
Iudæi legis ſuæ calūniā ferre nō ſimulāt. 103.b. 104.a
Iudæi etiam afflicti nihilo meliores redduntur. 114.a
Iudæorū cura de mortuis. 156.b
Iudicium extremum quale futurum. 61.a
Iudicij extremi fides. 61.b
Iudæis nullus gloriandi locus relictus. 106.b
Iudæi Iudęos fratres vocabant mutuo. 105 b
Iudęi ignorant tempus viſitationis ſuę. 113.a
Iudęi de externo templi cultu multum ſibi pollicebantur. 104.b
Iudęi in Moſen ingrati. 113.b
Iuramenti finis, quis. 33.b
Iuramentum Dei. 33.b

L

LAnguidorū curatio per Apoſtolos. 86.a
Lapis angularis, Chriſtus. 69.a
Lauandi corporis mortui mos apud Iudæos. 156.a
Lazarum etiam interficere cur cogitarint Iudæi. 72.a
Legem obſeruans, vitam habebit. 118 b
Liberi probè inſtituendi. 112.b
Liberorum cura quanta ſit habenda. 102.
Liberalitas primorum C[illegible]ſtianorum. [illegible]
Liberationes miraculoſ[illegible] 189.b
Libertini qui intelligantur in Actis. 102.a
Linguę igneę quid poſſint, oſtenditur. 37.a.b
Linguę apparent. 20.b
Linguæ diſſectę quare. 21.a
igneę. ibidem.
Locus aliquis vnde dicatur ſanctus. 116.a
Longitudo quædā vię certa Iudęis præſcripta fuit &c. 9.a
Lucas medicus profeſſione D. Pauli comes indiuiduus. 1.2 a
d. Lucas quo tempore acta conſcripſerit. 51.b
Luctus in funeribus Chriſtianorum. 119.a
Lupus ad ouem miſſus Saulus ad Ananiam. 148.a
Lydda oppidum Palæſtinę. 155.a

M

MAgiſtratus honorandi. 167. b. & dein.
Magiſtratus tēpli quis fu[illegible] rit.
Maieſtas diuina fr[illegible] humana: fere 142.a.
Maiora opera [illegible] ſtus apoſtoli [illegible]

ſala quæ operamur, Chriſto aſſcribenda. 75.b
alitia nihil audacius. 37.a
alitia impiorum excuſanda non eſt. 29.a.b
Malo quàm bene faciendo gratificari hominib' malle. 187.b
Malus nemo deſperandus. 130.a. Chriſtianiſmi propagatio quomodo facta. 130.a
Mandatis Dei promptiſſime obediendũ. 137.b
Manifeſtis Dei præceptis paremus,cũ etiam myſteria dei intelligimus.165.a
Manifeſtat ſe Deus aliàs aliis. 160.a
Manus domini quæ intelligenda. 185.a
Manuum impoſitio. 100.a
Martyres Satanici. 95.b
Martyrio ſanctorum non areſit eccleſia, ſed irrigatur. 187.a
Media quibus Deus rebus noſtris conſulit. 92.a
Mediator Dei & hominum Chriſtus. 171.b
Membra Chriſti ſunt omnes Chriſtiani. 143.a
Mẽbra corpus Chriſti, Chriſtiani. 143.a
...brorum corporis hu...ter ſe charitas. 3.a
...n quid ſit. 81.a
...are præ foribus templi. 54.a
Mendicus nihil magnificè ſentit de Apoſtolis. 54.b
Meſſis multa quid. 19.b
Metũ vocatis à ſe miniſtris Deus eximit. 148.b
Militia cæli, quæ. 120.b
Militiæ genus nõ omne impium. 159.
Miracula non ſemper expectanda. 190.b
Miracula in diuorum baſilicis ad quid. 155.b
Miracula quò ſpectent. 158.a
Miracula apoſtolorũ, Chriſti gloriæ non derogant. 86.b
Miracula Moſaïca. 117.b
Miraculorũ efficacia. 76.a
Miraculorum terror. 115.b
Miraculum maius erat in Petro de carcere liberando, quàm fuiſſet in præſeruando ne eò detruderetur. 189.a
Miſſio minoritatem non arguit. 133.a
Miſſio Chriſti cur facta. 171.b.& dein.
Modeſtia Chriſti erga ſuos. 6.a
Moloch idolum. 120.b
Mentitus ſpiritui ſancto quomodo dicatur Ananias. 81.a
Mors Chriſti nõ ex malorũ voluntate, ſed Dei prouidentia fuit. 29.b
Mortuorum cura qualis ha

benda. 129.b
Mortuorum cura. 129.a
Mortuorum corpora non contemptim proiecerunt Iudæi. 156.b
Mori cur patiatur Deus, quẽ mox reſuſcitet. 156.a
Moſaïca inſtituta quatenus duratura eſſent, prædictũ. 104.a
Moſes cur fugerit. 114.a.b
Moſes paſtor ouium, non tamen à Deo neglectus. 115.a
Moſes quando aulam reliquit. 112.b
Moſes an peccarit occidendo Ægyptium. 113.a
Moſis cærimoniæ ſaluandis non neceſſariæ. 115.b
Moſis legẽ iuxta Hebræorum interpretationem nõ obſeruantes, etiam Deo grati. 115.b
Moſis ortus & promotio. 110.b.111a.
Moſis ac Chriſti collatio. 63.b
Mulier quatenus obedire debeat marito. 85.a
Mulieres & pueri in ſcripturis non numerantur. 67.a
Mundus vallis lachrymarũ. 61.a
Murmura vnde oriantur. 98.a
Mutatio Pauli ſtupenda. 150.b.
Mutationes ſtupendæ. 151.a

N

Nabuchodonoſor Balthaſari ſacrileg 83.b
Natura præpoſterè multarũ rerũ cognitioni ſtudet. 1.a
Natura humana nihil ineptius ad res diuinas perſpicendas. 6.a
Naturę humanę propriũ. 1.a
Necandus iamiam propter Chriſtũ quid faciat. 125.a.b
Neſcire, non eſſe dignum confuſione. 138.b
Nomen domini quomodo inuocandum. 27.b.28.a
Nomen Chriſti, poteſtas ipſius. 58.
Nomina nemo ſine cauſa ſortitur. 133.b
Nominum imponendorum conſideratio. 79.a
Non omnia ſunt in veteri teſtamẽto cõſcripta quæ in nouo recitantur. 112.a
Non prædicare ſolum iuſſi apoſtoli. 175.a.b
Notis quib⁹ noui Chriſtiani manifeſtabantur. 48.b
Nouiſſimus dies cuiuſque qui ſit. 63.a
Nouum teſtamentum nihil habet quod non in vetere ſit præfiguratum. 64.a.b

O

Obedientiæ exemplum in Apoſtolis. 9.b.10.a
Obedientiæ exemplum in Abraham. 106.b

aſio ſola malitiæ opus. 72.b
Occaſionibus præſentibus cũ Dei timore vtendum. 109.a
Occiſoribus Chriſti nullam gratiam debemus. 75.a
Occulta multa aliena ſpiritu ſancto reuelante ſanctis cognita. 82.b
Odium diaboli aduerſus pios Deus cohibet. 152.a
Officium Apoſtolorum. 7.a
Officiũ prophetarũ quod. 33.a.b
Oleum vnctionis eccleſiaſticæ. 174.a
Omnia quæ Ethnici vel iudei in vſu habuerunt non ſunt reiicienda. 53.b
Omnia probate vt intelligatur. 168.b
Opera bona ſine Chriſto an vtilia. 160.b
Opera bona ante mortẽ facienda. 157.b
Operum bonorũ varia genera. 155.b
Opinio Lucianica, quæ. 2.a
Orationis locus. 162.b
Orationis præſidium. 188 a
Oratio omnibus cõmunis eſt. 99.a
Oratio ieiuna eſſe debet. 162.b.
Orandi ordo & vſus in Eccleſia. 48.a
Orandum ſine inter miſſione quare. 50.b
Orandi vis qualis Deo grata ſit. 48.a
Ordinatio gratiam auget. 101.b
Origenes Cęſarieñſis ciuis. 142.b
Oues paſcere, quam moleſtum. 115.a

P

Pacis & tranquillitatis auctor Deus. 77.a
Palæſtina terra ſancta. 116.a
Panem frangere, quomodo intelligendum. 51.a
Paralytici curatio. 155.a
Patriarcharum Deus cur ſit dictus. 57.a
Patientia & æquanimitas à domino Deo eſt. 96 a
Pauli adhuc furentis collatio cum Iudæis Chriſtum capere volẽtibus comparatio. 144 b
Pauli cõuerſionem cur tam ſtudioſe Lucas perſecutus ſit. 130.a
Pauli ignorantia in perſecutione Chriſtianorum. 144.a
Fuga Pauli ex Damaſco. 152.b.& dein.
Paulũ occidere cur vellent Iudæi. 153 a,b
Paulus quam formidabilis Chriſtianis. 153.a.b
Pauperum cura quanta ſit habenda. 79.b